TYROCINIUM CANONICUM, AD MENTEM SANCTORUM PATRUM, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
7 E
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

TYROCINIUM CANONICUM,

Ad Mentem Sanctorum Patrum,

Præſertim
Illuminatiſſimi Eccleſiæ Orthodoxæ Doctoris,

S.P.N. AUGUSTINI,

ET

ANGELICI S. THOMÆ AQUINATIS,

IN

TRACTATU

ASCETICO, THEORICO, PRACTICO,

Pro ſolida Novellorum Canonicorum Inſtitutione, aliorum utilitate Regularium, & quorumvis, ad ſublimiorem virtutum perfectionem contendentium, ſive ſpiritualem profectum amantium bono, conſcriptum, novâ, ac Scholaſticâ methodo expoſitum, ſuccinctis diſcurſibus moralibus dilucidatum, brevi hiſtoriâ, ſeu accommodis exemplis Virorum, ſanctitate, virtute, ſcientiâ, rerúmque laudabiliter geſtarum famâ illuſtrium, ex S. Canonico Ordine depromptis plerúmque comprobatum, atque in duas partes digeſtum,

AUTHORE
BENNONE ZAISPERGER, Collegiatæ Eccleſiæ Bayrbergenſis in ſuperiore Bavaria Congregationis Lateranenſis Can. Reg. Decano, SS. Theol. Doctore, & Notario Publico Apoſtolico Jurato.

PARS PRIOR.

Cum Facultate Superiorum.

FRISINGÆ, Typis & Impenſis Joannis Chriſtiani Caroli Immel, Typogr. Epiſcopalis. 1721.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo

PRINCIPI,

Domino, Domino

CAROLO AUGUSTINO FABRONO,

Sacræ Romanæ Eccleſiæ Tit. S. Auguſtini

PRESBYTERO CARDINALI,

Canonicorum Regularium, & Congregationis Lateranenſis

PROTECTORI &c.

Principi, ac Domino

Domino Clementiſſimo.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Domine Clementiſsime.

TEmeritatis forſan me arguet, qui *Tyrocinium Canonicum* mole ſuâ planè exiguum Glorioſiſſimo Eminentiæ Veſtræ Nomini inſcriptum aſpexerit, miratus, unde novitio ſcriptori tam diſſito, quàm ignoto tantus accreverit animus, ut Aſcetici ſui Libelli Eminentiſſimum Protectorem, & Clementiſſimum Patronum efflagitare ſibi præſumpſerit. Aſt conceptam hanc opinionem facilè deponet, cui vel ex ſola fama innoteſcit, *magnæ ſemper teſſera mentis*, innata Eminentiæ veſtræ Cle-

Digitized by Google

mentia, quæ pios exterorum etiam conatus literarios omni fovet tempore, dummodo contra Orthodoxam Fidem, & S. Romanæ Sedis Decreta pugnantes non foveant doctrinas. Hæc Almæ Urbis orbem totum coronantis mœnibus conſtringi neſcia, neque Latiis contenta finibus, ſed Germanas etiam latè propagata per oras ſupplicibus precibus meis benigniſſimè annuendo ſub die 28. Decembr. Anno elapſo formidinem omnem à me, propriæ tenuitatis probè conſcio, adeò excuſſit, ut ampliùs haud hæſitaverim adire cum fiducia ad Thronum Gratiæ. Eapropter ſacratæ Purpuræ humillima veneratione inclinatus præſentem *Tractatum Aſceticum Theorico-Practicum* ad Clementiſſimas manus devotiſſimè offero, ſubmiſſiſſiméque totum, licèt exile, conſecro. Quodſi non ſit dedignatura Eminentia Veſtra compari, qua in illius Dedicationem conſentire placuit, benignitate oblatum ſuſcipere, & Clementiſſimo beare obtutu, ſummoperè gratulabuntur virtutes omnes inibi conſcriptæ, digniſſimas in Manus ſe deveniſſe, atque gloriabuntur majori poſthac apud legentes in pretio fore, quo eminentiore jam perfruuntur aſpectu in Eminentiſſimo CAROLO AUGUSTINO FABRONO, qui utì virtutem nullam reſpuit, ita omnes ſibi familiares reddidit, ac domeſticas, ut perpendenti cuique nullatenus

latenus relinquatur dubium, an virtutes ſuum Principem ad ſublimiores Dignitatum Eccleſiaſticarum apices evexerint, vel ſuas Purpuratus Princeps virtutes ad excelſum perduxerit verticem, publicum ferente teſtimonium Romanâ Curiâ, Eminentiam Veſtram altiſſimo perfectionis gradu virtutes in ſe omnes ſublimâſſe, ſublimatáſque pleno poſſidere Dominio. Immenſus hic pateſceret campus, ſi ſingulas vel obiter recenſendo percurrerem; heroicam tamen Fortitudinem in tutandâ famoſâ Conſtitutione *Unigenitus &c.* invictámque præterire nequit calamus Patientiam, cujus materiem hoc ſæculo Eminentiæ Veſtræ, tanquam S. Congregationis Indicis Præfecto Digniſſimo, &, ne maleſana ac novaturientia in Eccleſiam Romano-Catholicam inveherentur dogmata, plusquam centoculo Argo uberrimè ſubminiſtraverat temeraria Quesneliſtarum, & ſtygia aliorum laceratæ Auctoris damnati cauſæ ſuppetias ineptas ferentium hæreticorum phalanx, quæ ſicut in Chriſtum Dom. ſanctiſſimum CLEMENTEM XI. (omnium proborum calculo, Pontificem ſapientiſſimo Eccleſiæ Gubernio immortalem) impiiſſimo auſu plaſphemias expoſtulando evomere, ita quoque in Eminentiſſimum S. Congreg. Indicis Præfectum diriſſima effundere ſcommata pro inveterato more ſuo neutiquam abhorruerat. Sed proſpera fuit hæc ipſa malignantium adverſitas, quia virtus

Digitized by Google

tus illuſtrior evaſit, & vegetior *Ceraunia* adinſtar gemmæ, quam in locis duntaxat fulmine ictis inveniri, intérque fulgura, cælíque tumultus ſplendidiùs emicare Symbolographi docent apud Cauſſinum & Sandæum, (a.) addito eidem lemmate: *fulmine creſcit*. Proſpera fuit, quia mentem, charitatémque Principis ſanctiore intùs ſuccendit flammâ: *Electorum* quippe *deſideria*, ſuſceptíque pro Eccleſia Dei labores *deprimuntur adverſitate, ut proficiant, ſicut ignis flatu premitur, ut creſcat, & unde quaſi extingui creditur, inde roboratur* ex ſententia S. Laurentii Juſtiniani (b.) Triumphavit itaque S. Patientia Eminentiæ veſtræ cum ingenti virtutum incremento, & prærogativæ cæleſtis titulo, quia *patientes, & mites, & contumeliis affecti &c. cæleſtibus ſunt ſimiles virtutibus*, perorante aureo Oratore. (c.) Quin etiam glorioſo triumphantis vertici (proprias Chriſti Athletis) laureolas impoſuêre, quot quot exacuerunt ut gladium linguas, & calamos ſuos adversùs Decreta S. Congregationis pretioſâ Eminentiæ Veſtræ manu conſignata, quia S. Patientiam ex animo aufferre, vel extinguere non potuerunt, per quam *ingentes theſauri in conſcientiâ reconduntur, quæque hominem Martyrem facit*, prout aſſeruit rarâ ſanctitate Illuſtriſſimus Venetorum Patriarcha. (d.)

Quare

(a) *In Polyhiſtore Symbolico. & Symbolica L. 4. Comment. 1. fol. 171.* (b) *Tract. de Charit.* (c) *Homil. 42. ad popul.* (d) *Laurent. Juſt. L. de pat. cap. 2.*

Digitized by Google

Quare *Tyrocinium* iſtud de ſublimibus virtutum maximarum gradibus, variíſque illas perfectè acquirendi modis exactè pertractans non alium exoptavit, ſuíque elegit quàm Religionis, ac Pietatis Patronum, nec alteri videbatur jure debitum, niſi Eminentiſſimo Principi, à ſolidis virtutibus auſpicatiſſimo. Et verò, ne palpum obtrudere, aut Purpuratæ Modeſtiæ indiſcretum offundere pallorem videar, à Noſtratibus debitum Eminentiæ Veſtræ judicatur ob flagrantiſſimum zelum, quo non tantùm Illuſtriſſimam Congregationem Lateranenſem fortiſſimè *protegit*, & *munit*, verùm etiam univerſum Apoſtolico-Clericalem Canonicum Ordinem *ſub umbra alarum* ſuarum tutò quieſcere jubet, dum impendentia eidem mala & perſpicaciſſimé prævidet, & ſalutaribus tempeſtivè avertit remediis, nil læſo cujuſquam jure, atque ſervatâ utrobíque Themidis lance. Debitum quoque eſt immenſæ titulô gratitudinis ſummâ cum ſubmiſſione tandem deferendæ á noſtra Canonia, cui primævum Privilegii Pontificii Jus vetuſtate, omnia vertente, collapſum, Clementiſſimè annuente, ac benigniſſimè ſupplicibus favente Eminentia Veſtra Protectrice, innovatum, largiſſimóque Aggregationis Inſtrumento á Rev.mo & Illuſtriſſimo D. Jacobo Martini Lateran. Congreg. Generali Abbate validiùs reſtabilitum fuit. Pro tanta itaque gratia, cujus memoria apud ſeros etiam Poſteros

Digitized by Google

Beyrbergæ nunquam intermorietur, ſed flagrantibus in cordibus, quæ Capituli genius in frontiſpicio Cælitibus exhibet, altùm hærebit omni tempore, gratiſſimos ex viribus ſubſtituit affectus ter obligatiſſimum Collegium, Numénque exobſecrat (quod humanæ deficit poſſibilitati) pro compenſanda chariſmatum, theſaurorúmque cæleſtium participatione ex ampliſſimo prorſus fonte in ſitientes derivatâ. Interea dum in Clementiſſimam Protectionem ſuſcipi contra zelantes Zoilos peroptat *Tyrocinium Canonicum*, unácum Aurelianis Canonicis, quiqui ſingularia aſſecuti beneficia, præfixum viderint glorioſiſſimum Nomen Celſiſſimi Patroni, Deum omnium Largitorem bonorum ardentiſſimis invoco ſuſpiriis, precórque, ut Eminentiam Veſtram in felicia ſæcula conſervet ſoſpitem ad grande Eccleſiæ Catholicæ columen, ad perennem Purpuræ ſacræ decorem, ad diuturnam Ordinis Canonici tutelam, ad dulce Clientum, piorúmque omnium ſolatium. Ita voveo Beyrbergæ Calendis Februarii 1721.

Eminentiæ Veſtræ

Servus devotiſſimus

Benno Zaiſperger,
C. R. D.

Digitized by Google

CENSURA & APPROBATIO
Reverendiſſimi Ordinariatûs Friſingenſis.

PArtem Primam hujus Libri intitulati *Tyrocinium Canonicum*, à Theologis reviſum, ac ab A. R. P. Bennone Zaiſperger &c. &c. compoſitum, poſſé typis mandari, licentiam concedimus. Sign. Friſingæ die 3. Julii 1721.

(L.S.)

Joan. Sigiſmundus Epiſc. Bellinenſ.
Suffragan. & Vicarius Generalis.

FACULTAS & APPROBATIO
Reverendiſſimi, & Ampliſſimi Domini, Domini Præſulis.

VT *Tyrocinium Canonicum* in Tractatu Aſcetico Theorico-Practico pro ſolida novellorum Canonicorum inſtitutione, novâ ac Scholaſticâ methodo expoſitum, & in duas partes digeſtum ab Adm. Rev.do D. Bennone Zaiſperger, Collegiatæ noſtræ Eccleſiæ Canonico, & Decano, SS. Theol. Doctore, & Notario Apoſtolico &c. ad publicam noſtrorum, & aliorum utilitatem Typis mandari valeat, ſervatis de jure ſervandis, harum ſerie plenam impertimur facultatem, præſertim cùm ab aliis Theologis nihil contra Orthodoxam fidem, ſanam doctrinam, & bonos mores in ſe continere, ſed luce publicâ omnino dignum Opus recenſitum ſit. Actum Beyrbergæ in Collegio noſtro Congregationis Lateranenſis Calendis Januarii, Anno 1721.

(L.S.)

Cajetanus Præpoſitus Abbas
Lateranenſis. m. pr.

Digitized by Google

CENSURA THEOLOGICA.

SI major Dei gloria, exoptatum cujusvis Religionis incrementum, copioſa animarum ſalus, atque Regularis perfectionis finis à fundamentali, ac ordinata Religioſæ Juventutis inſtructione principaliter dependet, ſanè Admod. Reverendus, Religioſiſſimus ac Clariſſimus Dominus Author optimum opus operatus eſt; dum inſignem hunc Tractatum Aſcetico-Theorico-Practicum (*Tyrocinium Canonicum* intitulatum) ad laudem ſuam immortalem, & augenda merita, non tantùm pro ſolida Novellorum Canonicorum, aliorúmque Regularium Candidatorum inſtitutione, verùm etiam pro quorumvis, ad ſublimiorem virtutum perfectionem contendentium bono, ſummâ diligentiâ, ac indefeſſo labore conſcriptum, clarâ, novâ, & ſcholaſticâ methodo expoſitum, ſuccinctîs diſcurſibûs moralibûs dilucidatum, accommodîs exemplîs virorum, ſanctitate, virtute, ſcientiâ, rerúmque laudabiliter geſtarum famâ illuſtrium, plerumque comprobatum, atque in duas partes digeſtum, optima intentione Chriſtiano Orbi, maximè zeloſis Novitiorum Magiſtris, communicat. Quare, cùm omnia, in eo contenta, Orhodoxæ fidei, ſanæ doctrinæ, ac bonis moribus ſint conformia, digniſſimum cenſeo, ut quoad primam hanc partem publicam lucem videat. Friſingæ in noſtro Conventu die 20. Julii 1721.

Fr. Stanislaus Karg, Ord. Min.
S. Franc. Reform. SS. Theologiæ
Lector Generalis, & ſacrorum
Canonum actualis.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Benevolum Lectorem.

JUbente ſacrâ obedientiâ novellis Religioſis director, & magiſter conſtitutus, à die, quo id muneris in me ſuſceperam, continuò recogitavi, maximi rem momenti fuiſſe mihi commiſſam; quandoquidem ex prima novitiorum inſtitutione majore ex parte illorum in S. Religione profectus, & in virtutibus incrementum dependent, quin & propriæ ſalus animæ ſita eſt, quam bene deliberatâ hujus mundi fugâ plerúmque intendunt, ac in S. Ordinem ingreſſu obfirmatam credunt.

Intellexi Collegii, & Religionis noſtræ ſpem in eo poſitam, ut ſi primævum diſciplinæ ſacratæ florem conſervare florentem, Apoſtolicæque, uti profitemur, vitæ fructus enutrire, vel etiam præſentia ſterilitatis ſpiritualis damna reparare anhelet, ſingularem adhibeat ſolicitudinem, inſomnes protrahat curas in novellis fovendis germinibus, iiſque fructuosè implantandis, irrigandis, educandiſque nullum intermittat laborem. Quàm autem difficiles ſunt hi ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſuſcepti labores,, cùm ſpiritualis magiſtri officium *Angelicis potiùs humeris portandum*, quàm humanis viribus peragendum ſanctiſſimi ſemper judicaverint viri, tam cæleſtibus prærogativis cumulantur, glorioſis coronis à Deo proœmiantur, ſingularibus gratiis recompenſantur, & meritis. Alios docendi, ad bonum trahendi, religioſam pietatem iis inſtillandi, & ad veram virtutis viam errantes, vel ignorantes adducendi miniſterium adeò ſublime S. Dionyſius Areopagita aſſeruit, ut inter divinas perfectiones à Divino Magiſtro in nos derivatas præcipuam conſtituerit ſuper illud Math. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum:* ubi addit S. D. *Divinarum enim perfectionum omnium diviniſſima eſt, Dei cooperatorem eſſe in reductione animarum ad Creatorem.* Angelicus verò Præceptor munus iſthoc excelſum ultra laureatam Athletarum fortiſſimorum gloriam evehit, dum 2. 2. Q. 124. a. 3. ad 3. præclariſſimè erudit, *actum ex charitate docendi* novellos Religioſos, & quoſvis alios, *& gubernandi ſubditos, eſſe perfectiorem, quàm actum martyrii, conſideratum ſecundùm propriam ſpeciem actûs.* Meritum porrò illius extollit Aureus Patriarcha *hom.* 10. *in Geneſ.* ponderandis verbis: *Cujus ſtudium eſt docere proximos, is non tam illi benefacit,*

cui

Digitized by Google

cui ſacratiorem impertit doctrinam, *quàm ſibi ipſi magnam mercedem parat, duplicique augetur lucro, dum majorem à Deo retributionem aſſequitur, & dum fratrem docere aggreditur, docendo interim ſibi ipſi memoriam eorum, quæ audivit, renovat.* Paria à Chriſto edocta S. V. Gertrudis *L.* 4. *Inſ. Div. piet. cap.* 13. ad excitandos timidos Moderatorum animos ſcriptis ſuis conſignavit, & poſteris ſaluberrimè reliquit conformiter ad Prophetiam Danielis c. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad Juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quare ne tam ſublimi, & ſpirituali deeſſem officio, præſentem, quem vides, Benevole Lector, *Tractatum Aſceticum* conſcripſi, & in eo præcipua ſcitu neceſſaria vitæ Canonicæ, atque Religioſæ documenta complexus fui.

Quamvis autem iſthæc ampliſſima, numeroſa, & præclariſſima ab aliis Religioſiſſimis, ſapientiſſimíſque Aſceticæ Theologiæ Magiſtris optimè compilata perlegerim, varietatem tamen Operum, & Auctorum, quos per decurſum ſequentis Trractatûs, haud levi ſtudio conquiſitos fideliter referam, imitari nolui benè gnarus, quòd Novitii velut teneriores adhuc militiæ ſpiritualis Candidati, ſuccincta methodo conſtricta vitæ Religioſæ principia, aut non ſatis percipiant, aut diffuſo nimiùm ſtylo facilè confundantur, ut adeò media quadam via incedere magis conſultum mihi fuerit viſum.

Quòd verò in pertractandis hiſce materiis ſcholaſtico, ſeu uſitatato in Claſſibus altioribus modo procedere præ cæteris placuerit, dum juxta communem tradendi formam à ſcholaſticis difficultatibus, & philoſophicis diſcurſibus veteres Aſcetæ abhorrent, & vias ſolùm planas eligunt virtutes introducendi, ſecundùm laudabiliſſimum quorundam Recentiorum exemplum & utilitas perſuaſit, & ratio non contemptibilis. *Utilitas* equidem; vel enim S. Ordinem ingrediuntur quidam poſt abſolutum Philoſophiæ curriculum, vel expletis humanioribus literis (quod frequentiùs uſuvenit) ad S. Religionis Tyrocinium convolant? Priores ſcholaſtica tradendi methodo jam aſſueti, faciliùs Religioſa principia capiunt, & captivato in obſequiùm virtutis intellectu, nec non ratione ſolida, vel graviſſima SS. Patrum auctoritate convicti voluntatem attrahunt, & affectu inflammato ſacratiorem ſuſcipiunt doctrinam. Poſteriores initio Tyrocinii ſubindè non modicam experiuntur difficultatem; attamen brevis ſucceſſu temporis inuſitatum hactenùs, adeóque novum virtutes addiſcendi modum primò mirantes, neceſſitate poſtea adacti, ferventiori ducuntur ſpiritu præſcripta imbibendi dogmata, ne tanquam appenſi in ſtatera invenirentur minus genii Religioſi, minúſque ingenii capacis habentes. Acuunt proin hunc in finem ex viribus ſuis ingenii aciem, & præmiſſas ex ipſius lumine rationis jamjam pullulantis rimantur rationes, quæ à vitiis ob nativum horrorem abſterrent, & ad virtu-

Digitized by Google

virtutes, perfectionémque religioſam alliciunt. Objectiones etiam, ac dubia, quæ intellectus humanus ſcire cupidus proponere valet, & opponere ſolet, non rarò inſperſa, & in formam ſyllogiſticam nonnunquam redacta ſunt, ut efficaciùs intellectui imprimerentur, & tenaciùs à memoria conſervarentur. Theologica quidem hinc inde ſe ſe offert materia non aliter tractabilis, niſi Theologicè, quæ propterea Tyronum capacitatem ſupergreſſura videtur: Continuata tamen induſtria, frequens articulorum diſcuſſio, & repetitio ſcholaſtico inſtituenda more, quem ſuis Magiſter diſcipulis præſcribet, docebítque, item devotè implorata Spiritûs ſancti gratia omnes ſuperabunt, devincéntque difficultates, quas etiam mitigabunt accommoda (quantum eſt poſſibile) & facilis ſententias obſcuras explicandi ratio, ac non ad ornatum Rhetoricum, ſed ad genuinum Aſceticæ Theologiæ ſenſum compoſita dictio.

Ratio perſuaſit, ut citra cujusvis præjudicium quædam quoad inſtructionem Tyronum noſtrorum ſervaretur æqualitas. Varios enim ſpirituales ad inſtructionem Tyronum Tractatus, tum MS. admodùm Reverendi Dom. Ubaldi Luzenbergeri, Canonici Regularis Damaſienſis viri Religioſiſſimi, & per plures annos Novitiorum Magiſtri, ſpiritûs diſcretione probatiſſimi &c. Reverendiſſimi, & Ampliſſimi DD. Udalrici Byrſon, Beyrbergæ Præſulis zeloſiſſimi, SS. Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris Emeriti, nec non multiplicium ſpiritualium Operum, in noſtra Bibliotheca aſſervatorum MS. Auctoris præclariſſimi &c. tum typis vulgatos Reverendiſſimi DD. Caroli Favre, Pariſienſ. S. Genovefæ Abbatis &c. atque Reverendiſſimi DD. Servatii de Layrvelz, Abbatis, & SS. Theologiæ Doctoris ex Candido & Exempto S. Ord. Canonicorum Præmonſtratenſium, qui ampliſſimum Catechiſmum Novitiorum duobus majoribus Tomis conſtantem elucubravit, & Anno 1623. publici Juris fecit typis Muſſiponti in Lotharingia &c. in noſtris Collegiis paſſim circumferri, & manibus teri, atque ex citatis Auctoribus novitiatum ſubinde confici animadverti. In aliquibus Laconicas explicari regulas, perantiquis ſtatutis conformes, & hodiedum rigidè obſervatas intellexi, quas à Novellis decurſu Tyrocinii ſui velut Summarium pleniùs comprehendi oportet. Alibi fuſiores doctrinas regulares in ſe continentes Libri Reverendiſſimi DD. Joannis Mauburni, Abbatis Liuriacenſis pro ſpirituali lectione conceduntur, ut juveniles apiculæ in illius *Roſeto Operum Spiritualium* ſparſas recolligant roſas, vel ſuaviſſimum ex intimis illarum fibris attrahant ſuccum. Nonnullis Opera ſpiritualia Venerabilis Joannis Rusbrochii à D. Dionyſio Carthuſiano *Divini Doctoris, & alterius Dionyſii Areopagitæ* nomine compellati, vel *Antiquarium Monaſticum*

Digitized by Google

ſticum piiſſimi, & clariſſimi D. Nebridii à Mindelheim, Canonici Regularis in Auſtria Clauſtro-Neoburgenſis, vel *Inſtitutiones Novitiorum* M. Hugonis de S. Victore, aut Religioſiſſimi Idiotæ, ſeu ſapientiſſimi & humillimi Raymundi Jordani Tractatus affectivi, aut Venerabilis Thomæ Kempenſis Opuſcula alia, maximè *Sermones ad Novitios* porriguntur, commendantúrque. Quibusdam Libri, non tantùm à celeberrimis Canonici Ordinis Scriptoribus, ſed etiam ab aliorum S. Ordinum Profeſſoribus publicati, exhibentur à Magiſtris ad eruendos è tam profuſis doctrinis copioſos fructus. Sunt, qui *Novitiatum practicum* ſuis prælegunt Tyronibus, & per quæſtiones inter Magiſtrum, & diſcipulum commiſſos ſibi novellos erudiunt ad virtutem, uti aliquot abhinc annis in ſuo Novitiatu practico MS. mihi communicato Adm. Reverendus, Religioſiſſimus ac Clariſſimus D. Anton. Greiner, celeberrimi Colleg. Eccleſiæ Undenſtorffenſis Can. Regul. tunc Decanus ſpectabilis feciſſe dignoſcitur. Aliqui affectuoſam amplectuntur Aſceſin, & actus variarum virtutum ad immediatam praxin proferunt cum quibusdam conſiderationibus, & actuum eliciendorum formulis, ſicut Anno 1716. Reverendiſſimo DD. Gelaſio di Cilia, Inſignis Collegiatæ ad SS. Andream, & Magnum Pedeponti extra Ratisbonam Can. Reg. tunc Decano, nunc Præſuli digniſſimo (cui Deus auſpicatiſſimum, & longævum Regiminis ſucceſſum pro exoptato Collegii ſui incremento, & Canonici Ordinis decore dignetur elargiri) in Itinerario novelli Religioſi placuit: atque etiam in *Solitudine ſacra* exactiſſimâ meditandi methodo, velut lectiſſimo compendio copioſa vitæ ſpiritualis documenta comprehendit, & novellis apprimè neceſſaria principia pro bono Tyronum Anno 1717. edidit Adm. Reverendus, Religioſiſſ. & Clariſſ. D. Hieronymus Pozenhardt, Imperialis, & antiquiſſimi Collegii ad B. V. M. in Wettenhauſen, Can. Reg. SS. Theol. Licent. & Profeſſor, p. t. Decanus, & Novitiorum Magiſter meritiſſimus.

Denique, ut plura recenſendo tranſiliam, prolixa ex antiquis SS. PP. vitis exempla ad imitationem quidam propoſuerunt, ut extractis inde notandis ſententiis tradita fulciretur doctrina, & venerandâ auctoritate præſens elevaretur materia. Quorum omnium ſive Canonici, ſive aliorum S. Ordinum ſpiritualia dogmata quoad ſubſtantiam ſervare ſtudui, fuſiora contraxi, neceſſaria tamen non omiſi, ſed Tractatum integrum ſecundùm ſcholaſticum coordinavi modum ex motivis ſupra allegatis, & vel ideo etiam, ne quidam Aſceſin, quæ pars eſt non ultima Theologiæ, adeò ſterilem judicarent, crederéntque, acſi nullam omnino admitteret Theologicæ methodi imitationem: cùm tamen hoc medio (ad actum reductâ potentiâ) vel maximè probantur ingenia, num ad ſublimiora æquè propendeant, atque ad ſpeculativa ſtudia ſuo tempore tam apta ſint,

Digitized by Google

ſint, ut ad humaniora. Quod utique S. Religioni non modò detrimentum nullum, at bene præmaturum, & ſalutarem afferet fructum?

Dein, quod mecum frequenter perpendi, aliiſque inculcare fui ſolitus, homines mundo, ejúsque vanitati vitam integram immolantes improbis diu noctúque non parcunt laboribus, ut profanas ſibi comparent ſcientias, varias artes politicas non ſolùm ex primis ſuis principiis eruant, ſed ad ſublimiorem pro naturæ viribus gradum promoveant, peregriniſque curioſiſſimè afficiuntur, & inficiuntur doctrinis, quibus addiſcendis, & aliquâ verâ ratione ſtabiliendis totam miſerè impendunt vitam abſque ſperato fructu, plerumque etiam poſt hebetatum ingenium, & vanos conatus pertinaciter propugnatis immoriuntur erroribus ſuis.

Quid ad hæc, Religioſi? an pro virtute ſuis ex fundamentis capienda, introducenda, exercenda, & ad altiorem perfectionis gradum elevanda nullus ingenii labor, induſtria nulla impendatur? an Religioſis animis minor ſaluti-feri ſtudij ſit cura, quàm mundanis profani, inutilis, & non rarò pernicioſi? an Aſcetica ſcientia in obſcurum rejiciatur angulum, ne ſubtile transferatur ingenium ad contemplationem, ſpeculationem, & tot meritis cæleſtibus abundantem praxin ſacratioris doctrinæ? an major habeatur ratio profectûs in Philoſophicis, & Theologicis ſcientiis, ad quas vel modica etiam indolis ſagacitas propendet, quàm ſpiritualis in Aſceticis? an vinci ſe à vanis ſcientiarum deſideriis, & econtra à perfectionis Religioſæ ſtudio dejici patiantur Religioſi? Enimverò mediocri ſubinde eruditione Rhetorica pollentes tam ardentibus feruntur nonnunquam deſideriis, ut vix depoſita Religionis profeſſione ad altiora in Academiis, vel celebrioribus locis ſtudia promoveri non ſolùm peroptent, ſed velut conditionem in Clericali S. Ordine emiſſis votis adjectam, ac quaſi ex juſtitia debitam à Superioribus expetant. Et planè laudabilis foret ejusmodi affectus, ſi in primas non impingeret virtuoſæ Scholæ leges, quas nondum ex fundamento ſe hauſiſſe facillimè tales noſcuntur, utpote cùm S. Religionis arbitrio ſe commiſerint pleniſſimè, interpoſito etiam voti juramento. Evenit quoque, quosdam humanioribus literis optimè tinctos, poſtea in Univerſitatibus collocatos deſideratum non attuliſſe fructum, quòd primos in Religione annos ſine ſpeculativo virtutis ſtudio inſumpſerint, & ad ſcholaſticam methodum aſſuefacti antea non fuerint. Per has tamen animadverſiones nemo ſibi perſuadeat velim, me Religioſiſſimos Novitiorum Magiſtros, qui abſque ſcholaſtica forma ſimpliciter ſuis in inſtructionibus proceſsêre, ſuperbè carpere, aut quadam cenſura afficere: Neque ullus opinetur, me idcirco hunc *Tractatum Theorico-Practicum* adornâſſe, ac ſi neceſſariâ Novitii noſtri doctrinâ hucuſque

caruiſſent. Nam ſatis cuivis legenti clarum eſt, quàm præclara ſtudia, & æternis laudibus dignas operas in conſcribendis piiſſimis pro inſtitutione novellorum Tractatibus collocaverint tam ſuperiùs celebrati, quàm in ſubſequenti celebrandi Auctores. Ut eapropter nulla critici argutio, vel ſiniſtra de me opinio habere locum poſſit, qui, dum omnes veneror, ab omnibus erudiri cupio, nullum contemno, ſed palam profiteor, quòd proprio abundare ſenſu ita prorſus abhorream, ut potiùs illorum velut meorum Magiſtrorum veſtigia in præſenti Tractatu meo preſſis ſequar pedibus, quàm ut perfectionis viam ab illis oſtenſam Religioſis Candidatis derelinquam. Hinc etiam nulli per me derogatum, aut limitatas eſſe manus volo, quò minùs huic Theorico-Practico Tractatui vel addere, pro placito minuere, aut, quæ videntur corrigenda, modeſtè corrigere valeat; cùm, quod Tyronibus noſtris à 7. annis ad calamum dictaveram, & explicueram, non niſi hortatu Reverendiſſimorum DD. Præſulum, & aliquorum Noſtratum deſideriis ſatisfacturus, divulgare typis, atque in publicam producere lucem præſumpſerim.

Aliorum porro morem, laudabiliſſimúmque ſecutus exemplum (ne in hoc quoque puncto à Religioſiſſimis viris diſſentirem) ſingulis fermè articulis quædam virtutum ſpecimina inſignia cenſui annectenda, ut tradita vitæ ſpiritualis dogmata velut in illuſtri exemplari ad vivum expreſſa efficaciùs traherent, & ad imitationem ardentiùs allectarent: novelli autem *talibus provocati exemplis, virtute pari, devotione conſimili, ac fide conſtanti* eorum *gloriam*, quorum ſanctam, virtutibus plenam, & encomiis æternis dignam perſcrutantur vitam, *paribus vitæ lineamentis aut invenirent, aut exquirerent*, exhortante S. Joan. Chryſoſtomo *ſerm. 1. de Mart.* Atque ſibi illud frequenter pro ſtimulo objicerent, quod olim S. P. N. Auguſtino converſionem ſuam tardanti cæleſtis caſtimoniæ ſpecies exprobrare viſa eſt: *Tu non poteris*, ſubridens illa dixit, *quod iſti & iſtæ? an iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo? quid in te ſtas, & non ſtas? projice te in eum, noli metuere! L. 8. Confeſſ. c. 11.*

Hiſtorias breves cum Sanctorum, tum aliorum præclaram virtutem, & laudanda facta continentes, quod concernit, eas non aliunde, & alieno ex horto deprompſi, ſed ex fertiliſſimo Ordinis Canonici viridario collegi, cùm in eo tot millia avitæ ſanctitatis, & omnis generis florentiſſimæ pietatis vireſcant germina, quot in cælis radiantia ſine numero coruſcant ſidera, ut alienos carpere flores, neceſſe non fuerit, bene verò fateri cogar: *Inopem me copia fecit.* Varios Hierarchiæ Canonicæ Sanctos, qui in diverſis floruerunt ſæculis, & Eccleſiam Catholicam ſanctiſſimis moribus, ac nitidiſſimis virtutum exemplis illuſtrârunt, in medium producere nos coëgerunt Neoterici quidam, qui vel nimio

Digitized by Google

nimio ſui Inſtituti zelo abrepti, vel alienâ gloriâ dolentes antiquitatem Apoſtolici, Canonici, Clericalis Ordinis noſtri adeò proſcindere, deprimere, & circumſcribere ſunt auſi, ut eidem vix ſæculum XI. aut X. (hócque ad ſummum, uti falsò ſibi perſuadentes ajunt) pro nativitatis ſuæ tempore permittere velint contra omnia pro Canonico Ordine noſtro expedita SS. Pontificum diplomata, & latas ſententias definitivas, contra deciſiones Curiæ Romanæ, contra antiquiſſima monumenta fundationum regalium, contra veteres Hiſtoricos omnes, & Bibliothecarios Apoſtolicos, imò etiam contra eruditiſſimos Scriptores apud Bollandum, quorum omnium copioſiſſimum, & penè infinitum attexere catalogum nobis hìc videtur ſupervacaneum, dum congruentiori loco iſtam reſervamus materiam, ubi Apoſtolica S. Ordinis Canonici incunabula, & à S. P. Auguſtino Glorioſo Eccleſiæ Doctore, ac Epiſcopo Hipponenſe reſtitutam eidem Ordini ætatem demonſtraturi ſumus.

Interim audiendos non eſſe illos Scriptores, qui *modernorum*, uti dicunt, *Canonicorum Regularium* originem ad ſæculum X. inimico calamo retrahunt, duodecim SS. Pontificum Decreta omnino declarant, & Hiſtorica docet fides, quia illo ſæculo X. S. hic Ordo non natus, ſed ſanctiùs in Eccleſia Catholica renatus; non primò ortus, ſed velut in meridie pulſis adverſitatum variarum nebulis pleniſſimè coruſcus; non primò floruit, ſed ubique terrarum renovatâ anteriore ac introductâ novâ diſciplinâ, & ſaluberrimis erectis ſtatutis copioſiùs refloruit.

Ita aſſeruerunt de *modernis Canonicis Regularibus* Urbanus II., Paſchalis II., Honorius II., Benedictus XII., Martinus V., Eugenius IV., Nicolaus V., Sixtus IV., Pius IV. in famoſa pro *Canonicis Regularibus modernis* lata ſententia, S. Pius V., & Paulus III., qui omnes NB. *modernorum Canonicorum Regularium* originem ab Apoſtolis, reformationem ab Auguſtino, renovationem diſciplinæ ab illuſtribus viris derivant, & Canonicum Ordinem à ſæculo X. refloreſcentem, & denuo coruſcantem in Dei Eccleſia appellant; uti videre eſt in Conſtitutionibus Bullarii M. Laërtii, & Angeli Cherubini, item in Libro Indultorum, ac Privilegiorum Pontificiorum Congregat. Lateranenſis.

Ita etiam de NB. *modernorum Canonicorum Regularium* origine, antiquitate, & cum Canonicis ſeu Clericis Regularibus S. Auguſtini identitate fidem adſtruunt S. Rotæ Romanæ deciſiones noviſſimæ Ann. 1713. ſub

 die

Digitized by Google

die 27 Januarii R. P. D. Anſaldo S. Rom. Auditore, & Apoſtolico Judice Commiſſario &c.

Ita quoque innumeri ex diverſis S. Ordinibus Authores antiqui, & recentes tot authoritatibus, & hiſtoricis rationibus convicti aſſeverant in ſuis libris, ut in eorum comparatione pauculi quidam adverſarii ne ſpeciem quidem probabilem hiſtoricæ veritatis conficiant.

At de his ſatìs, cùm in cenſura vel confutatione alienorum librorum neutiquam conſtituam finem, ſed magìs in fundata aſceſi, contentus hac brevi longè majoris, ac Adverſarii ſibi imaginantur, antiquitatis, quam S. Ordini Canonico SS. Pontifices, S. Rota, aliíque Hiſtorici antiqui, & recentiores attribuunt, aſſertione, ne malè carpere quiſquam AA. valeat illa Exempla SS. antiquorum per decurſum Tractatùs allegata.

Hinc etiam nulli prudentûm movere bilem poterit iſthæc modeſta Ordinis noſtri propter detractam vetuſtatem animadverſio, quia iſta originis abnegatio multarum fomes eſt controverſiarum regularium, quas nec Deo, nec Sac. Romanæ Sedi placere, *ſi nempe diſputent diſcipuli Chriſti, quis eorum videatur eſſe major?* nemo non videt ex Decreto Sac. Congregationis Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Sac. Rom. Eccl. Cardinalium Ann. 1717. die 13. Julii edito, & ſub ſtrictiſſimis pœnis Eccleſiaſticis nociva adeò diſſidia, diſceptationes ſcandaloſas, & eximiorum Ordinum depreſſiones, decorum ablationes, & ſplendoris obfuſcationes perpetuo indicto ſilentio juſtiſſimè prohibentis.

Quare ita damnatas contra pacem religioſam militantes lucubrationes damnante Sac. Matre Eccleſia, quid ſupereſt obſequentibus filiis, niſi ut iis *ſit cor unum, & anima una in Deo, lites* verò *aut nullas habeant, aut quàm celerrimè finiant*, &c. S. P. N. in Regul. exigente à ſuis, alios hortante? Quod quidem in noſtris partibus maximo concordiæ emolumento ſervatur, & obſervatum iri ab aliis in tantùm confiditur, ut non ſolùm mutua charitas, & amica vicinitas (quæ uſque ad conſummationem ſæculi perſeveret, & in æternitate beata perennet, non ceſſent, vel refrigeſcant, ſed potiùs vicina amicitia adamantino charitatis nexu ſtabiliatur, augeatur, & inflammetur. Charitatis autem, quæ *nulli inimica, omnibus Mater eſt*, vera probatio eſt inter ſacros Ordines, *quando amamus confraternitatem, non ſcindimus unitatem, ſed tenemus charitatem.* Ita

S. Le-

Digitized by Google

Legiſlator *Tract.* 2. *in Epiſt. S. Joan.* Eapropter palàm profiteor, & ſanctè teſtor, me per totum Tractatum nullum S. Ordinem in minimo lædere, aliquam prærogativam nulli detrahere, aut in diſcrimen adducere velle. Animus magìs eſt omnes honorandi, omnibus inſerviendi, omnium genio religioſè, ac modeſtè me accommodandi, ut Cenſorum judicio, cui præſens Tyrocinium fuit ſubmiſſum, nullus inculpare me poterit læſæ charitatis, quæ in me, jubente S. P. N. Auguſtino *de Catech. rud. c.* 15. *alios curavit ædificare*, non deſtruere, *alios contremuit offendere, ad alios ſe inclinavit, ad alios ſe erexit*, ut dicere poſſim cum S. Doctore mellifluo unum Ordinem opere teneo, reliquos charitate.

Notandum præterea benevolo Lectori, ex variis Auctoribus me deſumpſiſſe tum vitas Sanctorum, tum exempla ſpectatæ virtutis virorum, quæ, prout ab illis conſcripta fuerunt, ſubinde ſine permutatione verborum adduxi, aliquoties contraxi, & compendioſiori ſtylo reddidi, nullibi tamen ſoli blandiri ingenio inducto rariore ornatu, ſed religioſæ virtutis ſtudio conſulere ſimplex fuit animus. Plura de ſuo *Theatro virtutis Canonico-Auguſtinianæ* MS. Reverendiſs. & Ampliſſimus D. D. Joan. Georgius Grueber Celeberrimæ Canoniæ ad S. Crucem Auguſtæ Vindelicorum Canonicus, & Decanus, poſtea ad S. S. Andream & Magnum extra Ratisbonam poſtulatus Præpoſitus digniſſimus &c. nobis ſubminiſtravit, quæ in variis totius orbis provinciis à noſtris edita ſanctitatis, & inſignis pietatis ſpecimina eminentem hucuſque Canonici Ordinis ſtatum contra quorundam opinionem à pietate hæreditaria neutiquam defeciſſe demonſtrant, quidquid laxitatis, & imperfectionis eidem affingere, vel prærogativarum competentiam injuſtè abnegare haud levi piorum offenſione, & ſuæ famæ proſtitutione tentârunt aliqui. In recenſendis tamen ejusmodi vitis, & factis juxta Decretum Urbani VIII. edit. die 13. Martii An. 1625. ac poſtea ab eodem S. D. confirmatum 5. Junii 1631. ac 5. Julii 1634. omnia à me acta fuiſſe, & me aliter agere niſi ſecundùm S. Romanæ Eccleſiæ ſenſum noluiſſe profiteor, & mox infra teſtabor.

Porro ad finem, Pictoris conſilium æri inciſum ut brevi explicem calamo, neceſſe duxi. Tyrocinium Canonicum ingreſſo omnem, quam duodecim capitibus complectitur, materiem appenſa columnis ſcutula oculis ſpectandam, & animo legendam repræſentant. Canonicus Ordo Clericali ſuo ſpectabilis habitu ardentisſima emittit deſideria ut ignis à Divino afflatus Spiritu in omnibus ſuorum cordibus latisſimè diffundatur; atque hinc ſubmiſſo poplite providentisſimum adorat, continuóque exorat Numen, ut Zelo ſemper urente, flamma cœleſtis perfectionis religioſæ cupidum magìs magìsque *illuſtret, & accendat.*

Digitized by Google

cendat. Adeſt in medio nubium throno Alma Dei Parens *à Pace* Urbi notiſſima nunquam non filiis ſibi devotis patrocinata, atque exin Lateranenſis Congregationis Patrona lectiſſima, cujus pacatam iſthac ſub ſpecie effigiem non tam generalibus ſigillis, ſcalpro ferreo inciſam, quàm ſingulorum animis filiali in Protectricem Matrem amore inſculptam æviternùm voluêre majores. Ingruant à conjuratis togæ candidæ hoſtibus invida prælia; conquaſſentur fabricatis ab orco machinis Canonicæ Religionis fundamina: ipſa tamen velut in amœniſſimâ pacis orcheſtrâ inconcuſſa quieſcet *Materno tuta Patrocinio.* Clericalia tam publica, quàm privata munera, veluti *Myſtica thura Deo*, & S. Religionis exercitia ab Adminiſtratorio, & tutelari Spiritu porrecta Cherubicus Doctor Auguſtinus Seraphico affectu commendat Numini, ut ea manu Divina benedicere, atque etiam incenſa, ac congeſta à patrio genio corda uti Thymiama myſticum in odorem ſuavitatis accipere dignetur. Hæc enim ſingula ſicut vitam primam à primo amoris motu in Deum, ſecundam à charite in proximum hauriunt, ita etiam ab uno tanti Patris ſpiritu reguntur, & ſummæ Charitatis regulam à Corde illius referunt, ut inflammatis ab inflammato Auguſtini corde cordibus meritò tribui valeat lemma: *animantur ab uno.* Animatum fuit *ab uno* cor Magni Pontificis Gelaſii I. qui in Lateranum animantem Regulam Clericorum Regularium S. P. Auguſtini invexit, & propagavit in diverſas provincias. Unde tot ſucceſſores Pontifices, tot Purpurati Patres, tot Patriarchæ, Epiſcopi, variiſque dignitatibus eminentes Prælati, Martyres quoque & innumerabiles Confeſſores cum candida Virginum turba animas inflammatas cœlo intulerunt, quorum meritis fulget Eccleſia, quorum patrocinio gloriatur Eccleſiaſtica Hierarchia, quorum præſidio floreſcit Canonicus Ordo ad ſempiternam Dei gloriam, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis. Hæc, candide, & benevole Lector, ſunt, quæ in limine hujus Tyrocinii prænotanda cenſui, ne altiùs pedem inferendo retrogredi oporteret. Id favoris tui erga me eximii loco habebo, ſi datis ad virtutem principiis uti, meam in conſcribendo Tractatu iſto intentionem bonam non invertere, ſed mecum Deum laudare, & pro me orare dignaberis. Vale, & poſteriorem partem jam prælo ſubjectam patienter præſtolare.

PRO-

PROTESTATIO AUCTORIS.

CUm S. D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii Anno 1625. Decretum ediderit, idémque confirmaverit 5. Julii Anno 1634. quo prohibuit *imprimi libros hominum, qui ſanctitatis, ſeu martyrii famâ celebres è vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta, continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine eâ impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata &c.* Idem autem Sanctiſſ. 5. Junii Anno 1631. hoc modo declarârit, *ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem* &c. Huic Decreto, Confirmationi, ac Declarationi obſervantiâ, ac reverentiâ, qua par eſt, inſiſtendo profiteor, me haud alio ſenſu, quidquid in hoc *Tyrocinio Canonico* refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate nituntur, iis tantùm exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit. Unde, quæ de vita, doctrina & virtutibus quorundam Virorum Canonici Ordinis ſcripſi, ea omnia Judicio ac Cenſuræ S. Matris Eccleſiæ pleniſſimè ſubjicio, & nonniſi in prædicto ſenſu accipi volo.

Digitized by Google

INGRESSUS TYROCINII CANONICI. SIVE PROOEMIUM

Ad ſolidioris virtutis Candidatos, & Religioſos Novitios.

QUi à fallacibus mundi illecebris pedem retrahere, & ſacratiorem quandam vitæ rationem inſtituere cogitant, Ariadnæo indigent filo, ut ex abſtruſis ſenſuum humanorum mæandris, ac multiplicibus perverſi ſæculi technis, veluti inextricabili Labyrintho liberi evadant. Neque ſatis eſt, tutiorem viæ ſpiritualis ſemitam elegiſſe, magnóque cum ſpiritûs fervore inchoâſſe; ſed quomodo inceptum proſequi iter, forti animo progredi, & ad optatum uſque terminum pervenire valeant, hoc opus, hic labor eſt. In Duce quidem magnanimo, & ſapiente ſpem haud vulgarem multi ponunt, ſuæque poſuerunt ſalutis novelli milites; aſt abſente duce à fraudulentis infirmi facilè decipiuntur hoſtibus, niſi & ipſi bene tractare arma, generosè pugnare, & inimicos proſternere probè noverint. Hunc in finem, Chariſſimi Novitii, & ſacratæ militiæ Candidati, ſequentem conſcripſi Tractatum, in quo neceſſariam pro vita ſpirituali doctrinam, & ſatis ſolida invenietis principia, ne unquam à Religionis ſcopo aberrare poſſitis, animo ad ea ſeriò reflectente. Opus modò eſt generoſo ſpiritu, quo ſicut mundi delicias ſpreviſtis, & abjeciſtis, ita ſuaviſſimam Chriſti crucem ſuſcipiatis in humeros, ad virtutis ſtudium ſedulò incumbatis, & principia religioſa ad directionem, ſalutémque animarum veſtrarum in Aſcetico Tractatu porrecta alto imbibatis animo, atque in Religionis ſtadio ita curratis, ut comprehendatis pravium, & pertingatis ad beatum finem, ad quem à Deo eſtis creati. Magna vos in cœlo expectat gloria, quâ coronabitur virtus veſtra; ingens ſpes fovetur in clauſtris ſalutem æternam conſequendi, ubi qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. Si ergo delectat mentem magnitudo prœmiorum, non deterreat certamen laborum, *hortante Gregorio Magno* hom. 37. in Evang. *Maximè quidem* Diabolus Chriſti adverſarius non perſequitur, niſi caſtra & milites Chriſti, *ut fatetur S. Cypr. M.* Epiſt. 58. *Verùm facilè vincitur, dum illius doloſis ſuggeſtionibus nullum conceditis locum: in fugam ociſſimè avertitur, ſi ad Religioſa exercitia & docta in Novitiatu principia recurratis.*

Mul-

Digitized by Google

Multùm verò intereſt initio converſionis veſtræ, alacri animo arripere media, diſcere ſpiritualis militiæ fundamenta, eáque menti ita imprimere, ut videantur vobiſcum adoleviſſe, atque ſic proficiatis ætate, & virtute coram Deo, & hominibus. Porro charitatem veſtram memorem eſſe percupio, quòd militi non proſint arma, quæ continuò ab ipſo permutantur, neque planta ad vigorem convaleſcat, quæ ſæpe transfertur. Idem pariter accidere neceſſe eſt novellis præſertim Religioſis, qui lectionem ſpiritualium Librorum variant, & nullius ingenio ſe familiariter, atque ſeriò applicant, uti prudentiſſimè animadvertit Reverendiſſimus, & à Novitiorum magiſterio, & religioſiſſima praxi Doctor inſignis Servatius de Lairvelz in Catechiſmo Novit. To. 1. p. 3. lect. 107. Reg. 4. *Hæc incommoda quoad ſtudium, & lectionem ſpiritualium Librorum ut maturè præcaveantur, accuratè obſervari certas oportet regulas; ſecundùm quas Tyrones utrumque, ſcilicet lectionem, & ad lectionem conſideratam ſequens ſtudium ſpirituale cum fructu inſtituant. Regulas autem ſequentes Aſceſeos Magiſtri tradiderunt, quas abſque fuſiore explanatione hìc ſubjicio.*

Inprimis ſpiritualem lectionem cum ſigno S. Crucis inchoent elevando fidei oculos in Deum omnibus intimè præſentem, qui per ſecuturam lectionem loquitur; Eum proin cum profunda humilitate, & reverentia audiant, dum enim legimus, Deus nobiſcum loquitur, *aſſerente S. P. N Auguſtino* ſerm. 12. de temp.

2. *Brevem ac ferventem præmittant orationem, S. Spiritûs gratiam deprecantes, ut præſens lectio, & virtutis ſtudium ad Dei gloriam cedat, ſalutarémque legenti afferat fructum.*

3. *Non curſim, ſed tractim legant; ſingulas periodos perpendant: teſtimonia SS. Patrum, & apprimè notandas eorum ſententias, velut ſacratæ Scholæ parœmias, altiùs memoriæ imprimant, & textus S. Scripturæ patulis quaſi auribus cordis percipiant, dicentes intra ſe cum Regio Vate:* Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Pſal. 84. *Ponderent deinde tam revelatas fidei, quàm propoſitas S. Ordinis veritates, quantùm iis allatæ conveniant doctrinæ, etiam ex ſana ratione proprio approbandæ judicio, & alieno conſilio.*

4. *Juxta monitum S. Bonaventuræ* in Spec. diſc. p. 1. c. 3. *non magìs quærant ſcientiam, quàm ſaporem. Quapropter lectionem piæ ſubinde conſideratio, & jaculatoria, ut ajunt, oratio interrumpant, non tamen abrumpant; aut inflammatæ ad Deum, vel Sanctos, præſertim Patronos, aſpirationes comitentur, ac etiam ſequantur, quibus voluntas ad virtutis exercitium flectatur, ſuavìque motione inclinetur ad præſcripta media faciliùs apprehendenda, & in actum redigenda. Hac ratione ſacra lectio, vel præſens Tyrocinii ſtudium ſalubrem conferet intelligentiam, & ſcientia, quæ propter virtutem deſpicitur, per acquiſitam virtutem poſtea meliùs quæritur, utiliùs invenitur, & ſanctiùs cuſtoditur.*

5. *Ne lectio intemperata, & reprehenſione digna evadat (cùm certum ſit, ejus nimietate fatigari animum, & ad alias functiones minùs reddi diſpoſitum) certis horis certæ lectioni juxta præfixum à Magiſtro ordinem erit vacandum: nam* fortuita lectio, & quaſi caſu reperta non ædificat, ſed inſtabilem reddit animam. *ita S. Bonav. Igitur determinata, & certa ſit lectio, certúmque illius tempus, nec ultra deſtinatum terminum etiam ſacrum protrahatur ſtudium.*

6. *Quodſi quadam animi perturbatio naſceretur, & ſenſus novo confunderentur ſtudio, aliquantiſper foret ab eo ceſſandum cum diſcretione, Cap. 1. art. 3. num. 34. & 35. inſinuata.*

7. *Lectione finitâ gratias Deo referant pro illuſtratione intellectûs, & motione voluntatis, quæ ad operationem principaliter, ac ultimatò intentam eſt dirigenda:* Nihil enim, *Magnus ſpiritualis vitæ Dux S. Hieronymus pronuntiat,* prodeſt, facienda didiciſſe, & non facere. *Atque hiſce brevibus ſeptem cum fructu legendi regulis totum quoque privati ſtudii protrahendi modum complexus ſui: quibus ritè obſervatis abs dubio haud mediocrem tempore Tyrocinii profectum capietis, & tam Theoricum ſeu ſpeculativum, quàm practicum virtutum Religioſarum ſtudium uberrimorum meſſis erit fructuum.*

Nunc rem ipſam oportet vos aggredi, Chariſſimi Novitii, pro cujus initio ſit Caput I. de Vocatione, ejus æſtimatione, fine, ac de novellorum ſtudiis breviter tractans. Vos nulli jam parcite labori, ſed omnem virtutibus Religioſis acquirendis, augendis, & firmandis operam impendite, timentes vehementer, ne, dum ſæculares mores cum habitu mundano non deponitis, ſed antiquis imperfectionibus inhærentes tempus acceptabile, ac dies ſalutis veſtræ, ſcilicet Tyrocinium languidè conſummatis, quo pendet reliqua vita ſpiritualis, & communiter imperfecti novitii, imperfectiores fiunt Religioſi, aliquàndo ad cæli portam vobis dicatur: Neſcio vos. *Surgent olim contra negligentias veſtras viri Ninnivitæ, Tyrii & Sidonii, infideles, ac damnati ſæculares, qui ad tantam Religionis gratiam, ſicuti vos, nunquam pervenerunt; tantis inſpirationum ſacrarum luminibus nunquam fuerunt irradiati; tantas Deum laudandi, virtutes exercendi, bona opera accumulandi occaſiones nunquam acceperunt; cùm tamen ipſi in Religioſo ſtatu poſiti millies profeciſſent magìs; atque cum illis gratiis, quas Religioſi ubertim recipiunt, longè ferventiùs Deo forſan inſerviiſſent. Quanta tunc erit confuſio veſtra? quàm irreparabile etiam damnum altioris in cælo gradûs obtinendi, ubi nulla amplius erit hora promerendi? Hæc ſi frequenti meditatione perpendatis, pro inſtituendâ Religioſâ vitâ, eâque in continuo virtutum exercitio ferventer protrahendâ, alio haud indigebitis ſtimulo.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATÛS ASCETICI THEORICO-PRACTICI PRO INSTRUCTIONE NOVITIORUM CANONICORUM

CAPUT I.

De Vocatione, Fine, & Studiis Religioſorum Novellorum &c.

PRiusquam principia Religioſæ vitæ ponamus ob oculos, & altiora tradamus documenta, quædam prælibanda ſunt, quæ æſtimationem vocationis Divinæ ad ſtatum Religioſum concilient, ut exinde Candidati Religionis Canonicæ ſciant magnam illam æſtimare gratiam, qua ad Religioſam vitam veluti ſuavi charitatis vinculo ſunt attracti. Sicut enim *de ignotis nulla cupido*, & theſaurus abſconditus nullius utilitatis: ita etiam ſine explicatione & notitia cœleſtis vocatio ad Religionem non adeò apparebit magna. Ut ergo illius pretium à tyronibus pro merito æſtimetur, excitabit eos in hoc primo capite Art. 1. qui de æſtimatione vocationis aget. Alter finem Religioſorum Ordinum, & præſertim Canonicorum Regularium docebit. Tertius de ſignis, & ſtudiis Novitiorum practicam exhibebit doctrinam.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Æſtimatione vocationis ad ſtatum Religioſum.

SUMMARIUM.

1. *Duo recenſentur fines D. vocationis ad Religionem.*
2. *Vocatio alia ordinaria.*
3. *Alia extraordinaria eſt.*
4. *Commendatur ejuſmodi Vocatio.*
5. *Propter aſſecurationem ſalutis.*

6. & 7. *Quia eſt certa inſpiratio à Deo.*

8. 9. *Et æquiparatur Baptiſmo, ac Martyrio.*

10. *Atque merita animæ accumulat.*

11. *Expeditur quæſtio, cur aliqui à DEO medijs ordinarijs, quidam extraordinarijs vocentur ad ſtatum Religioſum?*

1 DUo communiter recenſentur ab Aſcetis fines, ob quos DEUS homines ad ſtatum Religioſum vocare ſolet. Primus eſt, ut in illo majorem perfectionem, & ſanctitatem adipiſcantur, ſecundùm illud Apoc. 22. *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Hoc modo ad Religionem vocati ſunt S. Thomas Aquinas, S. Bernardus, B. Hermanus, aliàs Joſeph dictus, & plurimi alii, qui innocentem ſatíſque laudabilem vitam priùs jam in ſæculo gerebant. Alter finis eſt, cur DEUS multos ad ejusmodi ſtatum amplectendum trahit ne æternùm damnentur; infallibili enim omniſcientiâ ſuâ DEus prævidet, in ſæculo remanentes in malas peccandi occaſiones offenſuros, in peccata lapſuros, nec propter contractos inde habitus peſſimos ampliùs emerſuros, & ultimò denique in peccatis ſuis morituros eſſe; quos proin benigniſſimè ſalvare volens hoc modo ordinariè ad Religionem vocat.

2 Dixi *ordinariè*, ut intelligatur, vocationem ad Religioſum ſtatum ſemper quidem eſſe ſpecialem DEI gratiam, utpote paucis conceſſam; modum tamen vocandi diverſum à DEO adhiberi. Ordinariè enim graves peccatores, quos ſalvos cupit, à mundanis illecebris abſtrahit, dum eorum conſcientiam internis ſtimulis exagitari ſinit, vel ad pias librorum lectiones, textus S. Scripturarum, publicas in templo conciones, aut ad aliorum exempla ita corda eorum movet, ut relicto ſæculo clauſtra religioſa petant. Hoc modo Antonius Magnus, S. Ignatius Loyola, qui ex fortuita pioru͂ librorum lectione ad Chriſti Sanctorúmque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit, ut habetur in vita, & pleríque alii converſi, religionem ſunt amplexati. Ad iſtam ordinariè vocandi rationem pertinent quoque neceſ-

ſitates, vitæ diſcrimina, bonorum temporalium jacturæ, pericula, graves metus amittendorum honorum, & famæ, timor pœnarum ſive juſtè, ſive injuſtè in foro externo incurrendarum, morbi deſperati, & ultimò horror inferni. Quocunque ex enumeratis motivo quis Religioſum Ordinem ingredietur, vitam emendaturus ſuam, & fidelia obſequia DEO præſtiturus, à DEO vocatum ſe eſſe, firmiter credere poterit.

3 Extraordinaria verò vocatio valet dici, quando DEUS ſupernaturalia, eáque externis viſionibus manifeſtata adhibet ſigna, quibus vel converſionem vitæ, vel Religionis ingreſſum perſuadet. Ita S. P. N. Auguſtinus converſus eſt, cujus cor peccatorum malitiâ depravatum, & Manichæorum hæreſi induratum non internis conſcientiæ remorſibus, non lacrymis piiſſimæ Matris, non externis ſancti Ambroſii exhortationibus permotum fuerat, voce tandem ex aëre cœlitus delapſa, & quidem repetitâ, ad illa verba S. Pauli &c. *Sed induimini Dominum &c.* liquefactum fuit, totúmque mutatum. Ita S. Laurentius Juſtinianus in optimo ætatis juvenilis flore ad amplectendum vitæ Religioſæ ſtatum mira viſione Divinæ Sapientiæ fuit vocatus, prout illius vitæ auctor, & ſcriptor Bernardus Juſtinianus apud Bollandum Tomo I. ad diem 8. Januarii in hæc verba teſtatur: „Annum erat natus undevigeſimum, ejus ſcilicet ætatis, in qua „carnis illecebræ ancipitem facere „ſolent humanæ vitæ viam. Dominus autem JEſus manum illi „adhibere volens apparuit illi, ſicut „ipſe in eo libello, qui faſciculus „amoris inſcribitur, meminit. Ipſius verba ſubjiciemus: eram veſtri ſimilis, quærens æſtuanti deſiderio pacem in rebus extrinſecis, „nec inveniebam. Tandem quædam virgo ſole ſplendidior mihi „apparuit, cujus nomen ignorabam; hæc propiùs accedens venuſto vultu, placidóque affatu, „ô Juvenis, inquit, dilecte, cur effundis cor tuum, & pacem ſectando per multa variaris? quod quæris, penes me eſt: quod concupiſti, tibi polliceor, ſi tamen in „ſponſam me habere volueris. Cùm „verò nomen ipſius & genus, & „dignitatem ſcire peroptarem, ſe „ait Sapientiam DEI eſſe, quæ propter hominum reformationem humanam formam ſuſcepit. Aſſenſi igitur, & dato pacis oſculo læta „diſceſſit &c. atque hac viſione perculſus rem detulit ad Marinum Quirinæ matris ConſobrinumCanonicum Regularem S. Georgii in Alga, qui fuit tam vitâ, quàm doctrinâ ſanctiſſimus, & Laurentium relinquere ſæculum, atque paratas jam nuptias ſpernere docuit, ut mox in dicto cœnobio Canonicorum Regularium S. Aug. habitum ſuſceperit. Similequid contigit Joanni de Muſelino Presbytero, cui, ut refert Godefr. Henſchenius in vita B. Bonæ Virginis ad diem 29. Maij,

etiamnum Pariſiis literarum ſtudiis inſiſtenti Angelus Domini apparuit dicens: *Joannes Divinam exequens voluntatem vade Piſas, & ibidem à Priore & Fratribus Monaſterij S. Martini poſtulabis, recipi in Canonicum Regularem S. Auguſtini.* Obedivit ſine mora Divinæ vocationi Joannes, ibique ſub Auguſtini Regula militans DEO erat acceptus, & hominibus gratioſus &c. Pari modo in nocturna viſione vocantem DEUM ſecutus fuit S. Franciſcus: & B. Aloyſius Gonzaga vocationem ad Societatem Jesu à B. Virginis Mariæ imagine diſertis verbis accepit. Quòd autem Divina bonitas alios ordinariis, alios extraordinariis ſignis, utroſque ſpeciali ſanè gratia ad S. Religionem vocare dignetur, ad finem hujus Articuli breviter inſinuabo pro captu tyronum, & ad quoſdam ſcrupulos ex curioſa ratiocinatione promanantes, obſtruendos. Interea vocationem talem pretioſam, atque ab omni Religioſo ſummè eſſe æſtimandam, ex ſequentibus demonſtro cauſis.

4 Inprimis in Religione, teſtante S. Bernardo, *homo vivit puriùs, cadit rariùs, &, ſi ceciderit, ſurgit velociùs, purgatur citiùs, idque inſtar Baptiſmi.* Ex quibus certò deducitur, hominem præſertim malis habitibus, & vitioſis conſuetudinibus obnoxium nullibi magìs in terris pro ſuis peccatis ſatisfaciendi, ſeque totum ad DEUM convertendi occaſionem habere poſſe: *Clauſtra enim ſunt pœnitentiæ loca, & qui in ſæculo à Dæmone pravis affectibus fuêre devicti, ibi victores evadunt:* ſic S. Iſidorus Peluſiota L. 2. Ep. 27. Palladium Diaconum admonet: & S. Ephrem hortatur: *ex prælio, ubi vulnus accepiſti, ſtude victoriam reportare: in loco, ubi theſauro ante ſpoliatus es, potes eundem recuperare.*

Secundò. Aſſecuratio, & certa ſpes ſalutis in religione aſſervatur. 5
Vel enim ad illam à DEO vocatur aliquis innocens adoleſcens, vel gravis peccator? prior ſecurus ſit ſuæ ſalutis, quia *placens DEO factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt: raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum:* Sap. 4. in quas illum lapſurum fore, ſi diutius in ſæculo permaneret, DEUS prævidet. Etſi enim multi in ſæculo ſalvari poſſint, ſunt tamen aliqui, *qui, niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenus poſſunt;* ut ſcribit S. Greg. Magnus ad Mauritium Imperatorem l. 2. Ep. 61. Lubrica illius ſpes eſt, qui inter fomenta peccati ſalvare ſe poſſe ſperat; incerta eſt victoria inter hoſtilia arma pugnare; & impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere. Poſterior ſecurus eſt ſuæ ſalutis, cùm DEUS promittat ei vitam Ezech. 33. v. 11. *nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Ubi verò in terris major habetur peccatoris converſio, qui non modò munda-

nas

is concupiſcentias, peccandi pe-
:ula, carnis commoda, ſed etiam
, quæ licitè ſervare poſſet, do-
um, patrem, & matrem, uxo-
m, filios, fratrem, ſororem, agros
c. propter Dominum relinquit,
ı non talis ſalutem ſperet? cùm
ſa veritas Divina atteſtetur: *cen-
plum accipiet, & vitam æternam
ſſidebit. Impoſſibile eſt, mentiri
EUM*, ait S. Chryſoſt. L. de pro-
d. *Promiſit autem ille vitam æter-
am iſta relinquentibus. Reliquiſti tu
nnia iſta, & abjeciſti? quid igitur
ohibet de hujusmodi confidere pro-
iſſione, & eſſe ſecurum?*

Vocatio ad Religionem eſt in-
ıiratio certa à DEO, prout docet
. Thomas 2.2. q. & art. ult. ad 1.
's, *qui ad Religionem accedit, non
teſt eſſe dubium, an propoſitum de
greſſu Religionis in corde ejus exor-
m ſit à Spiritu DEI, cujus eſt ducere
minem in terram rectam.* Talis
rò inſpiratio, quâ ſentit ſe quis
l ſtatum religioſum interiùs voca-
, ſeu incitari, non poteſt prove-
re à *natura noſtra*, quia hæc diffi-
ltates in Religione aſſuetas fugit,
naturaliter abhorret. Nec *à Dæ-
me*, qui ſumoperè averſatur ani-
as peccatorum catenis ligatas tali-
r ſibi eripi: ſequitur ergo ex do-
rina S. Thomæ q. mox cit. eſſe
ntùm *à DEO*, qui interiùs movet
ominem, ut in ſtatu ſæculari oc-
ıſiones peccandi, ſalutis pericula,
æternas pœnas animo revolvens,
l Religionem tanquam ad tutiſſi-
ıum aſylum confugiat. Deindè
licèt hæc cogitatio intrandi in Reli-
gionem non eſſet à DEO; hæc ta-
men eſſet amplectenda, quia ap-
paret ſecurior. Nam, ſi bonus ſua-
deret amicus, qui ſciret viam eſſe
latrociniis famoſam, per quam al-
ter tranſire cogitat, aliámque
ex animo oſtenderet, qua ſecu-
rè ad terminum ſuum pervenire poſ-
ſet, nunquid ille conſilium amici
reſpueret, ſeſéque in periculum
conjiceret? At verò in mundo gra-
via ſunt pericula æternam damna-
tionem incurrendi, ubi S. Bernardo
ſuadente ſerm. 3. de Circumciſ. *alij
venenatis perſuaſionibus, alij undi-
que exemplis pejoribus ad peccatum al-
liciunt, alij adulationibus in vanam
gloriam, alij detractionibus in impa-
tientiam animum ejus dejiciunt.* In-
clamat inſuper hic S. Pater Chriſtia-
no viatori: *periclitatur caſtitas in
deliciis, humilitas in divitiis, pietas
in negotiis, veritas in multiloquio,
charitas in ſæculo nequam. Fugi-
te de medio Babylonis, fugite, &
ſalvate animas veſtras in terra ſan-
cta*, quæ eſt Religio, ubi ſub di-
ſciplina regulari tuta eſt caſtitas,
in paupertate humilitas, in obe-
dientia pietas, in ſilentio veritas,
in ſui abnegatione charitas. Pe-
riculoſus igitur ſtatus ſæcularis verè
perpendenti videtur; tutus econtra,
& pro conſecutione ſalutis abſolutè
tutior ſtatus religioſus: ergò hic ſta-
tus præferendus alteri, & præeligen-
dus eſſet, utpote via ſecura, & pro-
pinquior ad terminum, atque me-
dium aptius ad finem hominis. Nec

quis expectare deberet vocationem DEI, revelationem ab angelo, conſilium aliorum pro electione hujusce ſtatûs, cùm abſolutè ſit melior; ſicut nullus prudentis judicii conſilium peteret pro aſſumenda veſte pretioſa præ attritâ.

7 Quòd ſi verò inſtinctu Diaboli Religionem aliquis ingrederetur, vocationem ejusmodi bonam eſſe aſſerit S. Thomas Opuſc. 17. c. 10. *detur*, inquit, *quòd diabolus aliquem incitet ad Religionem intrandam, hoc opus bonum eſt, & bonis angelis congruum; unde non eſt periculum, ſi quis ei in hoc conſentiat, ſed vigilandum erit, ut ei reſiſtatur, cùm ad ſuperbiam, vel alia vitia inceperit ducere.* Qui itaque ſecundùm Religionis ſtatuta bene viveret, & præcepta regularia obſervaret, ſalvaret animam ſuam, & non minus Diaboli conſilium, quàm hoſtilia arma in proprium converteret ducem. Ratio autem hujus eſt: quòd etiam diabolicæ ſuggeſtiones à nobis bono fine, intentione, modo, aliisque ex circumſtantiis poſſint accipi, & ita à malo depurari, & moraliter cohoneſtari; cùm præcisè ſecundùm ſe nullam malitiam, uti eſt ingreſſus in Religionem, involvant. Sic utique poteris accipere ſalubrem medicinam ab impio medico, theſaurum ab inimico?

8 Magnifacienda inſuper eſt S. Vocatio, quia Religio æquiparatur Baptiſmo, & Martyrio; Baptiſmo quidem, quia ſuſceptionem habitûs religioſi SS. PP. *ſecundum Baptiſma* communi titulo appellârunt: cujus rationem aſſignat S. Thomas 2. 2. q. 189. a. 3. *ad* 3. quòd eandem gratiam conſequantur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati: acquirunt enim remiſſionem ſuorum peccatorum, dum ſe totaliter per Religionis ingreſſum Divino obſequio mancipant: quod excedit omne genus ſatisfactionis pro peccatis, etiam publicæ pœnitentiæ, & eleemoſynæ; hujus etenim loco expenduntur bona temporalia, & ſic peccata redimuntur: per ingreſſum verò homo ſeipſum totum DEO offert, quod multum, & longè majus eſt, ut habet S. Greg. M. hom. 33. in Evang. Inſignem iſtum favorem S. Th. L. cit. extendit etiam ad Novitios pro magna eorum conſolatione, qui ſe & ſua plenè, ac ferventer DEO tradunt, libertatem, & voluntatem propriam Superioribus propter DEUM ſubjiciunt, abnegando in ſe, quidquid abnegare poterant. Loquitur enim S. D. de quodam, qui habitum Religionis aſſumpſit, quòd ſuper eum Spiritus ſanctus deſcendere ſit viſus per gratiam, ſicut ſuper baptizatum in 4. diſtinct. 4. L. 3. q. 3. Neque id de profeſſione religioſa tantùm intelligi oportet, cùm antiquis illis temporibus, de quibus exemplum ponitur, nondum fuerit ſolennis emiſſio votorum. Probatur etiam exemplo S. Simeonis Sali, ut habetur in ejus vita; cui, cùm ad monaſterium S. Niconis habitum monaſticum ab eo ſuſcepturus veniſſet, quidam

quidam ex fratribus dixerunt: Beati eſtis, quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis, ab omni peccato, perinde ac ſi ipſo die eſſetis baptizati. Deinde ſi S. Catharinæ nondum votis religioſis adſtrictæ *pro derelictione conſanguineorum dimiſſa ſunt peccata ſua*, uti revelavit B. V. S. Birgittæ illius Matri, Revelat. extrav. cap. 69. remiſſionem parem conſequi merentur pii novelli Religioſi, qui parentes, & propinquos ſuos propter DEUM reliquerunt. Pii, inquam, & ferventes, non tepidi Novitii, aut ad tempus hypocritis ſimiles fervorem conſervantes, aut egreſſum cogitantes, hanc gratiam ſperent; nemo enim manum mittens ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.

9 Martyrio quoque æquiparatur, imò aliqua ratione Religioſi ſuperant cruentos Martyres, cùm diutiùs tolerent pœnas, & moleſtias; *genus* quippe *martyrij eſt*, ait S. Bern. Serm. 30. in Cant. *ſpiritu facta carnis mortificare* (quod in Religioſo tribus obſtricto votis perpetuò exerceri oportet) *non illo nimirum, quo membra caduntur, ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Oſtenditur autem hæc veritas ſequentibus argumentis.

1. Religioſi ſunt Martyres; quia per religioſam profeſſionem ſe totos DEO tradiderunt, & in continuo virtutum exercitio verſantur: quod, cùm naturæ adverſetur, à S. Cypriano *glorioſum virtutum Martyrium* appellatur: & S. Hieron. epiſt. 27. in Epitaph. S. Paulæ gloriatur: *Non ſolùm enim effuſio ſanguinis in martyrio reputatur, ſed devota quoque mentis ſervitus immaculata quotidianum martyrium eſt.*

2. Religioſi ſunt martyres, quando libenter patiuntur pro DEO perſecutiones, malevolentias, contumelias, vel ſuſtinent patienter, præſertim ſi Superiores ſint, detractiones, murmurationes, judicia in deteriorem partem accepta; quæ omnia accumulandis Religioſorum meritis DEUS imittere ſolet, & ut eos Martyribus ſimiles efficiat; uti ait S. Gregor. M. hom. 35. in Evang. *mori à perſequente martyrium in aperto eſt, ferre verò contumelias, odientes diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.*

3. Martyres habentur *propter paupertatem*; non enim martyrium gravius eſſe videtur S. Bernardo, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias. *Propter Caſtitatem*, quæ in juventute ſervata martyrium eſt ſine ſanguine, juxta ſententiam Doctoris Mellifluí: & S. Ambroſius L. 1. de Virg. *non ideo laudabilem* pronuntiat *virginitatem* (idem fit de caſta vita) *quia & in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat. Propter Obedientiam*; dum aliorum arbitrio ſe ſubjiciunt, ſæpè moleſta, injucunda, & propriæ voluntati contraria, difficiliáque faciunt: quod ipſum *Marty-*

Martyrij habet diadema: ut ait S. Theodor. Stud. Serm. 52.

4. Quia boni Religioſi vitiis, inordinatis appetitibus, malis inclinationibus continuum indicunt bellum, &, ut magìs conformes fiant ſuo Capiti, Chriſto, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis; hinc glorioſos ſæculi triumphatores Chriſti Martyres appellat S. Aug. ſerm. 250. de temp. *nemo dicat, quòd temporibus noſtris martyrum certamina eſſe non poſſint; habet enim & pax noſtra Martyres ſuos: nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, pars magna martyrij eſt.*

5. B. V. Maria ob intenſiſſimum amoris affectum, & exortos inde compaſſionis, gladii inſtar animam pertranſeuntis, dolores, quos in paſſione Chriſti ſuſtinuit, *plùs quàm Martyr* à S. Bernardo ſerm. 7. de Aſſ. ab Eccleſia verò *Regina Martyrum* colitur. Pariter pro viribus ſuis boni Religioſi amore DEI ſuccenſi, & proximorum charitate ferventes ingenti cruciantur dolore propter Sæcularium peccata, & horrenda ſcelera, quibus DEUS amantiſſimus offenditur. Unde *cor hominis tantùm in ſe dolet, quantùm amat.* L. 4. Revel. S. Birg. c. 28. Hanc ob cauſam S. Thereſia S. Mariam Magdalenam, & S. Maria Magdalena de Pazzis B. Aloyſium Martyres revelârunt.

6. Denique Religioſi illi Martyribus aſſimilantur, qui non tantùm proximorum calamitatibus, diverſiſque injuriis compatiuntur, verùm etiam ex charitate probabili periculo mortis aut ſanitatis ſuæ diſpendio ſe exponunt, tempore belli, peſtis, vel egeſtatis miſeros, & morientes ſpiritualibus ſolatiis adjuvantes; id enim S. Laur. Juſtinianus de S. Martino clarè aſſerit: *magnum prorſus eſt martyrij genus, ultro ſe pro Chriſti honore dare periculis*: & Martyrologium Rom. ad 28. Februarii, morbô laborantibus miniſtrantes, mortémque libenter ex charitate appetentes, *velut Martyres* veneratur.

Magnam etiam æſtimationem 10
religioſo ſtatui conciliat ingens meritorum cumulus; cùm enim qui Religionem ingreſſus eſt, aut profeſſus, ſe totum DEO in ſacrificium perpetuum obtulerit, ſolemnibúſque votis ad id obſtrinxerit, quòd ſecundùm ſtatuta Ordinis in virtute S. obedientiæ vivere impoſterum velit; ſequitur, omnia ejus opera etiam vilia, ex eadem, & prima intentione facta, eſſe continuò meritoria, non ſecus, ac ſi quis propoſitum habeat, centum drachmas DEI causâ elargiendi &c. omnes oblationes ſunt bonæ, etiamſi deinde in ſingulis largiendis nullam de DEO cogitationem habeat; ut loquitur S. Bonav. relatus à Plato. L. 1. c. 33. Deinde innumeræ ſunt omnibus S. Ordinibus conceſſæ indulgen-

Digitized by Google

dulgentiæ, quarum infinitô penè theſaurô Canonici Regulares à S. Pontificibus condonati ſunt, quem etiam (volente DEO) aperiemus, ut tam Novitii, quàm Veterani tantis opibus Spiritualibus illecti depromere avidiùs optent, & per eas cœleſtem gloriam mercari diligentiùs addiſcant. Atque hæc ſint breviter relata, cùm longè plura animo tenere temporis anguſtiæ jubeant, quæ vocationem ad ſtatum Religioſum, & hunc ſummæ in terris venerationi, ac ſpeciali præ aliis Divinis gratiis æſtimationi exponunt, ut meritò S. Laurentius Juſtinianus cap. 9. vit. pronuntiaverit, *conſultò DEUM gratiam Religionis hominibus occultâſſe, ne, ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent.*

Tu igitur Religioſe pro tanto beneficio non modò ſingulis diebus, ſed continuis quaſi momentis Divino Largitori gratias non ſolùm verbis, ſed etiam corde, & opere repende: tunc enim vera poterit dici gratitudo, ſi ex actibus, religioſis exercitiis, DEUS laudem conſequatur, caveáſq; ne in eadem recidas, quæ antea improbanda evaſiſti; ut loquitur aureus Orator Chryſ.

Nunc tandem à ſcrupuloſa illa quæſtione breviter me expediturus: Reſpondeo, ideo DEUM diverſos ſalvandi hominem, & ex hoc ad ſtatum Religioſum vocandi adhibere modos, quia varia eſt hominum tum piorum, tum perverſorum natura, ejúſque complexio. Hinc ſæpè multi, ututboni, ſalvari ſe poſſe in ſæculo opinantes, non ad quodvis conſilium, aut internam inſpirationem omnia deſerentes Religionem ingrediuntur, ſed efficaciori indigent gratiâ: alii verò, niſi ſigna viderint, non credunt, prædeſtinationis Divinæ ſeriem ordinatam eſſe ad ingreſſum in Religionem, quam certò negligerent cum ſalutis æternæ diſpendio, niſi extraordinariis mediis à DEO providerentur; *quos* enim DEUS *prædeſtinavit* (ut ſalvarentur ad gloriam) *hos & vocavit*: *Rom.* 8. Pulchrè hanc veritatem expreſſit S. P. N. Aug. quia expertus eſt, *L.*1. ad Symplicianum Q. 2. *Cujus DEUS miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* & *L.* 1. *Q.* 1. *alius ſic, alius autem ſic movetur ad fidem* (dico ego: ad ſtatum Religioſum amplectendum) *eadémque res ſæpè alio modo dicta movet, alio modo dicta non movet, aliúmque movet, alium non movet.* Ita pariter Divina bonitas infinita habet remedia, modos, & gratias, quibus electos ſuos in odorem ſuavitatis trahat, ut viam mandatorum ſuorum ſub diſciplina, & Ordine regulari currant, nec ampliùs ad ſiniſtram declinent, uſque dum bonæ vitæ curſus beata morte terminetur, ſeu potiùs ineffabili gloria innovetur perpetua vita. S. Thomas quoque hanc docuit veritatem *q. 6. de verit. a. 3. in corp.* ubi inquit: *liberum arbitrium defi-*

Digitized by Google

cere poteſt à ſalute (ut contingit in peccatoribus, quos ex propria malitia fore reprobos DEUS prævidet) *tamen in eo, quem DEUS prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel ſi cadat, quòd reſurgat.*

Quare autem aliis tam valida per vocationem ad Religioſum ſtatum auxilia præparet, ut ſe vocantem non reſpuant; aliis minorem (ſufficientem tamen) gratiam tribuat, cum qua vocationem ſuam negligunt, aut per egreſſum è Religione inefficacem reddunt, ac poſtea præciſo prædeſtinationis filo in hujus ſæculi labyrintho miserè pereunt, diverſitatem hanc Divinæ voluntatis beneplacito adſcribere debemus. Sicut enim gratioſæ prorſus voluntati cujusdam Regis tereni imputandum, ſi ſubditorum ſuorum aliquos absque præviis eorum meritis ad regium vocari convivium jubeat, eìsque, ut certiùs compareant, inſuper regios currus ſubmittat: aliquos verò communi ſolùm edicto, aut per præconem invitat, qui minoris æſtimantes gratiam regiam poſtea emanent, & prætenſis negotiis domeſticis ſuæ ſe abſentiæ excuſant, non emanſuri, ſi regales æquè currus ſibi deſtinatos etiam obviam habuiſſent. Sic multi ſunt vocati, pauci verò electi. Nobis interea ſufficiat, vocatos ad Religionem eſſe etiam electos conditionatè, ſi nempe vocationem ſuam exequantur, & bonîs operibûs certam faciant; ut monet Apoſtolus.

ARTICULUS II.

De fine Religioſorum Ordinum, & præſertim Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

12. *Duplex finis S. Ordinum.*
13. *Communis, propter quem à DEO inſtitutus ſtatus Religioſus.*
14. *Particularis Canonici Ordinis.*
15. 16. 17. *Inferuntur quædam ex dictis pro praxi.*

12 QUI vocatur à DEO ad ſtatum Religioſum, vel eundem ſuſcepto habitu jam amplectitur, finem ſibi præfigat non qualemcunque, oportet; cùm enim intentio judicet omnes, ab hac bona, vel mala facilè quivis Religioſus bonus, aut malus, an propter DEUM & ejus gloriam, vel propter amorem proprium id faciat, diſcerni poterit: *Magni intereſt* (S. P. N. Aug. in *Pſ.* 118. monet nos) *cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione* (ideſt, intuitu & fine) *faciamus: officium* (ſeu actio)

Digitized by Google

actio) *quippe noſtrum non initio, ſed fine compenſandum eſt, ut ſcilicet non tantùm, ſi bonum eſt, ſed præcipuè, ſi bonum eſt id, propter quod facimus, cogitemus.* Bona eſt per ſe quælibet Religio: ut ergo etiam in eam ingreſſus ſit bonus, à fine ſeu intentione ingredientis metiendum eſt. Pro cujus rei meliori notitia notandum eſt, duos eſſe fines, *communem* nempe, & *particularem*, propter quos S. Ordines à DEO ſunt inſtituti. *Finis communis* eſt, in quo omnes ſacri ſtatus Regulares conveniunt, & propter hunc ad eandem ſimul metam contendunt. *Particularis* eſt, propter quem ſingularis quilibet Ordo fuit fundatus, ſpeciali S. Regula, aut ſtatutis vim regulæ habentibus munitus; quibus diverſis ſtatutis, aut Regulâ S. Ordines ab invicem diſcrepant, eò quòd eorum Fundatores certum, ſed diverſum tendendi ad perfectionem charitatis in hac vita modum præfixerint. Sicut S. Baſilius per obſervantiam vitæ paſſivæ, ſeu contemplativæ in ſilentio, & humilitate, in concinenda laude Divina, & reſiſtentia propriæ naturæ: cujus veſtigia poſtea S. Benedictus ſecutus eſt. S. Bernardus per arctiorem vitæ diſciplinam ſub eadem ſacra ſancti Benedicti Regula. S. Bruno Carthuſianus per adjectum inſuper rigorem perpetuò geſtandi cilicii, & ſervandi ſilentii, quibus Carthuſiani ſub gravi obligantur peccato, S. Franciſcus Seraphicus omnimodum poſſeſſionum terrenarum, & corporis comoditatum abnegationem. S. Franciſcus de Paula per abſtinentiam ab omni carne comedenda &c. Omnes, inquam, beatiſſimi iſti, aliíque S. Ordinum Patriarchæ per vitam paſſivam ſeu contemplativam ſub particulari Regula ad finem ſuum tendunt. Alii verò vitæ paſſivæ activam conjungentes non tantùm perfectionem propriarum animarum, ſed etiam ſalutem proximi impensè procurare ſub particularibus conſtitutionibus nituntur; uti S. Auguſtinus, & cum ſanctiſſimo hoc Duce Canonicus Ordo noſter: S. Ignatius Loyola, & cum eo inclyta Societas &c. Alii activam ſolummodo profitentur; quales in Eccleſia ſunt Ordines militares, qui præter alia ſub voto pugnandi contra hoſtes Fidei, eámque proprio ſanguine defendendi finem particularem conſequuntur.

Fines communes referuntur, 13
propter quos à DEO ſunt inſtituti S. Ordines, ideóque ambiri poſſunt:

1. Ut in ſtatu Religioſo homo ſalutis ſuæ amans evadat pericula eam amittendi; cùm enim totus mundus in maligno poſitus ſit 1. Joan. 5. & B. Antonius eum laqueis plenum viderit, meritò Chriſtus admonuit 1. Joan. 2. *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.*

2. Ut non ſolùm ſit ſine periculo, ſed etiam ſecurus ſuæ ſalutis conſequendæ, ſi juxta leges, & Re-

gulam ſui Ordinis vixerit; ut docuit Chriſtus Matth. 19. & Marci 10. Item S. Chryſ. ut ſupra n. 5. retulimus.

3. Ut ſatisfaciat pro peccatis commiſſis; aptiſſimus eſt enim ſtatus Religioſus illis pœnitentiâ diluendis; ut n. 4. fusè diximus.

4. Ut ſanctiùs, & perfectiùs DEUM colat, amet, majora acquirat merita, & tandem majorem in cœlo gloriam conſequatur.

5. Ut ſimilior evadat Chriſto Domino, & SS. Apoſtolis vivendo in perpetua caſtitate, paupertate, & obedientia: ſicut illi ad Magiſtri ſui exemplum vivebant; nos verò ab eodem per Apoſtolum Paulum ad ſequelam allicimur: *1. Corinth. 11. imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

6. Ut homo in Religione perfectè vivendo perfectiùs adimpleat Chriſti doctrinam, mundo univerſo traditam Lucæ 14. *ſi quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem &c.* & iterum 26. *qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus &c.* Atque iſti enumerati potiſſimùm fines omnibus S. Religionibus communes ſunt; proin qui aliquem ex his habuerit, ideóque Religioſum ſtatum ingreſſus fuerit, bono ſatìs fine id feciſſe exiſtimetur; modò intentionem ſuam aliâ, & malâ non corruperit; ſicut inferiùs ſtatim docebimus.

Finis particularis Apoſtolici Ordinis noſtri eſt: 14

1. Ut Canonici poſt emiſſam profeſſionem Regularem in uno Collegio ſtabiliter, & unanimiter vivant, ſitque illis cor unum, & anima una in DEO; uti innuit S. Reg. cap. 1. n. 1.

2. Ut Laudem Divinam in Choro, officium ſacrum in Collegiata ſua Eccleſia quotidie, & perpetuò perſolvant; ad id enim Canonicus Ordo ab Apoſtolis introductus erat, ut orationibus inſtarent horîs & temporibûs conſtitutîs, in pſalmis, & hymnis orantes DEUM. S. Reg. c. 2.

3. Non tantùm Canonicis deputatio eſſentialis ad Divina miniſteria, ſed etiam paſtoralis animarum cura finis peculiaris habetur; quem S. Regula exprimit in limine: *ante omnia diligatur DEUS, deinde proximus*; ſed dilectio proximi conſiſtit in opere, ut docet S. Joan. *epiſt.* 1. c. 3. v. 18. Et opus Clerici aliud non eſt, niſi proximum inſtruere, ignorantes Evangelicum verbum docere, adminiſtrare Sacramenta, & Eccleſias etiam Parochiales regere; prout oſtendit hodiernâ experientiâ Aubertus Myræus *cap. 5.*

Plures alios particulares fines, ſed minùs principales, eruet, qui Ordinis noſtri Scriptores legerit, Eminentiſſimum Cardinalem Jacobum Vitriacum, Reverendiſſimos Pennotum, Auguſtinum Ticinenſem, Trullum &c. alióſque plures, & nos

Digitized by Google

ıos quoque infra cap. 11. plura re-
ıcremus de hac materia.

Ex dictis infertur primò, malè
ıgere illos, qui Religionem ingre-
diuntur propter carnis commoda, ut
vitam ſuam ibi in otio quietiùs tra-
ducant, tantùm neceſſaria ad vi-
ctum, & veſtitum habeant, ege-
ſtatem, labores, curas fugiant, ſpe-
cioſa officia, & dignitates adipiſcan-
ur, nihil interea de perfectione vi-
æ inſtituendæ cogitantes, nullúm-
que ſibi ex ſupra enumeratis finem
præfigentes. Pejus adhuc agunt,
ui intentionem graviter peccami-
oſam in ingreſſu ſuo habent, eám-
ue fovent non ſine exiguo Religio-
is, & Regularis diſciplinæ damno;
ıles enim poſt annum probationis
ım illa intentione vitioſa profeſ-
onem, & tria vota Religioſa non
oſſunt emittere, emiſſam verò in-
ılidant, ac adeò graviter Religio-
em decipiunt; cùm poſtea non ſi-
: confuſione, & aliorum ſcandalo
ıt ejiciendi.

Infertur 2. non bene agere,
ui S. Ordinem ad tempus tantùm
robare volunt; tales enim afferunt
cum voluntatem non manendi;
ıi, ut Math. 13. dicitur, *facta tri-
ılatione & perſecutione continuò
ındalizantur*: quia non habent in
radicem, ſed ſunt corporales.

2. Iſti in ſuis ſolùm viribus,
n in gratia Divina, cum qua om-
ı poſſumus, confidunt; quod eſt
ntra Iſai 40. v. 31. *qui ſperant in
ımino, mutabunt fortitudinem,
aſſument pennas ſicut aquilæ; current,
& non laborabunt, ambulabunt, &
non deficient.*

3. In rebus ad Religionem per-
tinentibus diſcernere, judicare, ap-
probare ſuperioris eſt, non ſubditi;
qui proin hac ratione Religioni
injuriam infert, cùm abſque dubio
judicari debeat, ſicut eſt in ſe, bona;
ut docet S. Th. 2. 2. q. & *A. ult.*

4. Vocatio ad tempus ſequen-
di Chriſtum non eſt dicenda voca-
tio: quia vera vocatio petit conver-
ſionem totius hominis in DEI ſervi-
tutem, ita ut illam deſtinet in per-
fectionem Evangelicorum conſilio-
rum, & renuntiationem omnium
bonorum mundi.

5. Quia tales non ſunt apti re-
gno DEI, qui retroſpiciunt, neque
ſeſe participes reddunt illorum me-
ritorum, quæ acquirunt boni No-
vitii, effectu & affectu omnia mun-
dana relinquentes, ac ideo baptiſ-
mi gratiam conſequentes; ut n. 8.
ſupra diximus. *In ſua* proin *voca-
tione unusquisque maneat*; uti monet
Apoſt. 1. *ad Corinth.* 7. & ſtatum
ſemel per gratiam DEI electum con-
ſtanti animo conſervet, ſuperioribus
ſe relinquendo, qui de viribus cor-
poris, animi propenſionibus, &
Religionis impedimentis Novitii
perſeverantiam dijudicabunt.

Infertur 3. licitum, & bonum 17
eſſe ingreſſum Religionis, ſi quis
pro fine ſuo primario præſtitueret
DEUM, & ejus gloriam ex aliquo
motivo n. 13. enumeratorum; pro

Digitized by Google

fine verò ſecundario, & magìs, ut ajunt, ingreſſum facilitante, haberet commodam vitæ ſuſtentationem, applicationem ad ſtudia, officia ſpiritualia ſine ambitione tamen, utilitatem quietioris vitæ, aliáque hujus generis ſecundùm ſe indifferentia &c. Ratio eſt; quòd tali modo non præjudicetur fini primario, qui ſpecificam bonitatem tribuit actui, & eſt obſequium DEI, quod ab ipſa Religione, & Monaſteriorum fundatoribus intenditur. Deinde ſuſtentatio, vitæ quies &c. eſt ſecundùm ſe non prohibita, ſed honeſta, & appetibilis: ergo non valet actum bono fine primario elicitum dehoneſtare.

Atque hæc pro captu Novellorum Religioſorum; qui ex iſtis ſuam intentionem examinare, & malam, ſi deprehenderint, tempeſtivè corrigere poſſunt, ne in vanum laborent, merita deſtruant, ac in S. Ordine velut in ſtadio virtutum incertum currant, atque aërem verberantibus ſimiliores quàm pugnantibus damnationem pro gloria cœleſti ſibi accumulent.

ARTICULUS III.

De Studiis, & Signis Novitiorum.

SUMMARIUM.

18. *Purificatâ intentione, obſervet Novitius ſequentia.*
19. *Ardens deſiderium in ſe excitet perſeverandi in Religione.*
20. *Sæcularia ex animo relinquat.*
21. *Se totum tradat Magiſtri directioni.*
22. *Eum frequenter accedat.*
23 *Sui confuſionem non horreat.*
24. *Particularem fugiat amicitiam.*
25. *Peccatum deliberatè nullum committat.*
26. *Conſcientiæ rationem habeat.*
27. *Superiores revereatur.*
28. *Opera ordinaria ferventer peragat.*
29. *Amorem ſuæ Religionis habeat.*
30. *Partes temporis bene collocet.*
31. *Nihil ſibi optet ſpeciale.*
32. *Signa proficientium.*
33. *Notanda*
34., & 35. *Quid agendum perturbato animo. Tandem præſens caput piiſſimi Novitii vita exemplaris concludit.*

18 POſt examinatam de habita in ingreſſu intentione conſcientiam, eâque ad Religionis ſuæ finem directâ, ac, ſi mala fuiſſet, purificatâ, totum animum ſuum ſtatim eò convertat Novitius, in quo corrigat adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones ſui Magiſtri, in obſer-

obſervando admonitiones & præcepta, in exequendo diligentiſſimè præſcriptas ab eo regulas.

Tradere autem ſolent Aſcetæ pro communi Novitiorum ſtudio monita ſequentia, quæ hìc contracto calamo conſcripta pono, ne diffundatur animus, ſed, omiſſis rationibus ſpeculativis, ad piam praxin omnia faciliùs redigere ſtudeat. Itaque

19 §. 1. Summo conatu, & frequenti conſideratione excitet in ſe ardens deſiderium totâ vitâ ſuâ in Religione, quam ingreſſus eſt, permanendi, omnésque illius regulas, & ſtatuta accuratè ſervandi. Hoc modo evadet Novitius periculum perdendæ vocationis, omnia obventura contraria patienter pro Deo ſufferet, & donum perſeverantiæ retinebit.

20 §. 2. Perfectè omnia in ſæculo habita, poſſeſſa, quæcunque chara animo ſincero derelinquat, omnémque affectum à ſe expellat ſodalium, conſanguineorum, ac etiam Parentum, quos ſuis precibus ſoli DEO commendet, cæteras cogitationes abjiciat, tanquam nocivas; generant enim inordinatam triſtitiam, & minuunt ſpiritum. Honorem, æſtimationem, ſcientiam, nobilitatem, reputationem vero rerum omnium contemptu permutet, nihil ſibi debere exiſtimans præter abjectionem, derelictionem, confuſionem; ſic enim erit verus Chriſti diſcipulus.

§. 3. Se totum tam quoad animam, quàm quoad corpus, & actus externos directioni Patris, & Magiſtri ſpiritualis tradat, quem filiali prorſus affectu amet, revereatur, timeátque. Eidem omnes tentationes moleſtas & frequentes, gravamina, adverſitates, ac perturbationes animi fideliter, ſincerè & integrè aperiat. Mala etiam conſilia, ſi quæ acciderent ab aliquo, atque perſuaſiones pravas ſtatim detegat ſine ullo perſonarum reſpectu. Quoties ab ipſo exigitur, omnes ſuas inclinationes, propenſiones, defectus, & errores, modum etiam exercendi ſe in omnibus operibus bonis ſine velamine, & fideliter manifeſtet. 21

Similiter averſiones, diſplicentias propter acres admonitiones, pœnas, & diſciplinæ rigorem, & ejusmodi tentationes, quæ Novitio accidere ſolent erga Magiſtrum, ſtatim excludat, nunquam admittat, ſed ſine dilatione prodat, ſeipſum propterea accuſet, ac pœnitentiam petat. Sic ab ipſo fugiet Diabolus, conſcientia ſerenabitur, fiducia augebitur, & anima mirum in modum proficiet.

§. 4. Ultrò & non vocatus ſæpè ſuum Magiſtrum accedat etiam poſt ſeveras & acerbas correctiones ab illo acceptas. Quare omni timore ſepoſito frequenter optet illi colloqui tanquam filius amandiſſimo Patri, & ab eo directionem omnem haurire deſideret ideo: 1. quoad vitanda, & minuenda in dies peccata, 22

cata, & imperfectiones in moribus. 2. quoad virtutum acquiſitionem. 3. quoad perficiendas majori cum fructu actiones tam internas, quàm externas. 4. quoad excluſionem diffidentiæ, & otioſitatis præſertim tempore, quo aliàs ſub recreatione honeſta conceduntur colloquia: ubi occaſio quoque erit dubia proponendi, ſi quæ in animo hæreant. Circa hæc tamen directio Magiſtri obſervanda eſt.

23 *§. 5.* Imprimat bene menti ſuæ, ſe Religionem intrâſſe, ut imitator eſſet Chriſti Domini: proin omnia, quæ facere debet, faciat perfectè, patiatúrque ſine ulla murmuratione interna, & querelâ externâ apud quemcunque; longè enim plura Chriſtus Dominus paſſus fuit. Felicem igitur putare debet diem, in quo aliquid pati ſibi contingit, præſertim contrarium honori, & bonæ apud alios exiſtimationi; & quò magìs confundetur propter DEUM, eò magìs ſe proficere credat in virtute: idque pro fundamento ſpiritualis vitæ conſtanter habeat; aliàs deſolatam aget vitam, cùm, velit, nolit, aliquid ſit paſſurus. Ut autem quoad iſta ſervetur modus, bene notanda ſunt documenta cap. 3. de humilitate, & patientia.

24 §. 6. Cum nullo particularem amicitiam, vel majorem familiaritatem ineat: & quanquam apud devotos, & ſpiritualibus rebus magìs addictos æquum eſt eorum converſationẽ expetere, hoc tamen ſine nota & fuga aliorum fiat. Imò ſtudeat cum imperfectis (aliis Connovitiis ſuis) bene converſari ſine damno tamen proprio, & cum bono illorum, quod ex vita exemplari, & ſpiritualibus colloquiis ſequetur.

§. 7. Omnem det operam, ut nunquam deliberatè peccatum mortale (quod DEUS avertat) & deliberata peccata venialia quàm rariſſimè committat: pro quo obtinendo, aut conſervando optimum eſt, quolibet menſe, cum licentia Patris ſpiritualis, vel tempore meditationis, vel alio piam facere reflexionem, an & qua in re prætterito menſe profecerit, vel defecerit, ut menſe præſenti emendet emendanda, & perficiat perficienda: ſic facilè creſcet Novitius in perfectione ſpirituali. Ea propter 25

§. 8. Singulìs angariìs, id eſt quatuor anni partibûs, invocatâ Spiritûs S. gratiâ, conſcientiam ſuam examinet, & confeſſionem quandam generalem ab ultima generaliter facta deponat, & unum vel alterum peccatum magìs aſſuetum ſeligat, quod ſpeciali cura eliminare, nec ampliùs admittere proponat; præſertim ſi mortale ſit, aut veniale, diſponens tamen ad aliquod mortale. Similiter poſt quamlibet hebdomadariam confeſſionem unum aliquod peccatum ſeligat, & apud ſe firmiter cum auxilio Divino ſtatuat, tota ſequenti hebdomada ad proximam confeſſionem usq; illud non ampliùs admittere. Et hoc ſit 26

ſibi

Digitized by Google

ſibi maximè cordi, & tanquam ſpiritualis vitæ fundamentum habeat; ut nempe minuat peccatorum numerum: quò enim purior erit Religioſa anima, eò plura & majora percipiet dona cœleſtia.

27 §. 9. Superiores ſuos cum omni amore, & reverentia tanquam ipſum Chriſtum Dominum tractet, reliquos verò tanquam Chriſti diſcipulos: proin totâ vitâ à cenſurandis eorum moribus externis, & intentionibus internis abſtineat. Igitur cuncta, quæ videt, & audit, in bonam partem interpretetur, & excuſet ea, quæ minùs recta videntur: nec propter defectus externos opinionem bonam de ſuo Ordine, ejúsque Perſonis deponat.

28 § 10. Studeat, omnia opera ordinaria, quæ facere debet, cum affectu, & fervore erga DEUM facere: unde bonum finem iis ſemper præfigat, nec alium finem, ac modum intendat, quàm præſcribitur à Superioribus,&Regulis,& à propriæ conſcientiæ lumine; dummodo hoc ſit conforme Superiorum directioni. Si omnia ita propter DEUM cum bona ſemper intentione faciat, ingentia ſibi accumulabit merita, acquiret magnos virtutum habitus, citiùs expiabit pœnas præteritis peccatis debitas, & tormentis ignis purgatorii minùs ſe ſe obnoxium, magìs verò cæleſtis beatitudinis participem & aptum reddet. NB. ab indiſcreto tamen fervore tum in laboribus corporis, tum in meditando, orando, ſtudendo usque ad defatigationem pectoris, & capitis caveat, ne ſanitatem lædat, & alia bona cum damno & animæ, & corporis, & Religionis impediat.

§. 11. Amorem erga ſuam, 29
quam ingreſſus eſt, Religionem quàm maximum habere, & conſervare ſtudeat; & hujus erit ſignum, dum in ipſo creſcet affectus, & placebunt res Ordinis, augebitur lætitia de felici rerum ejus ſucceſſu, exardeſcet deſiderium proficiendi in virtute, & pro hac obtinenda libenter quæque patietur, & dum pro Religionis Zelo libenter ſuſtinebit cruces. Accuratè etiam legat hiſtorias Ordinis noſtri, præſertim vitas Sanctorum, ex quibus vivendi normam ſecundùm Regulã ſub S. Apoſtolis conſtitutam pro reliqua vita ſua depromat: præcipua verò memoriæ imprimat, quæ ipſi in colloquiis cum aliis tum domi tum foris uſui eſſe poſſint.

§. 12. Omnes partes tempo- 30
ris bene, & ſine otio, aut vagabunda lectione collocet, & diſtributionem illius ſecundùm præſcriptum à Magiſtro ordinem ſervet. Quando tempus privatis precibus, & orationi vocali deſtinatum adeſt, omnibus aliis relictis devotioni vacet: Religioſus enim ferventer orans minùs tentabitur, & tentatus faciliùs vincet; quia oratio fervens diſſipat omne malum, & ollæ ferventi non inſident muſcæ. Caveat igitur Novitius, imò & Veteranus,

ranus, ne perfunctoriè, aut ex conſuetudine tantùm ſuas perſolvat preces, in alias temporis partes, quàm præſcriptas, rejiciat, aut penitus ex ſocordia turpi omittat; ne in tentationem inducatur, & donum perſeverantiæ DEUS ipſi deneget propter negligentias ſpirituales.

31 §. 13. Inter alia bona, totâ reliquâ vitâ ſuâ duratura, acquirere ſtudeat tempore Novitiatûs, ut cum Divina gratia nihil ſibi unquam optet particulare, aut expetat ſive quoad victum, veſtitum, habitationem (neceſſarium tamen veſtitum à Superiore filialiter petat, &, quæ ad ſanitatem conſervandam pertinent, nullatenus ſilentio premat) ſive quoad ſtudia, occupationes ſpecioſas, officia, curas parochiales, & ſimilia Religionis munera &c. neque quærat ea, quæ proprius anhelat amor; neque, ſi quæſita non aſſequatur, graviter ferat; aliàs deſolationes patietur moleſtas, & certè inquietam, & inordinatis involutam paſſionibus aget vitam. Optimum profectûs ſignum erit, ſi totâ vitâ exoptet nil magis, quàm Chriſto Domino conformis eſſe, & Apoſtolorum more vivere, qui inglorii, pleni moleſtiis, atque contemptu, & omnium peripſema coram Mundo fuerunt.

32 Signa porrò proficientium Novitiorum, ut poſtea boni evadant Religioſi, ſunt ſequentia.

1. Qui ardens habet deſiderium in Religione vivendi, & moriendi, & omnia patienter tolerandi.

2. Leviſſimè tantùm, & rariſſimè peccat; proin minimarum regularum transgreſſiones, & omnes defectus fugit.

3. Nihil occultat, nec Superioribus occultum cupit, quod vel ad ſui, vel ad aliorum utilitatem ſpiritualem, & correctionem fraternam pertinere poſſit.

4. Æquo fert animo omnes pœnitentias, quæ ipſi pro veris, vel fictis, vel adſcriptis defectibus injunguntur etiam publicè.

5. Sine rubore, & difficultate Patri ſpirituali extra confeſſionem etiam ſuæ conſcientiæ rationem reddit, & ſæpè cum ipſo colloqui optat.

6. Quærit omnes occaſiones mortificandi ſe, jacturam bonæ apud alios opinionis, & propriam confuſionem æquo ſuſtinet animo, & humanos reſpectus penitus deponit; cùm multa inde bona omittantur, & defectus committantur.

7. Habet perpetuum deſiderium perfectionis, & ſanctitatis acquirendæ; item tenerrimum amorem erga Ordinem ſuum, ejus res, & Sanctos, quorum vitas, & hiſtorias avidè legit, & imitari ſtudet.

8. Exteriores corporis actus, & motus habet religioſè compoſitos, internos verò piè recollectos.

9. Senſus ſuos bene cuſtodit, vagari nunquam ſinit, refrœnat, & vincere conatur omnes repugnantias, quas proprius excitat amor.

10. Ad

10. Ad confeſſiones hebdomadarias accedit cum ſincera & bona præparatione; profectum etiam ſuum poſt ſingulos ferè menſes dimetitur.

11. Omnia ſua opera facere ſtudet non tantùm exactè, & diligenter, ſed etiam ferventer propter DEUM.

12. Cum nullo init particularem amicitiam.

13. Nihil ſibi particulare optat, nec affectat officia ſpecioſa; ſed paratus eſt ad omnia toleranda, & facienda, quæ Superioribus circa eum videbuntur, re nulla excepta, præter manifeſtum & ſolum peccatum.

14. De nulla re ſcandalizatur, omnia bene interpretatur, & excuſat, quantum licet, & decet; non tamen omittit Superiori manifeſtare, quæ ipſi, aliis, & ſibi vel communitati poſſent eſſe noxia, aut trahi in malam partem.

15. Intra ſe conatur eſſe lætus, & erga alios ſuavis; nec facilè adverſis triſtatur.

16. Cum perpetuo odio omnis peccati, & imperfectionum, cum amore virtutum, ſine ullo teſte, & cenſore ſuorum morum ita circumſpectè ubíque, perfectè, & religioſè vivit, ac ſi viveret in oculis ejus, quem maximè veretur, Superioris: & ita ad S. Profeſſionem finito Novitiatu accedit, ut poſtea bonus, & bene fundatus Religioſus ad altiora ſtudia, vel officia applicari ſecurè, & ſine perverſionis aut ullius damni formidine ab ipſa Religione poſſit.

33 His itaque ſtudiis ſacris continuò addictus ſit Novitius, qui cupit vocationi ſatisfacere, & in virtute proficere: probet autem ſeipſum, an ſigna iſta in ſe habeat? an præſcripta faciat? in his enim, tanquam in compendio, continetur boni Novitii eſſentia, quam ut certiùs aſſequatur, non tantùm poſt ſingulas ſeptimanas, ſed quotidiè in examine ſuper unum vel plura ſelecta puncta profectum metiatur; ſicuti *n.* 25. § 7. *&* 8. de emendatione vitæ inſinuatum eſt; & hìc cum bona proportione pariter ſervari poterit.

34 Quæres opportunè, quid agendum ſit Novitio, quando perturbatur animus, confunduntur ſenſus interni, ac ipſe totus in triſtitias, ac deſolationes cadit?

Reſpondeo 1. Si animum ejus conturbet aliquid viſum, dictum, aut factum contra ipſum, vel aliqua diffamatio, contemptus, confuſio, pœna, & delicti levis cujusdam commiſſi exaggeratio &c. ſive à Superioribus, ſive æqualibus proveniat, Novitium ita tentatum & perturbatum cum nullo prorſus tunc temporis debere habere familiaritatem, vel alicui amaram mentem aperire, præterquam Patri ſpirituali. Ratio eſt; quòd alii ſubinde ejusmodi tentationes, & perturbationes potiùs foveant, & augeant, cùm eas in externa tantùm ſolatiola convertant, quibûs citò abeuntibûs,

Digitized by Google

antiquæ, & graviori vi, redeunt triſtitiæ. Unde fit, quòd humana ſolamina, & inordinatæ animi paſſiones, mirâ pugnâ variantia, hominem in ſat graves defectus præcipitent: nam ex apprehenſis incommodis oritur triſtitia; paulò poſt propter defectum conſolationis internæ (cùm non omnia pro voto deſolatæ mentis eveniant) naſcitur melancholia, quæ ſecum trahit acediam, atque mentem facilè ſuperat; dein negliguntur ſpiritualia officia, communia Religionis exercitia diſplicent, tempus aut otioſè conſumitur, aut inordinatè arbitrariis actionibus contra Superioris directionem impenditur ſine fructu: demum, DEO permittente, ſurgunt graviores tentationes, quibus, quia lanquidè reſiſtitur, ſemiplenus, & tandem deliberatus conſenſus miſerè conceditur; inſtituuntur etiam querelæ, frangitur ſilentium, ſolùm quæruntur conſolationes externæ, diſciplina tota deſeritur, ſi non etiam ipſum Monaſterium (ſicut experientia docuit, multos S. Religionem ob ejuſmodi graviores tentationes ac triſtitias, & natos inde defectus deſeruiſſe) quia Divina vocatio tam vilipenditur, eíque cum debito fervore non correſpondetur. In his itaque caſibus optimum remedium erit, ad orationem confugere, cor in humilitate ad DEUM totius conſolationis elevare, diſplicentias, perturbationes & triſtitias Patri ſpirituali indicare, & ejus conſilia, tanquam à DEO data, promptè exequi.

35 Reſpondeo 2. Si perturbationes illæ proveniant à nimia attentione ad præſcriptas regulas, eò quòd earum multitudine quaſi obruatur memoria, & tœdiô afficiatur animus ac deſperatione; cùm impoſſibile ei videatur tot addiſcere, tot imperfectiones & defectus corrigere, ipſam naturam quoad ſuas malas inclinationes inflectere, & ad veram virtutem pervenire &c. in hac itaque mala diſpoſitione animi, dico, Novitium debere pauliſper ceſſare ab omni ſtudio, &, quia in mala tantùm perſuaſione conſiſtit hæc tentatio à Diabolo, & propriâ naturâ ſuggeſta, qua hominem ex horrore difficultatum à virtutis tramite conantur evertere, in ſeipſo quieſcere, & cum licentia Patris Directoris, cui hanc tentationem juxta monitum §. 3. *n.* 21. fideliter revelet, alia honeſta diſtractione, muſicæ exercitio, aut pia delectabilis hiſtoriæ lectione mentem divertere, ſenſúſque recreare. Iis iterum recreatîs, piè ſe recolligat, & reſtauratîs quaſi viribûs ad antiqua exercitia, & ſtudia ſe recipiat: caveat tamen juxta monitum *n.* 28. §.10. datum, & ſemper obſervet, ne unquam ſibi noceat nimia intenſione; proin regulâ 5. in proloquio non obliviſcatur. Atque hæc prælibâſſe ſufficiat, dum aſcetica principia hoc articulo comprehenſa altiori ratione, & uberiori doctri-

doctrina per ſequentem tractatum propinentur. Antequam verò caput hoc primum fine coronetur, exemplum proponimus genuini ac piiſſimi Novitii, qui brevi tyrocinii ſui tempore per omnimodam regularum hucusque traditarum obſervantiam ad tantum perfectionis Religioſæ gradum aſcendit, ut rara ipſius innocentia, ſingulares virtutes, & mirabilis atque beata mors à nobis promereantur, aut jure exigant, quæ non ſolùm Tyronibus ſpectandæ, verùm etiam imitandæ exhibeantur.

Is igitur fuit Guido Audubertus Novitius Cœnobii Cancellatenſis, cujus vitam refert Reverendiſ. D. Grueber in Mantiſſa Tomi 2. ex *L.* 1. *c.* 15. vitæ Alani de Solminihac &c. ubi Gallicus auctor Reverendiſ. D. Leonardus Chaſtenet, & poſt hunc Dominicus Biſſelius latinus interpres fatetur, brevì fore, ut vita hujus Novitii ſingulari volumine publica donetur luce: quod tamen hucusque factum non compertum eſt; quamvìs ardenter ſperetur.

Natus fuit Guido in Gallia in pago *Audubertia* dicto parœciæ Puydarnacenſis in Diœceſi Lemovicenſi. Parentes illius mediocris conditionis cùm amplioris fortunæ hæredem filium facere non poſſent, in id incubuerunt, ut virtutum ſcientiæque divitias conſequeretur. Hinc unica ipſis cura fuit, ut in pietate atque litteris educaretur. In utroque brevi temporis intervallo plurimùm profecit, in virtutibus præſertim, quarum acquiſitioni totum ſe tradidit; unde vita ipſius imago erat puritatis & innocentiæ, nec non exemplar quoddam omnis generis virtutum; poſſidebátque, quod in homine Juvene deſiderari poteſt, eúmque laude dignum facit

Indignus erat iſthoc theſauro mundus; quare DEI operante gratia ſummopere ſæculum faſtidiebat, maximi verò Religioſum ſtatum faciebat, ad quem amplexandum internis ſtimulis ſeſe adigi ſenſit: nec incaſſum; ad Cancellatenſe enim Cœnobium deveniens habitum Religionis noſtræ poſtulavit; cúmque ſufficientia vocationis ſuæ argumenta ob ſuam conſtantiam oſtendiſſet, die 25. Maij an. 1636. ætatis verò ſuæ 20. ab Alano loci Abbate, poſtmodū Cadurcenſi Epiſc., illô donatus fuit.

Tyro proinde conſtitutus Magiſtro ſe integrè conſignavit mollis ceræ inſtar, ut quamcunque figuram is imprimere vellet, in ſe reciperet, ſummè attentus ad ejus monita, ſumméque ad eorum executionem fidelis. Ingreſſus eſt magno prorſus animo in hanc virtutis palæſtram, in qua giganteos paſſus faciebat; adeò brevì modeſtiam, ſenſuum ac linguæ mortificationem adeptus eſt, ut Abbas Alanus dixerit, nunquam ſe vidiſſe hominem, qui tantillo temporis ſpatio in utraque hac virtute Magiſter evaderet. Ille præterea, qui in ſæculo Guidonis conſcientiæ moderator erat, cùm

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

ad videndum eum veniſſet, ut tam modeſtum támque mortificatum aſpexit, nec niſi de rebus Divinis loquentem audivit, admirabundus ad eum dixit: *qui fieri poteſt, ut tam brevi tempore tam modeſtus, támque mortificatus evaſeris, & in rebus ſpiritualibus tantum profeceris?*

Guſtum quàm plurimùm mortificavit, ei denegando, ad quod ampliùs afficeretur, nec niſi illiberaliores cibos in triclinio appoſitos ſeligens. Singulîs diebûs aliquam abſtinentiam exercebat; die Dominico, Martis, & Jovis ad honorem SS. Sacramenti, die Lunæ, & Mercurii ad honorem S. Auguſtini, Angeli ſui Tutelaris, & Patroni ſui, die Sabbati ad honorem Deiparæ Virginis &c. atque hoc ipſum tam dextrè faciebat, ut à nemine notaretur. Humilitas virtutum mater unicè in deliciis ipſi erat, quam, ubi ſe dabat occaſio, exercebat. Primus ipſe ſcopis verrebat, officiáque abjectiſſima præſtabat. Nunquam ob defectus correptus ſe excuſabat, quin potiùs eosdem exaggerabat, aliorúmque culpas ſibi adſcribebat. Minimum ſe Religioſum appellabat, buſoni ſe comparans, licèt innocentem vitam duceret. Exiſtimabat etiam, quòd inter Diabolos collocari mereretur: verbô; in hoc unicè laborabat, ut ſe prorſus annihilaret.

Obediendi ſtudiô ſua ſe voluntate ſpoliavit, ut eam Superiori traderet, cujus ductum cæcè ſequebatur; nec quidquam agere poterat, niſi per obedientiam, ex obedientiæ motivo, & ex amore obedientiæ. Didicerat ex Abbate ſuo Alano perfectionem in exercitiis communibus inquirendam eſſe; quare illis addictiſſimus erat: nunquam tardè ad matutinum, pſalmorū penſum perſolvendum, aut aliam orationem ſurrexit. Choro nunquam ſub officio egreſſus eſt, nunquam omiſit, quin in ſuo loco ordinéque ſe ſiſteret, ubi ſe præſentem eſſe debere ſciebat. Nunquam in ulla re diſpenſari ſecum appetiît, ſícque non contentus ſuis exercitiis exteriùs ſatisfacere, conabatur etiam illa ſecundùm ſpiritum eorum adimplere, & ab interno externas actiones ſuas animare; atque in hunc finem ſibi ipſi leges præſcripſit, & certas praxes manu ſua exaratas. Atque hac ratione ad eum perfectionis gradum conſcendit, ut omnibus admirationi eſſet. Tyrones, & Profeſſi Canonici pro virtutis eum ſpeculo habebant; & nemo tunc non judicabat futurum illum aliquando Reformationis Cancellatæ ſolem, quòd ipſo ſtatim ejus initio ita ſplenderet.

Quinto Tyrocinii ſui menſe ad orationem quandam ſupernaturalem à DEO elevatus fuit: ex eo tempore in continua DEI præſentia, ac unione ita verſabatur, ut haud opus habuerit primis illis modis, & conſiderationibus, quibus antea ad exercitia ſua bene obeunda uſus erat.

Specta-

Digitized by Google

Spectatum ſubinde corpus ejus fuit ſeſe elevare, dum cum aliis orabat; & quando Magiſter Tyronum eum admonuit, ut ſibi attenderet, reſpondit, neſcire ſe, quid ageret, nec id advertere. Adeò ſcilicet potentias ſuas DEO conjunctas habuerat.

Eodem tempore erga ſacram noſtri Salvatoris Humanitatem mirum in modum afficiebatur, & ingenti Eundem imitandi, & per regiam S. Crucis viam ſequendi deſiderio animatus inſtanter expetiit ejus paſſionis participationem. Nec ſuis votis fruſtratus fuit; paulatim namque vehementes languores, ac continuos quaſi ex cerebro fluxiones perſenſit, quæ in ſtomachum ſe effundentes maximorum dolorum cauſa erant, præſertim ſi eundem phlegmate exonerare vellet. Ad hæc capitis vertigine laborabat; acutiſſimos etiam laterum dolores ſentiebat, tantóque renum malo afficiebatur, ut quis eos planè ruptos dixiſſet. Porro pedes ipſius adeò intumuerunt, ut eum ſuſtentare haud valerent, febri præterea lenta, eáque continua affligebatur, támque ardenti, ut nemo corpus ipſius attrectare valeret, quin ardorem ſentiret. Non niſi modicam quietem captabat, ac rerum omnium nauſeam patiebatur. Corpus ejus non niſi cadaver quoddam erat, in quo nec tantum carnis oſſibus adhæreſceret, cui cucurbitulæ adhiberentur. Certè non erat ulla corporis pars, quæ non ſingulari dolore cruciaretur; & dixiſſet aliquis, omnia in ipſum mala eodem ſimul tempore conjuràſſe.

Verùm inter tot dolores illius non alia quàm de cruce ſermocinatio fuit, de qua tam eximiè loquebatur, ut Religioſi obſtupeſcerent. At verò per effectus longè clariùs, quàm per verba demonſtrabat, quanti eam æſtimaret; nunquam enim de dolorum vehementia conquerebatur, quin potiùs, quando violentiſſimè ab eisdem exagitabatur, præ gaudio lachrymas fundebat; & tantum aberat, ut ſolatium aliquod inquireret, quin potiùs ampliùs ſufferre deſideraret. Et notatum fuit, quòd quinquaginta horarum ſpatio, quibus cum ardentiſſima febri conflictabatur, quæ tantoperè linguam ejus aduſſit, ut undique nigredinem contraheret, non niſi unicum vitrum aquæ ſyropô mixtæ exhauſerit.

Tot doloribûs probatum DEus tandem ad ſe vocare ſtatuit. Itaque agonizare cœpit, duravítque hæc extrema lucta trium dierum ſpatio: quo tempore miranda cum ipſo geſta fuerunt. Cùm oblatus ei Crucifixus fuiſſet, cum amore & tenerrimo affectu ſuam illi faciem agglutinavit, & infantuli inſtar, Matris ubera lambentis, è ſacro latere veluti exſugens frequenter in hæc verba prorupit: *immergamus nos in cor iſtud.* Deinde denudans ad cincturam usque pectus, & crucem, à ſe non nihil longiùs amotam, ut in

cam

eam intueretur, manibus tenens ſubitò ſe ſublevavit, & è ſolito loco ſuo ultra dimidium pedem, reliquo interim corpore immobiliter perſiſtente, ſeſe attollens, Crucifixi pedi ſe adjunxit, quem demittens ori appoſuit; & eodem tempore crucem dimiſit, ac iteratis vicibus brachia & crura violentis motibus concutiens, totúmque corpus extendens absque ullo motu totus rigidus perſiſtebat. Tum Abbas Alanus exclamavit, eum præ amore mortuum eſſe, perſolutæque preces fuêre, quas Eccleſia pro recens defunctis recitandas præſcripſit. Videns verò Abbas, quòd manus haberet in pugnum contractas, juſſit, ut illæ inter ſe jungerentur, nec tam citò hæc verba protulit, cùm ipſe moribundus eas conjunxit. Senſit is ſe omnis planè mali expertem. Vultus, priùs deformatus, angelicus prorſus evaſit, longéque pulchrior, quàm unquam aliàs viſus fuerat. Oculis erat renidentibus, & ore ſubrubente. Edixit ipſe, poſtea ſe per tres animas pulchritudine inſignes ad paradiſi portas deductum fuiſſe: atque ab eo tempore quatuor omnino horarum intercapedine non aliter, quàm inſtar hominis reſuſcitati, locutus fuit. Ex DEO intellexit ſtatum reformationis Cancellatenſis: quod eventus verum eſſe monſtravit. Duorum quoque Tyronum diſceſſum prædixit; quemadmodum etiam evenit.

Cæterùm honoratus fuit in hoc extremo morbo præſentiâ Chriſti Salvatoris noſtri, SS. ejus Matris, ac S.P. Auguſtini. Cùm verò ad DEUM ire deſideraret, hoc iter aggredi ſine obedientia noluit; ideóque ad Alanum Abbatem ſuum converſus, *jube*, inquit, *ut moriar*: qui dum reſpondit, poſſe ſe quidem hoc permittere, at non jubere; *igitur*, reponit Novitius, *DEO jubente, & te permittente moriar*. Atque hac ratione egregius iſte Tyro Eccleſiæ Sacramentis munitus, poſtquam omnes Religioſos Cancellatæ præſentes in ſtuporem rapuiſſet, animam DEO ſuo ſine ullo motu, aut alio mortis ſigno reddidit, moriens ex obedientia, ſicuti in obedientia vixerat. Mortem iſtam ſingulares nonnulli effectus comitati fuerunt: profeſſi enim Canonici vota ſua renovârunt, Tyrones verò nova propoſita eorundem emittendorum conceperunt, & omnes ardenti amore erga vocationem ſuam inflammati fuerunt. Ex eo etiam tempore ſingulis diebus tumulus ejus frequentatur, DEO eundem per miracula, quæ per ejus interceſſionem operatus eſt, mirabilem reddente. *Ex lib. 1. c. 15. Vita Alani.*

CA-

CAPUT II.

De Peccatis, eorum damnis, & remediis.

36 Cùm perfectio charitatis, in hac via per virtutes religioſas intenta, ſit maximè finis ſtatûs Religioſi, & omnis, qui ad illum vocatur, ſive innocens, pro majori acquirenda ſanctitate, ſive gravis peccator, pro diminuendis & extirpandis vitiis vocetur; hinc de peccatorum natura tum in genere tum in ſpecie more aſcetico agemus, imitantes ſcholaſticorum ordinatam methodum, qua ipſi ab univerſalibus ad particularia deſcendunt, & ſimul præcaventes, ne falcem in alienam meſſem mittamus. Relictîs igitur Theologicîs ſpeculationibûs, peccatorum damna ob oculos ponimus, ut iîs cognitîs faciliùs remedia apprehendantur, & ita magìs ad finem Religionis accedatur juxta S. Baſilium, qui *homil.* 1. *in pſal.* 1. inquit: ***principium ad bonorum apprehenſionem, ſeu emendationem vitæ eſt à malis abſceſſio***: quisquìs enim in virtutibus proficere deſiderat, priùs peccata, utpote virtutum impedimenta, à ſe removeat, neceſſe eſt; cujus rationem reddit S. Thom. 1. 2. *q.* 59. *art.* 2. quia virtus prærequirit paſſiones ſedatas, & ex conſequenti ſenſus moderatos: ubi autem peccatum, ibi rebelles regnant paſſiones, & inordinatîs motibûs agitatur animus: inordinatæ enim paſſiones, præcipuè amor proprius, omnis peccati fons & origo ſunt teſte S. Th. 1. 2. *q.* 77. Similes ſint Novitii agricolis, qui non incipiunt in rudibus agris ſerere, niſi priùs evulsîs ſentibûs, & omnium ſtirpium amputatîs radicibûs perpurgata ſint arva. Ita etiam de animis Religioſis detrahenda ſunt vitia, & demum virtutes inſerendæ; de quarum ſublimitate, pulchritudine, & merito, ſequenti Capite tractabimus. Nunc ad noſtrum inſtitutum ſit

ARTICULUS I.

De Peccato mortali, & veniali in genere.

SUMMARIUM.

37. *Deſcriptio peccati.*
38. *Differentia peccatorum, & modus dignoſcendi.*
39. *Diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale.*

D 40 *Damna*

40. *Damna peccati mortalis recenſentur, &*
41. *Mala, quæ infert peccatum veniale.*
42. *An peccatum veniale poſſit fieri mortale? ad quod dupliciter reſpondetur.*
43. 44. 45. *Inſeruntur quædam ex dictis, Religioſis bene notanda.*
46. *Ponuntur remedia peccati mortalis.*
47. *Venialis.*
48. *Quale emendationis propoſitum circa venialia in Sacramento Pœnitentiæ requiratur, docetur. Anneſtuntur ad finem breves vitæ deſcriptiones Doctorum aliquot Pariſienſium C. R.*

37 SAnctiſſimus Legislator noſter Auguſtinus *l.* 22. *cont. Fauſt. c.* 27. deſcribit peccatum, quòd ſit *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: eò quòd omne peccatum ſive oris, cordis, & operis, ſive omiſſionis operis faciendi de præcepto, ſit contra aliquam legem DEI, aut Superiorum, tanquam Vicariorum DEI. Convenit etiam hæc definitio peccato non tantùm mortali, ſed etiam veniali; utrumque enim eſt aliqua transgreſſio vel gravis, vel levis legis Divinæ, unde peccati malitia derivatur, qua audet peccator præceptum ſummi Legislatoris, etiam ſub interminatione æternæ pœnæ latum, violare; ac ita contemnit ſupremam Numinis quà virtutem præmiantis, vel quà ſcelus punientis majeſtatem. Contemnit, inquam, *contemptu formali* & expreſſo, vel *virtuali* & tacito; talis enim ad omne peccatum requiritur, ejúsque malitiam conſtituit.

38 Peccatum mortale (de quo modò ſit ſermo) unum diſtinguitur ab altero, unúmque poteſt eſſe gravius alio; omnium verò potiſſima differentia deſumitur ab objecto graviter prohibito, à virtute, cui opponitur, à præcepto, quod violatur, à circumſtantiis, à fine & modo tendendi, quibûs peccatum committitur; uti Theologi tradunt. Exemplum hujus regulæ pro dignoſcenda peccatorum differentia, ſeu diverſitate, ſit furtum, quod grave damnum ablatione proximo infert: inprimis opponitur virtuti juſtitiæ; cujus eſt, neminem lædere, jus ſuum cuique tribuere: prohibetur à DEO 7. præcepto Decalogi: à circumſtantiis inſuper & fine, nec non modo tendendi poteſt ſpecificè aggravari furtum, ſi contingat in loco ſacro rei ſacræ ablatione, cum intentione alia peccata committendi ex occaſione acquiſitæ pecuniæ; aut modum forſan habeat ſuperſtitioſis artibûs ſeras & valvas domûs, vel Eccleſiæ aperiendi. Furtum tale non tantùm eſt peccatum mortale contra ſeptimum præceptum, & juſtitiam; ſed ex circumſtantiis additis alias quoque malitias ſpecie diſtinctas contrahit. Sic etiam peccatum laſciviæ differt, ſeu diſtinguitur à

furto,

Digitized by Google

furto, quia diverſo (nempe 6. Decalogi) præcepto, & diſtinctæ virtuti, (nempe caſtitati) opponitur. Et hoc modo, quia multa, eáque diverſa ſunt Divina, aut Eccleſiaſtica præcepta, virtutes multæ, multa etiam ipſis oppoſita peccata & transgreſſiones dignoſcuntur, quarum differentiam ex tradita regula facilè Novitius pro captu ſuo deprehendere poterit.

39 Sicut peccatorum lethalium inter ſe differentia nobis innoteſcit à diverſitate objecti, virtutis, præcepti, circumſtantiarum, & finis; ita pariter eorum gravitas ab illis derivatur: & hæc doctrina cognoſcendo peccato veniali adaptari debet, cum hoc tamen diſcrimine:

1. Quòd peccatum mortale ſit contra legem æternam graviter prohibentem: cenſetur autem à DEO aliquid nobis prohiberi ſub gravi pœna, quod non poteſt comitti ſine magno contemptu DEI, vel ſine grandi læſione proximi, vel ſine grandi corruptione ſui; ut loquitur Richardus Victorinus *tract. de different. peccat.* Peccatum verò veniale eſt tantùm contra, vel, ut alii cum S. Th. ajunt, *præter legem*, ſub levi culpa obligantem.

2. Peccatum mortale eſt ſimpliciter averſio ab ultimo fine: econtra veniale aberrat tantùm circa media, & fervorem charitatis diminuit, non verò aufert juxta S. Bonaventuram *2. ſentent. diſt.* 41. *q.* 1. dicentem: *nos per peccatum veniale retardari potiùs in itinere ad DEUM, quàm converti ad creaturam.*

3. Per peccatum mortale homo adeò efficaciter, ſaltem virtualiter, creaturæ adhæret, ut potiùs DEô, quàm illâ carere velit; & modô præpoſterô finem ſuum ultimum in rebus creatis conſtituit: quod non contingit in peccato veniali; cùm venialiter peccans inefficaciter, & ſecundùm aliquam tantùm deordinationem circa res creatas feratur.

4. Peccatum mortale, ſi ex genere ſuo eſt tale, ſemper habet objectum, & materiam gravem, quæ ex ſe nunquam fieri poteſt levis, niſi propter aliquam inadvertentiam; uti ſunt blaſphemia, perjurium, luxuria &c.; quatenus talia peccata per ſe graviter lædunt charitatem DEI, vel proximi, aut nos ipſos; conſequenter nullo fine eorum materia cohoneſtari poteſt. Peccatum econtra veniale levem habet materiam; quæ ſi fieret ſecundùm ſe & univerſaliter gravis, ſequeretur intolerabilis converſatio humana, & homo conſtitueretur in gravi neceſſitate morali excidendi ultimo ſuo fine, & perdendi amicitiam Divinam: quod eſſet contra providentiam, & bonitatem Creatoris; *cùm ſepties in die cadat juſtus. Proverb.* 23. & Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 23. docet, quòd *Nemo poſſit evitare omnia peccata venialia ſine ſpeciali DEI privilegio &c.*

Sunt adhuc aliæ differentiæ inter peccatum mortale, & veniale, 40

Digitized by Google

quæ à damnis ex peccato pullulantibus proveniunt, & cauſam in ſuis effectibus oſtendunt. Peccati itaque lethalis damna habentur à S. Thoma 1. 2. q. 88. *art.* 1.

1. Peccatum mortale dicitur ad ſimilitudinem morbi, qui vocatur mortalis ex eo, quòd ob alicujus principii corporalis vitæ conſervativi deſtitutionem regulariter inducat defectum irreparabilem: pariformiter, cùm tale vitæ ſpiritualis principium ſit ordinatio ad ultimum finem, hôc deſtitutus homo peccator DEO ſpiritualiter eſt mortuus; ſiquidem bona illius opera, in ſtatu peccati mortalis facta, mortua ſunt, & nunquam reviviſcunt in ordine ad meritum vitæ æternæ quondam in cœlis conſequendum, eò quòd illud, quod nunquam antea vixit, reviviſcere impoſterum nequeat. Hanc animæ mortem ſpiritualem conſiderans S. Chryſoſt. *hom.* 28. *in Math.* 8. ait: *in peccatis miſeram vitam agentes nihil differunt à mortuis.*

2. Sicut mors corporalis hominem ſpoliat naturalibûs bonîs; ita mors animæ, ſeu peccatum, ſpoliat donîs ſupernaturalibûs, præſertim habitu charitatis: & licèt remaneat ſpes, & fides, hæ tamen ſunt valdè elanguidæ, utpote ſine bonis operibus gloriam cœleſtem, aut aliud donum ſupernaturale de condigno promerentibus; quæ omnia pro tunc aut mortua, aut ſaltem mortificata exiſtunt.

3. Peccator perdit omne jus hæreditarium ad cœleſte regnum, Iſai 59. *Peccata noſtra diviſerunt inter DEUM, & nos.*

4. Et ideo ſolvit arctiſſimum vinculum Divinæ amicitiæ, & peccatorem æternâ gehennæ pœnâ reum conſtituit.

5. Potentias animæ pervertit, ſenſus externos depravat, conſcientiam horrendum in modum exſtimulat, torquet, cruciat, inſtar ferventis maris tentationum procellis inquietat; *vermis enim peccatoris non moritur in æternum.* Tanta mala peccati perpendens S. Laur. Juſtin. *Lib. de perf. grad. c.* 1. exclamat: *Beatum dixerim, cui datum eſt noſſe, quid ſit peccatum, quid operetur in homine, & ad quem in eo perſeverantem deducat finem. Per peccatum homo fit alienus à DEO, interemptor ſui, gehennæ filius, confuſionis domus, diaboli ſervus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor, gloriæ contemptor.*

Damna peccati venialis recen- 41
ſentur à DD. communiter.

1. Obligat ad pœnas temporales purgatorii, & retardat animam à beatifica viſione.

2. In hac vita charitatis fervorem minuit, perfectionem virtutum inhibet, & multa bona ſpiritualia diſſipat, meritorum cumulum non auget.

3. Etſi peccata venialia in immenſum multiplicata nunquam faciant peccatum mortale, diſponunt tamen ad mortale, eò quòd illîs vi-

res

res animæ ad reſiſtendum gravi tentationi valdè debilitentur: &, quia gratia ſanctificans per ſucceſſivam venialium aggregationem fit remiſſior, dæmonis fraude, carnis illecebris, occaſionis allicientis præſentiâ facilè ad perpetrandum mortale homo inducitur, & vincitur.

42 Quæres hìc, an peccatum veniale nunquam poſſit fieri mortale, & quibus in caſibus id contingere queat?

Reſp. 1. Eundem numero actum venialiter peccaminoſum non poſſe fieri mortalem, ſeu tranſire de veniali in mortalem culpam, adeoque ſi talis actus ſit aliquando venialis, permanebit in ſua eſſentia, quam à levitate ſui objecti acquiſivit.

Reſp. 2. Peccatum veniale per accidentes circumſtantias graves poſſe eſſe mortale, & hoc in quatuor his potiſſimùm caſibus contingere. 1. Si, quod eſt veniale, committatur dubitando, an mortale ſit, vel credendo eſſe mortale. 2. Si, quod veniale eſt, ad finem graviter malum, nempe peccatum mortale, referatur. 3. Si quis in tali eſſet animi præparatione committendi veniale, ut non abſtineret ab hoc, etſi ſciret eſſe mortale. 4. Si veniale perpetretur cum formali contemptu legis, vel legislatoris; cùm enim id è diametro opponatur charitati & reverentiæ Superiori debitæ, non poteſt non expellere charitatem, & ſic eſſe mortiferum. Pro majori claritate ſit exemplum. Religioſus otioſum habet colloquium (quod de ſe eſt veniale) practicè tamen dubitat in medio colloquii, an non graviter peccet, quia contra Superiores ſuos jamjam incipit cum paſſionata vehementia murmurare &c.: nihilominus non obſtante hoc dubio practico pergit, peccat jam mortaliter ex 1. & 3. regula: quia verò hoc ſuum colloquium ad hunc dirigit finem, ut bonam Superioris æſtimationem apud alios Confratres ex maligno affectu in grave diſcrimen adducat, vel penitus auferat, peccat ex 2.da regula: tandem ob conceptum in Superiorem odium colloquium protrahit etiam tempore ſervandi ſilentii, & hoc non modò cum bona advertentia ad ſtatuta, vel S. Regulam prohibentem tale colloquium eo tempore fieri, ſed inſuper cum vero contemptu hujuſce Statuti, & S. Regulæ, ac cum intentione expreſſa circa hanc legem Superiori ùt Superiori non obediendi, peccat ex 4. regula; & ita colloquium, quod initiô erat veniale peccatum, accedentib⁹ tamen dein malo fine nocendi bonæ Superioris famæ, continuatione in dubio, & contemptu Regulæ & Superioris, factum eſt mortale; ut adeò verum ſit illud: *in multiloquio non deerit peccatum. Proverb*, 10. *v*. 19.

Notandum tamen eſt, non omnia prædicta concurrere debere ad conſtituendam culpam mortalẽ, ſed ſufficere, ſi una circumſtantia ex

illis 4. ſeorſim adſit; ut omnes docent Theologi.

43 Inferes ex dictis 1. Religioſum graviter peccare, qui nollet poſitivè tendere ad perfectionem Religioſam, ac ſpernendô obſervare ea, quæ ex S. Regula, Statutis, aut mandato Superioris ſunt tantùm venialia: cujus ratio eſt; quia Religioſus habet obligationem gravem tendendi ad perfectionem ſui Ordinis, cui contrariatur voluntas poſitivè perverſa ea non obſervandi, quæ ad illam ducunt. Sequeretur etiam graviſſimum damnum, & deſtructio Religionis, ſi Religioſi ſolùm ea vellent obſervare, quæ ſub gravi culpa præcipiuntur: ſic nulla ampliùs valeret Regula, utpote ſæpiùs ſub nullâ culpâ mortali, imò nec veniali obligans; & ita modica ſpernens paulatim decideret in ruinam ſui, & S. Ordinis.

44 Infertur 2. Si quiſpiam peccatum veniale committeret ex odio quaſi vindicativo, quia v. g. à DEO non impetravit petitam gratiam, hoc fore jam mortale, non quidem, quòd illud veniale ex ſe ſit grave, ſed quòd habeat modum tendendi graviter peccaminoſum, utpote conjunctum cum odio DEI, & vindicta, quæ ſunt grave peccatum. Id ipſum applicabis ad Religioſum, cui Superior favorem juſtè denegavit, qui dein ulciſcendi animo legem venialem transgrederetur, & Superioris ordinationi ex contemptu formali ſubjici recuſaret, indéque contra illam ageret; ut loquitur S. Th. 2. 2. q. 186. *art. 9. ad* 3. Secus foret, ſi propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam vel iram, induceretur quis ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ &c. utì in terminis habet S. D. l. c.

Infertur 3. Peccatum ex ſe veniale eſſe mortale, ſi accedat proximum, & abſolutum graviter peccandi periculum; quia univerſaliter proverbiis profertur: *qui amat periculum, in illo peribit. Eccl.* 3. Sic propter ingentem ad potum propenſionem, & ingurgitandi ſe ad extinctionem rationis usque conſuetudinem ſatis edoctus, quoties tempore pomeridiano ad potum acceſſit, non obſtante firmiſſimo ſobrietatis ſervandæ propoſito, ſe ſemper quaſi fuiſſe lapſum, ac uſu rationis privatum, iteratò tamen accedit, etſi dein venialiter tantùm ob levem inebriationem peccaret, mortale tamen peccatũ propter periculũ grave committit: prout docet S.Th. 1. 2. *q.* 88. *a.* 5. *ad* 1. Id multò magis etiam de Religioſo verificatur, qui ſcit, poſt levem etiam exceſſum ſe ſtatim obdormiſcere, & non tantùm ad Religioſa exercitia ineptum fieri, ſed etiam denique recitationem Breviarii ſæpiùs omittere &c. 45

Cognita peccatorum natura, diverſitate, & damnis, ad remedia generalia inquirimus: ea verò pro peccato mortali duo potiſſimùm ſunt, nempe contritio, & confeſſio. *Contritio* eſt dolor, 46

quo

quo peccator comiſſum ſcelus deteſtatur ex ſolo hoc motivo, quòd per illud ſuum Creatorem Deum infinitè bonum & amabilem offenderit. Dolor tamen iſte extra Sacramentum pœnitentiæ ad juſtificationem peccatoris non ſufficit, niſi ſit conjunctus cum voto, ſeu propoſito Sacramentum pœnitentiæ per confeſſionem ſuſcipiendi data occaſione, & ſatisfaciendi pro patrato peccato; ùt docet Conc. Trid. *ſeſſ.6. cap.*14. & *ſeſſ.*14. *cap.*4. Confeſſio non tantùm includit contritionem, vel attritionẽ, ſed etiam Sacramentalem abſolutionem; cùm enim peccatum ſit inſtar lethalis morbi, ſpiritualem animæ mortem afferentis, Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum pro remedio peccatorum: cùm verò multi deſtituantur, morte præoccupati, confeſſario, aut confitendi potentiâ, acceptat pro infinita bonitate ſua Deus contritionem internam cum voto, & ordine ad Sacramentum pœnitentiæ: ſicut enim *liberare à putredine peccatorum, Chriſti virtutis eſt*, ùt ait S. Chryſoſt. *hom.*15. *in Math. ita etiam pro iis remedia ponere, & reparanda ſalutis ſigna præbere ipſius bonitatis eſt &c.*

47 Remedia pro peccatis venialibus multiplicia habentur; quorum quædam, & præcipua, hìc adnotare volo ad ſolatium timidæ conſcientiæ: ſunt autem

1. Confeſſio Sacramentalis, per quam remittuntur venialia, de quibus aliquis dolet, ea deteſtatur, & affectum ad ea deponit; unde ad quantò plura venialia extenditur diſplicentia, tantò magìs extenditur remiſſio.

2. Contritio etiam extra Sacramentum.

3. Actus ſupernaturales in ſtatu gratiæ eliciti fidei, ſpei, charitatis &c. actus humilitatis, patientiæ, aliarúmque virtutum.

4. Opera ordinaria cum fervore, & intentione ſatisfaciendi pro peccatis facta; item opera bona ſupererogatoria, mortificationes, jejunia &c.

5. Benedictio Epiſcopi conſecrati, & Abbatis benedicti; aquæ luſtralis aſperſio; devota pectoris percuſſio; confeſſio generalis &c. ùt enumerat Paludanus *in* 4. *diſt.*16. *q.*1. *art.* 2. *concluſ.* 4.

6. Efficaciſſimum remedium eſt SS. Sacramenti Evchariſtiæ frequens & devota ſumptio: ac denique

7. Diligens ſtudium indulgentiarum, ex theſauro Eccleſiæ nobis porrectarum, ſi pro iis lucrandis præſcriptas preces DEO devotè, & in ſtatu gratiæ offeramus; quibus peccati venialis etiam culpam extinguimus.

Notandum tamen eſt, quòd plura ad delendum peccatum veniale remedia non ex ſe operentur talem effectum, ſed ex merito, & orationibus Eccleſiæ, quæ talia ſigna inſti-

inſtituit, ut moveat nos efficaciùs, & faciliùs ad pœnitentiam, dum talia operamur, vel operari circa nos advertimus. Manet igitur univerſalis doctrina, ut, *qui cupit peccata ſua venialia Sacramentalibus illis deleri, illis ad compunctionem utatur, & utendo compungatur.*

48 Quæres pro complemento articuli, quale emendationis propoſitum circa venialia habere quis debeat, ut confeſſio ſit ei aptum remedium pro illorum remiſſione?

Reſpondeo breviter, propoſitum vitandi peccata venialia debere eſſe tale, ut quis proponat, & conetur ab illis abſtinere, quantum humana patitur fragilitas, & illa ſaltem minuere cum Divina gratia, & adhibitâ magnâ diligentiâ: ſeu juxta S. Thomam, *ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus &c.* cùm certa ſit ſententia Theologorum, peccata venialia non poſſe collectivè vitari propter humanam fragilitatem ſine ſingulari omninò gratia; ùt ſupra *n.* 39. in fine notatur: ſufficiet ergo propoſitum curandi, ut venialia quotidiana, quæ omninò vitari nequeunt, ſaltem ad minorem numerum reducantur. Pro quo faciliùs evincendo conducet, unum præ reliquis poſt confeſſionem feligere emendandum, idque *cum ſpeciali dolore* clavibus Eccleſiæ ſubjicere; cætera verò *cum diſplicentia & deteſtatione communi.* Obſervetur circa hoc documentum *n.* 26. §. 8. ſuprà ex principiis aſceticis datum.

Et hæc de peccatis in genere dicta ſatis ſint Novitiis; pluribus enim extendere peramplam materiam, eſſet Theologicum Scholaſticum, non Aſcetam agere.

Antequam verò de peccatis in ſpecie tractemus, placet juxta datum in præfatione promiſſum brevem quorundam Doctorum Pariſienſium Canonicorum Regularium, tum ſcientiâ, tum vitæ ſanctitate inſignium, exhibere deſcriptionem, ut Novelli æſtimationem non exiguam capiant de ſuâ, quam ingreſſi fuêre, Religione Canonica, eiſque ſic pro modulo ad ſequelam generoſam addatur calcar.

VIRTUS LAUREATA.

PRimam ferè tenet lauream M. Hugo de S. Victore, qui illuſtri apud Saxones genere ortus illuſtriorem reddidit decimi ſæculi finem, in quo lucis uſuram accepit. Is, teneriorem puerorum cùm impleſſet ætatem, in Diœceſi Halberſtadenſi, traditus eſt Monaſterio S. Pancratii, ut ab ejuſdem Canonicis Regularibus inſtitueretur. Quantos verò in litterarum ſtudio progreſſus fecerit, orbi notiſſima illius ſcripta, ac ſapientiæ monumenta pluribus voluminibus Pariſiis Anno 1526. & Rotho-

Rothomagi Anno 1648, edita ſatìs demonſtrant. Decimo octavo ætatis ſuæ anno ſæculi fugam meditatus cum Patruo ſuo Hugone Halberſtadenſis Eccleſiæ Archidiacono, juvenis conſilium approbante, Luteriam Pariſiorum advolat, & naſcentis Victorinæ Domûs famâ longè latéque per orbem diſſeminatâ exciti ambo à Gilduino ibidem Abbate habitum Canonicum petunt, atque in ejus manus vota emittunt, ſanctíque Auguſtini Regulam profitentur anno Domini 1115. Confirmatâ poſtea votorum emiſſione, Hugo Philoſophicis primùm, deinde Theologicis ſcholis præfectus ingenti applauſu omnium, qui eum audierant docentem, publicè Magnus Magiſter audiit. Unde ex tam eximii viri diſciplina innumeri celebres prodierunt & Philoſophi, & Theologi, qui hauſtam ab illo doctrinam totius reipublicæ Chriſtianæ bono in alios derivârunt. Libros conſcripſit varios, qui Scripturarum ſenſum per annotationes elucidatorias tum in antiquum, tum novum teſtamentum, & cœleſtem Hierarchiam D. Dionyſii, atque Divinos Sacramentorum ritus explicant: alios verò, qui Religioſæ vitæ piè inſtituendæ rationem tradunt: alios tandem, qui multiplicem eruditionem ex miſcellaneis, aliiſque Theologicis tractatibus complectuntur; quæ ſine dubio anſam dederunt literario Orbi, ut Hugo & ſui temporis *clarum lumen*, & *alter* fuerit appellatus *Auguſtinus*. Unde S. Thomas & Bonaventura, Scotus, & alii Doctores è ſchola Hugonem noſtrum ſuarum ſententiarum fautorem ſæpiùs laudant, & Patronum ſequuntur. In tanta tamen doctrinæ apud Pariſios famâ, & cùm omnium ore Hugonis ſapientia perſonaret, tam vilis de ſe exiſtimationis ipſe erat, ut nullum Abbatiæ ſuæ munus exercuerit, nec unquam adduci potuerit ad dignitatem ſplendidam ſuſcipiendam; ſed Religioſæ vitæ momenta penè omnia ſaluberrimis ſtudiis conſecravit usque ad ultimam ægritudinem, in qua tertio idus Februarii, id eſt, 11. Febr. ætatis ſuæ anno 44. Chriſti 1140. ſupremum clauſit diem. A morte ſicut pietate, & doctrinâ omnibus admirationi, ita etiam *Beati* appellationem conſecutus eſt; præſertim cùm Carolus Comes Valeſii Dominus deſperatam à Medicis ſanitatem per merita, & interceſſionem defuncti venerabilis Magiſtri Hugonis ſubitò receperit: uti teſtatur Joannes Aquila Clericus Xantonenſis publicus Authoritate Apoſtolica Notarius in Inſtrumento deſuper erecto. Ex quo tempore, cùm viri ſanctimoniam DEUS teſtatam ita voluiſſet, corpus è clauſtro ponè majus Altare in Eccleſiam fuit translatum: ubi veluti *Beati* honores ei deferuntur: quem, licèt per ſacroſanctam Matrem Eccleſiam Sanctorum Catalogo adſcriptus non fuerit,

ſcriptis tamen authenticis, geſtis laudabilibus, ſanctis operibus, cæteriſque meritis ſuis exigentibus inter cæteros Beatos magni eſſe meriti apud DEUM piè credit dictus Joannes Aquila: & Reverendiſſimus Pennotus *l. 2. c. 23.* aſſerit, dubium non eſſe, quin inter Beatos ſit numerandus; prout de illo Vincentius, & S. Antonin⁹ *tit.* 18. ſcribunt. Ejus tumulus eminenti in loco poſitus ſequens Epitaphium referebat; ut ſcribit Paulus Langius Cygnæus:

Conditur hôc Tumulô Doctor celeberrimus Hugo.
Quàm brevis eximium continet urna virum!
Dogmate præcipuus, nulliſque ſecundus in Orbe.
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

Plura, in laudem ſapientiſſimi viri, Roberti de monte, ſancti Bernardi *Epiſt.* 77. Petri Cellenſis, Jacobi de Vitriaco Cardinalis, Vincentii Bellovacenſis, Henrici de Gandavo, Joannis de S. Victore, ſancti Antonini, Tritemii, & aliorum celebrum Scriptorum teſtimonia videri poſſunt in vita operibus ejus præfixa *tom.* 1. edit. Rothomagenſis.

Alter eſt Petrus Lombardus Novarienſis Italus, qui ex Canonico Regulari Regalis Abbatiæ ad S. Genovefam Pariſiis Doctor ad Epiſcopalem ibidem dignitatem non aliâ niſi virtutum, & ſcientiarum viâ aſcendit. Vir certè fuit in Theologia eruditiſſimus, imò Princeps, unde per Antonomaſiam *Magiſter ſententiarum* appellatus. Obiit die 20 Julii anno 1164. Epiſcopatûs 5. Sepultus, uti vivus petierat, in medio chori ſuburbanæ Eccleſiæ S. Marcelli cum ſequenti Epitaphio: *Hic jacet Magiſter Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus, qui compoſuit librum ſententiarum, gloſſas Pſalmorum, & Epiſtolarum: cujus dies obitus eſt XIII. Calendas Auguſti.* Ex Claudio Hamæreo in Academia Pariſienſi folio 110. Gabriele Pennotto *l.* 2. *c.* 33. & aliis ibidem.

III. Mauritius Pariſienſis Doctor & Epiſcopus à teneris, & à juventute extremâ rerum omnium inopiâ preſſus, non tamen ideo deſtitit literas minùs colere, victum precariò accipiens. Et fortè fortunâ ditiores ædes pulſans, cùm ei eleemoſyna per jocum ea lege porrigeretur, ne inſulam Pariſienſem unquam acceptaret, eandem recuſavit, indignum reputans tam parvo lucello tam magnas ſpes vendere. Cùm ſucceſſu temporis doctrinâ, & ſpectabili pietate, modeſtiâ morum, cæteriſque virtutibus ſimul & ætate creſceret coram DEO & hominibus, in collegium Doctorum fuit cooptatus, & tandem dignus habitus, qui non modò Pariſienſi præficeretur Academiæ, ſed etiam ad Epiſcopatûs illius apicem eveheretur: quem pluribus annis magna tenuit laude.

Inchoa-

Digitized by Google

Inchoavit is fabricam Eccleſiæ Cathedralis Cœlitum Reginæ ſacræ. Poſita dein ſuâ ſponte mitrâ Canonicum Regularem induit in S. Victoris ſuburbano Cænobio, clavum Regiminis tenente tunc Roberto VI. Priore: ubi die nobis incerto anno 1196. vitam piè clauſit. *Ex Chronico magno Belgij folio* 189. *Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana, & Auberto Myræo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis &c.*

VI. Silentio involvendus neutiquam eſt S. Richardus de S. Victore Doctor æquè inſignis, Hugonis præfati contemporaneus; qui Canonicum Ordinem clariſſimis ſcriptis, & religioſiſſima converſatione haud parùm extulit. Toti Mundo ea ſunt notiſſima, ut adeò nova laude illa ſublimare opus non ſit. Sanctam mortem oppetiit in loco profeſſionis ſuæ, atque in ſepulchro venerabilis Gualteri Abbatis,& Roberti Sub-Prioris poſitus fuit.

V. Alius adhuc Richardus Anglicus, veriùs Scoticus, recenſetur in eadem Eccleſia S. Victoris tumulatus; ubi glorioſam, & meritis plenam vitam Beata coronavit morte. Ejus Epitaphium in ingreſſu Monaſterii cernitur æreis characteribus hoc modo inſcriptum:

Tellus, quem genuit felici Scotia partu,
Hunc tegit in gremio Gallica terra ſuo.

VI. Petrus Comeſtor Trecenſis, ævi ejusdem Doctor præclariſſimus, & ejusdem inſtituti Canonici in eadem Eccleſia S. Victoris Profeſſor. Hic in Academia Pariſienſi Collega, ac etiam Cancellarii munere inſignitus erat: ſed vocantis Numinis vocem internam ſecutus Cancellarii dignitate depoſita Canonicum Regularem in dictoCænobio profeſſus eſt, authórque fuit *Hiſtoria Scholaſtica*, quæ iſthoc etiamnum ſæculo doctiorum manibus pervolvitur. Vir erat doctrinæ meritis, & ſapientiæ inſignibus planè illuſtris, nec non inter celebriores cœlitum Reginæ Amatores, ac Laudatores numerandus. Cujus ſequentes heroici verſus fuerunt amoris ſui erga ſanctiſſimam Deiparam indicium, & affectûs erga Mariam filialis teſſera. Ita autem ſonant:

Si fieri poſſet, quòd arenæ, pulvis, & undæ,
Undarum guttæ, roſa, gemæ, lilia, flammæ,
Æthera, cælicolæ, nix, grando, ſexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Silvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Gramina, ros, ſtellæ, piſces, angues, & ariſtæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere poſſent,
Quæ ſis, vel quanta, O Virgo Regina MARIA!

Digitized by Google

E vivis ſublatus eſt iſte Doctor Marianus 20. die Octob. an. 1198. *Ex* Hyppolito Marravio, *Stimulis cæleſtibus* P. Chriſtoph. Wintislau Soc. Jesu *fol.* 142. Claudio Hamæreo *in Academ. Pariſ. fol.* 113. Sylveſter Maurolicus in ſuo libro *Mari Oceano* nuncupato Epitaphium Petri ſepulchro appoſitum ita refert apud Pennotum *l.* 2. *c.* 33.

Petrus eram, quem terra tegit, dictúsque Comeſtor, nunc comedor. Vivus docui, nec ceſſo docere Mortuus; ut dicat, qui me videt incineratum: quod ſumus, iſte fuit; quod hic eſt, aliquando erimus nos.

VII. Jacobus Aymericus Gallus Canonicus Regularis S. Genovefæ Pariſiis ob eximiam doctrinam in ſocietatem Sorbonæ admiſſus fuit; cúmque omni ſcientiarum genere polleret, in Cancellarium Academiæ Pariſienſis electus pluribus annis SS. Theologiam docuit. Durante ipſius Cancellarii munere ſanctum Ignatium Loyolam inclytæ Societatis JESU Authorem 13. Martii 1532. nec non S. Franciſcum Xaverium ejuſdem Societat. Indiæ Apoſtolum 15. ejusdem menſis 1529. ſupremâ AA. LL. Laureâ donavit. Poſt ſcholaſticos labores, & ingentia ſibi accumulata merita Calcedonenſi Epiſcopali infulâ ſublimatus fuit aliquot annis priùs, quàm è vivis excederet, piiſſimè obiit 9. Julii anno 1540. ita in Mantiſſa Reverendiſſ. Grueber *ex documentis Collegii Regalis S. Genofevæ Pariſienſis Auguſtam transmiſſis.*

Hæc dum legis Religioſe Tyro, animum adde ad expellenda vitia, hoc tractatu à te cognita: poſtea ad ſolidam virtutem Novitiatûs tempore addiſcendam, & tibi imprimendam labora; ac tandem ad altiora ſtudia converte animum: virtus eſt via ad doctrinam, & initium Sapientiæ timor Domini.

ARTICULUS II.
De Superbia, & ejus Remediis.

SUMMARIUM.

49. *Etymologia nominis, ac definitio ſuperbiæ.*
50. *Dupliciter ſpectari poteſt.*
51. *Secundùm propriam ſpeciem eſt grave peccatum directè oppoſitum humilitati.*
52. *Secundùm generalem redundantiam aliorum eſt regina vitiorum.*
53. *In quibusdam tamen circumſtantiis eſt ſolùm peccatum veniale.*
54. *Enumerantur damna ſuperbiæ.*
55. *Ponuntur remedia contra peſſimum venenum; & annectitur doctrina M. Hugonis.*

Iſidorus

Digitized by Google

49 ISidorus *L.* 10. *Etymol.* derivat ſuperbiam à ſupra, eò quòd ſuperbus ſupra alios vult excellere, alios ſupergredi, & ſuperare menſuram ſibi à DEO conſtitutam in donis naturalibus & ſupernaturalibus, vel in corporalibus & ſpiritualibus; ſicut à contrario ſancta humilitas Davidis in *Pſ.*130. gloriatur: *neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.*

Definit ſuperbiam ſanctiſſimus Legislator noſter *L.* 14. *de Civit.* quòd ſit *perverſa celſitudinis appetitus.* Genuinus verò ſanctiſſimi Patris filius Hugo Victorinus *L.* 2. *de Sacram.* clarè illam deſcribit, eſſe *elationem vitioſam, qua inferiorem deſpiciens, ſuperioribus & paribus ſatagit dominari.* Unde, quia juxta S. Th. 2. 2. *q.* 162. *a.* 4. ſuperbia importat immoderatum excellentiæ appetitum, qui ſcilicet non eſt ſecundùm rectam rationem, talis autem appetitus quatuor modis inordinatè haberi poteſt, quatuor etiam ſpecies ſunt, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur docente S. Greg. *M.* 23. *moral.* 1. Cùm bonum aut à ſemetipſis habere æſtimant: 2. aut, ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant: 3. aut certè cùm jactant ſe habere, quod non habent: 4. aut deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt habere, quod habent.

50 Peccatum ſuperbiæ ſecundùm S. Thomam hìc dupliciter conſiderari poteſt; uno modo ſecundùm propriam ſpeciem, quam habet à ſuo objecto; quod eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: altero modo conſiderari poteſt ſecundùm redundantiam quandam in alia peccata, in quantum ſcilicet ex ſuperbia oriri poſſunt omnia peccata, *vel per ſe & directè*, dum alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, qui eſt excellentia propria; vel *indirectè & quaſi per accidens* removendo prohibens, in quantum ſcilicet homo per ſuperbiam contemnit Divinam legem, per quam prohibetur à peccando, ſecundùm illud Jerem. 2. *confregiſti jugum, rupiſti vincula, dixiſti, non ſerviam &c.*

Primo modo ſpectata ſuperbia 51 eſt peccatum ſpeciale, & quidem mortale oppoſitum directè humilitati, quæ propriè reſpicit ſubjectionem hominis ad DEUM: ſuperbia verò propriè reſpicit defectum hujus ſubjectionis; dum aliquis ſe extollit ſupra id, quod eſt ſibi præfixum ſecundùm Divinam regulam & menſuram. Nolle autem ſubjici DEO, & regulæ, ſeu præceptis ipſius, manifeſtum eſt peccatum grave. Imò ſuperbia eſt peccatorum graviſſimum; quia in aliis peccatis homo à DEO avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſive propter deſiderium cujuscunque alterius boni: ſed ſuperbia habet averſionem à DEO ex hoc ipſo, quòd non vult DEO, & ejus regulæ ſubjici; qui actus ſunt per ſe

Digitized by Google

ad ſuperbiam pertinentes, & formalem DEI contemptum importantes: & ideò dicitur, *DEUM ſuperbis reſiſtere. Jacobi* 4.

52 Altero modo ſecundùm univerſalem influentiam in alia peccata non connumeratur ſuperbia aliis vitiis capitalibus, ſed potiùs à Greg. M. *L.* 31. *moral.* vitiorum regina & mater ponitur, unde illorum multitudines oriuntur. Præcipuè verò ex ſuperbia naſcuntur ſequentia vitia. 1. *Vana gloria*, quæ eſt appetitus æſtimationis, & laudis inanis apud alios: hujus actus ſunt gloriatio de bonis ſuis, quaſi non accepiſſet à DEO, vel etiam de bonis, quæ non habet, aut de malis. 2. *Vana complacentia* in laude aliorum, quibus gaudet ſe placere; & hæc eſt inani gloriâ deteſtabilior, ſi ſit in bonis animi præſertim virtutibus, eò quòd has deſtruat, & corrumpat. 3. *Jactantia*, cujus eſt laudare ſe ipſum, venditare, quæ non habet, exaggerare, quæ habet, & inaniter propalare, quæ eſſent reticenda. 4. *Ambitio*, cujus eſt honores & dignitates inordinatè appetere ultrà merita propria, mediis non convenientibus, aut affectu nimio, in illis quaſi finem ſuum conſtituendo. Ex hac ſequitur 5. *Hypocriſis*, qua ſimulantur bona opera, virtutes, bonæ intentiones, quæ tamen ſunt vanæ, utpote ob vanam gloriam, æſtimationem, & adeptionem dignitatum. 6. *Præſumptio*, qua majora ſuis viribus præſumit, audet, & ardua aggreditur ſolo laudis appetitu apud alios. 7. *Pertinacia*, cujus eſt nemini cedere in judicio, voluntatem propriam ſequi, ſuum tueri, &, ne erràſſe videatur, excuſatione prætenſa defendere. 8 *Contemptus* aliorum, inferiorum, æqualium, & ſuperiorum, in quibus facillimè, uti alii in ſole, maculas deprehendunt: exinde naſcuntur alia innumera, ſcilicet inobedientiæ, rebelliones, calumniæ, injuriæ, irreverentiæ &c. erga alios naſcuntur diſcordiæ, rixa, maledicta; erga DEUM verò blasphemiæ.

Conſtat quidem ex *n.* 51. ſuperbiam ſecundùm genus ſuum eſſe peccatum grave; ſicut tamen in aliis mortalibus ſunt quidam motus, qui ſunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia ſcilicet præveniunt rationis judicium, & ſunt præter ejus conſenſum: ita etiam & circa ſuperbiam accidit, quòd aliqui motus ſuperbiæ ſunt peccata venialia, dum eis ratio perfectè non conſentit; ut habet S. Th. *hic art.* 5. aut dum exigua excellentia propria appetitur; aut magna quidem appetitur, aſt leviter, ſine gravi nempe contemptu DEI, & injuria proximi, nec in illa finis conſtituitur. 53

Omnia quidem vitia & inordinatæ paſſiones Aſcetam à perfectionis via dejiciunt, ut nempe libidine perdatur caſtitas, irâ manſuetudo, gulâ abſtinentia &c. ſuperbia verò ingentia damna adfert; omnes enim virtutes, de quibus gloriatur, una extin- 54

Digitized by Google

extinguit, & toti hominis perfectioni inſidias ſtruit; ùt monet S. P. N. in S. Reg. *alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant.* ô quantum damnum, reliquiſſe ſæculum, edomâſſe carnem, diabolum ſuperâſſe, & tandem à ſuperbia privari meritô, quin à devictâ jam inani gloria ultimò vinci! 2. Damnum eſt, quòd DEUS ſuperbos extraordinariis auxiliis deſtituat, & in alia horrenda, ac communiter in fœda carnis peccata labi ſinat; ut ſcribit in Ep. S. P. N. *dejicit DEUS occultam mentis ſuperbiam per carnis manifeſtam luxuriam.* Id ipſum docet S. Greg. *in moral.* & S. Bern. *ſerm.* 4. *in Nat Dom. Stupent plerique, quòd inter fœdas carnis cogitationes quaſi inviti volutentur*; cùm tamen corpus vigiliîs, abſtinentiâ, ciliciîs, flagellîs macerent: in promptu cauſa eſt; quia latet ſub corporis afflictationibus ſuperbia, vana gloria, & forſan hypocriſis. 3. Eſt magna confuſio ſuperbi; amittit enim bonum habitum, & gratiam, fruſtratur bonô deſideratô, & pro exaltatione ſubit humiliationem; quia, *qui ſe exaltat, humiliabitur: Math.* 23. Ita parentes noſtri amiſerunt ſtatum innocentiæ, non aquiſierunt ſcientiam & ſimilitudinem Divinam; ſed gratiâ ſpoliari, paradisô ejecti, in ſudore vultûs panem ſibi quærere coacti ſunt, qui voluerunt eſſe ſicut Dii.

Remedia contra ſuperbiam ab Aſcetis numerantur: 1. Sæpiùs cogitare, quòd odibilis ſit coram DEO & hominibus ſuperbia: *Eccl.*10. *v* 7. 2. ſe ipſum nunquam laudare, aut res ſuas, facta, munera, & dotes tum naturales tum ſupernaturales extollere, ſed quidquid DEUS nobis donat, ipſi adſcribere, & ejus Nomini dare gloriam. 3. Conſiderare miſeriam, fragilitatem in pejora labendi, & inſtabilitatem in virtutibus perſeverandi, aut valetudinem corporis continuandi: *homo* enim *vanitati ſimilis factus eſt. Pſ.* 143. 4. inanes cogitationes frequentibûs tum internîs mortificationibûs, tum externîs carnis afflictationibûs domare, & refrœnare juxta exemplum S. N. Thomæ Cantuarienſis &c. 5. In exercitio virtutis, aut vitii fuga, nil ſibi, ſed DEO adſcribere victoriam, & cogitare, quod triumphantibus Romani acclamabant: *hominem te eſſe memento.* 6. Fugere ſocios vaniloquos, quorum mens ſemper valida eſt ad irrogandas contumelîas, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra; ùt ait Greg. M. *in moral.* 7. Superioribus ſuis ſe non æquare, vel præferre; punivit enim id DEUS *num.* 12. 8. Timere DEUM; nam *timor Domini odit malum, arrogantiam & os bilingue deteſtatur*: & ita S. Greg. M. 2. *moral.* contra ſuperbiam efficax ponit remedium, *donum timoris*; ut refert Doctor Angelicus *hic a.* 3. S. Bern. ſolidè pro more ſuo, & clarè ſuperbia

Digitized by Google

biæ mala comprehendit *Serm.* 6. *in Pſal. qui habitat*, dicens: *ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.* Timeat igitur Novitius, & fugiat ſuperbiam, quæ ipſum à virtutum progreſſu longè arcet: timeat Veteranus, ne ipſius onuſtam virtutum mercibûs navem in portu aggrediantur, & exſpolient piratæ, vana gloria ſcilicet, & ſuperbia.

SUPERBIA DOCTA, & VICTA.

M. Hugonis de S. Vict. doctrina de Superbia continetur *Lib.*2. *in Evang. Matthæi cap.* 4. ubi ſubtilis iſte Doctor affectiones ſuperbiæ oſtendit, dum pullulantia ex illa vitia ordine deſcribit in ſequentem ferè modum; omnia enim nec lubet, nec vacat propria dare verba: prima igitur inter affectionis corruptiones eſt *Superbia*, id eſt, amor propriæ excellentiæ, quæ ipſum affectum deformat; quia, dum eum ad partem detrahit, à toto recedit: In omnibus enim reliquis vitiis pœna primi vitii conſtat; quia quod in ſuperbia præeunte delinquitur, in cæteris ſuperbiam ſubſequentibus punitur: in illa quippe bonum ad proprietatem amatur; gaudet enim ſe habere, quod alius non habet, vel ut habeat, quod alius non habet: propterea igitur, quia excellentia ad proprietatem amat, amor propriæ excellentiæ vocatur; in eo enim quòd proprietatem amat, odit communionem, & naſcitur *invidia* filia ſuperbiæ; invidia quippe odium eſt felicitatis alienæ, quæ de ſuperbia naſcitur: non enim tibi diſplicere poterat, id alium habere, niſi quod tu priùs ſolus habere voluiſti: propterea lædit te, & gravis eſt tibi aliena felicitas, quia in ea tibi tuus oſtenditur defectus, & ex ea argueris non eſſe, quod vel eſſe gaudebas, vel concupieras, ut eſſes. In ſuperbia igitur injuſtè delectaris; in invidia juſtè cruciaris; in ſuperbia perversè tibi placet, quod tu es; in invidia iniquè tibi diſplicet, quod alius eſt. Poſt hanc ſequitur ira, hoc eſt, irrationabilis perturbatio mentis, quæ & ipſa pœnam ſuam ſecum habet; nam ſi dolorem facit aliena felicitas, cùm cernitur, multò magìs facit, cùm adverſatur; hæc eſt ergo irrationabilis perturbatio mentis, quæ ira dicitur, cùm malum illatum pati dedignaris; ideóque turbaris impatientiâ agitatus, quia non ſuſtines adverſitatem.

Hæc igitur vitia, id eſt, *ſuperbia, invidia, ira*, maximè DEO adverſantur: ſuperbia námque DEUM negat, invidia accuſat, ira fugat: qui enim de ſingularitate gloriatur,

Supe-

Superiorem negat; qui verò alienis bonis invidet, largitorem accuſat; qui autẽ in corde ſuo perturbationẽ recipit, pacis amatorem expellit; ſimul verò omnia quaſi blaſphemant: Superbia quippe dicit, DEUM non bonum eſſe: Invidia, & Ira dicunt non bene feciſſe; Illa, quia alii bonum contulit; iſta, quia ſibi malum intulit. Sic tria hæc vitia ſpecialiter ad injuriam DEI ſpectare videntur, in quibus bonum ſuum, quod Deus eſt, mens rationalis perversè deſerit. Atque hæc tria peccata Divinæ bonitati potiſſimùm repugnant, quorum caput eſt ſuperbia. Deinde ſequuntur quatuor alia vitia, quibus DEUS ſuam in hominem injuriam ulciſcitur; quia peccatrix anima à DEO deſerta (propter ejus ſuperbiam) his vitiis quaſi ad vindictam ſubſequentibus punitur. In his igitur quatuor vitiis prima eſt *Acedia*, id eſt, tædium animi, quod de faſtidio interni boni naſcitur: in qua animus amiſsô bonô ſuô ſolitarius, & deſertus manens, ſibi ipſi in amaritudinem & dolorem commutatur. Deinde ſequitur *Avaritia*, id eſt, immoderata habendi cupiditas, quæ animum interno bono carentem, & ſibi non ſufficientem, ad exteriora appetenda compellit. *Acedia* igitur animæ dolorem facit, Avaritia laborem; quia illa per triſtitiam afficit; iſta per varia deſideria ſcindens in laborioſos conatus extendit. Poſt Avaritiam ſequitur *Gula*: mens enim per appetitum exteriorum fuſa primùm à gula excipitur, quæ neceſſitatem prætendens familiariùs blanditur. Quæ, quia poſt neceſſitatem ſuperfluitatem inducit, vitium eſt; quoniam appetitum & deformat extra menſuram trahens, & affligit per immoderatum deſiderium tendens, & polluit turpi delectatione inficiens. Noviſſimè ſuccedit *Luxuria*: caro ſiquidem inflammata per crapulam continuò ad libidinem effervet, in qua ſimiliter turpido eſt. In his ergo vitiis ſicut prima Superbia animam à ſummis detrahit; ita noviſſima Luxuria in infimis defigit; ſicut ſcriptum eſt *Pſalm. 68. infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Rectè ergo contra Superbiæ gloriam opponitur immunditia luxuriæ: & ubi præcedit ſpiritûs elatio, ſequitur carnis turpitudo; ut qui in ſe perversè confiderat, unde gloriatur; in ſe etiam juſtè inveniat, unde confundatur.

Hæc ſunt ſeptem vitia, quæ univerſam animæ integritatem corrumpunt: contra quæ ſananda opponuntur ſeptem dona Spiritûs S. quaſi 7. antidota ſpecialia, quæ tamen ſeptiformi petione promiſſa, ſcilicet oratione Dominicâ, impetrantur. Contra ſuperbiam opponitur prima petitio, *ſanctificetur nomen tuum &c.* Igitur qui in limine orationis Dominicæ quaſi benevolentiam capturus dicit, *Pater*, fiduciam ſignificat exauditionis: qui verò dicit, *Noſter*, humilitatem oſten-

 dit,

dit, non ſingulariter præſumens de bono, quod in communi datum eſt: atque hinc oſtenditur, ne quisquam communi bono ſingulariter ſe extollat; cùm alios fratres quilibet habeat, neque ſolus ſit in hoc bono, quod per gratiam datum eſt omnibus. Qui ergo, *ut ſanctificetur nomen tuum Domine*, petit, omnem ſingularitatem à ſe cupit eſſe amotam; nec ullam propriam excellentiam, nec quidquam aliud appetit, quod aliis ſimul non optet commune; quia aliis æquè ſicut ſibi gratiam flagitat, ut ſanctificetur nomen Dei in omnibus. Poſtquam autem DEUS ſic humilitate ſuperveniente, & ſuperbia cadente, in te, chariſſime frater, ſanctificaverit, & te ſanctificare fecerit nomen ſanctum ſuum, non hìc ſiſtas, non tibi ſufficiat ſalus tua: extende affectum charitatis, & pro aliis clama ad illum, *ſanctificetur nomen tuum*. Ab omnibus ſanctificetur, & ab omnibus glorificetur; ut ſecundùm nomen tuum ſit & laus tua usque in fines terræ. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; hoc eſt: *ſanctificetur nomen tuum*; ſanctificatur enim, cùm glorificatur.

Colliges ergo, primam petitionem in oratione Dominica Divinum in ſe continere pharmacum contra venenum mortiferum ſuperbiæ, quæ Divinæ bonitati & excellentiæ infinitæ potiſſimùm repugnat. Dicito igitur ex Divina doctrina, ſi ſpiritus ſuperbiæ te invadit, *ſanctificetur nomen tuum*, & efficaciam experieris petitionis tuæ; quia cœleſtis Pater ad ſui reverentiam cor tuum inclinabit, illuminabit intellectum ad cognitionem, excitabit voluntatem ad dilectionem, ut humilieris ſub potenti manu illius.

Inſignis ſuperbiæ domitor, & ſtudioſiſſimus humilitatis amator; M. Hugonis doctrinam ſecutus eſt Petrus Recta Lucenſis Italus Congregationis Lateranenſis. Emicabant in viro hoc præter excellentem doctrinam virgineus candor, propheticus ſpiritus, ſummáque animi demiſſio, ſecundùm quam omnes humanos favores deſpiciebat, nulláque creaturarum delectatione tenebatur, abſorbebat Divinus amor omnem ejus cogitatum, & creata propter Dominum in Domino diligebat. Ejus dicta, ac monita, tanquam de cœlo miſſa, tum à politicis Principibus, tum ab Eccleſiaſticis, & Magiſtratibus excipiebantur. Bononiæ cùm 1520. conciones quadrageſimales haberet, illis civibus & innumerabili confluenti populo utriusque ſexûs, præſentibus 4. Reverendiſ. Epiſcop. Aloyſio Lipomano Electo Pergomenſi, Gabriele Bononienſi Archi-Epiſcopo Barienſi, Bartholomæo Juſtinopolitano, Aloyſióque Maceratenſi, plurima eventura tum generalia tum particularia prædixit mala, mortem ſcilicet violentam multorum, peſtem, famem, bellum,

Digitized by Google

lum: quæ omnia poſtea evenerunt. Charitas proximi adeò in ipſo effulgebat, ut omnibus omnia factus videretur: unde Bononiæ in montano S. Joannis Evangeliſtæ Cænobio exiſtens ſumma vitæ aſperitate, excellentique verbi DEI facundiâ adeò populum illius civitatis excivit, ut confitentium peccata ſua ingens ſemper numerus confeſſionale ipſius ſtiparet, ob hoc *pœnitentium Pater* communiore appellatus vocabulo. Per ſedecim annos à ſacris confeſſionibus fuit Helenæ de Bentivolis, ſanctimoniâ vitæ per ea tempora celebris, virginitatis in conjugatu cultricis integerrimæ, miraculiſque pluribus illuſtris, beatitudinis titulo à populorum devotione poſt piiſſimam mortem honeſtatæ, & aliquando, DEO dante, per Sedem Apoſtolicam legitimè honeſtandæ. Abbas Montanus ad S. Joannem à Generali Capitulo electus dignitatẽ tunc demum ſuſcepit, cùm non niſi cum crimine nequiret non obtemperare. Ultimum clauſit diem in dicto Cœnobio 1522. qua morte audita nullus penè Bononienſium fuit, qui ad pium funus non acceſſerit, & ea non ediderit publicæ devotionis ſigna, quæ in viros ſanctitate conſpicuos, & communi fide DEO perdilectos exhiberi ſolent. Poſt biduum corpus, ut populorum deſiderio fieret ſatis, in Eccleſia publicè expoſitum, ſub tholo ante Aram maximam ex parte illa, quæ organa reſpicit, tumulatum fuit. Scripſit varios libros de arte meditandi paſſionem Chriſti Domini, de imitatione Chriſti, de modo bene moriendi, documenta ſpiritualia, regulas ſecretæ Theologiæ, de humilitate, de munditia cordis &c. quæ omnia Bononiæ edita, & poſtmodum Venetiis 1592. Franciſco Senenſi promotore lucem aſpexerunt publicam. Ex Lyceo Lateranenſi Abbatis Roſini *L.14.* & Pennoto *l. 3. c. 55. n. 6. &c.*

ARTICULUS III.
De Invidia.

SUMMARIUM.

56. *Anatomia lividi Monſtri variis modis.*

57. *Lethale ex natura ſua eſt vitium; niſi intra limites certos contineatur.*

58. *Generátque varia peccata alia.*

59. *Pharmaca contra ejus attactum porriguntur; & ultimò mali effectus aſſignantur. Additur in fine M. Hugonis Doctrina.*

56 INvidia à S. Damaſc. *L. 2.* definitur, & à Doctore Angelico approbatur 2. 2. *q.* 36. *a.* 1. *triſtitia de alienis bonis, in quibus alter alium*

 exce-

excedit, ejúſque gloriam diminuit, vel obſcurat. Unde de illis bonis homines communiter ſolent invidere, in quibus eſt aliqua gloria, & in quibus homines amant honorari, æquari, aut præferri aliis. Quod quatuor modis contingere poteſt. 1. Quia dolet aliquis de bonis proximi, in quantum ex illis timetur nocumentum aut ſibi aut alteri: & hoc poteſt eſſe ſine peccato; quia juxta S. Greg. M. *L. 22. moral. evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet, cùm & ruente eo quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo pleroſque injuſtè opprimi formidamus.* Et hoc pertinet *ad timorem.* 2. Poteſt aliquis triſtari de bono alterius, quia illô bonô, quod alter habet, ipſe caret; & hoc eſt propriè *Zelus;* qui, ſi ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt juxta illud 1. *ad Corinth.* 14. *æmulamini ſpiritualia &c.* Si verò ſit circa bona temporalia, poteſt iſte zelus eſſe cum peccato, & ſine peccato; ùt docet S. Th. hìc. 3. Poteſt quis triſtari de bono alterius, quia eô indignus eſt, quòd habeat: & hæc triſtitia vocatur *Nemeſis*, & pertinet ad bonos mores: verſatur tamen hæc non circa bona honeſta, quibus aliquis juſtus efficitur, ſed circa bona talia v. g. honorem, divitias &c. quæ poſſunt provenire dignis & indignis. Unde hoc diſcrimen intereſt, quòd *Nemeſicus* triſtetur de bono indignè agentium ſecundùm illud *Pſalm* 72. *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns; invidus* verò triſtatur de bono dignorum. Quia autem hæc bona temporalia, quæ indignis proveniunt, ex juſta DEI ordinatione diſponuntur vel ad eorum correctionem, vel majorem damnationem, & in comparatione ad æterna, quæ ſervantur juſtis, nihil ſunt æſtimanda, prohibet nobis DEUS hanc Nemeſicam triſtitiam *Pſalm.* 36. *noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* 4. Si quis triſtatur de bonis alterius, in quibus ipſum excedit alter; & hoc eſt propriè *invidia*, & ſemper pravum, quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi.

Invidia ex genere ſuo eſt pec- 57
catum mortale; quia eſt contra charitatem, per quam habetur animæ vita: charitatis etenim, & invidiæ objectum idem eſt, nempe bonum proximi, ſed ſecundùm contrarium motum; nam charitas gaudet de bono proximi, invidia verò de eodem triſtatur. Sed ſicut in aliis peccatis lethalibus ſunt aliqui motus imperfecti, ita etiam in hoc vitio, qui tantùm ſunt peccata venialia, ſi ſcilicet ſint in ſola ſenſualitate, vel non cum plena deliberatione, & conſenſu, vel cùm triſtitia de bono alterius exiguo habeatur; ut docet S. Thomas *hìc.* Sive autem ſit hæc triſtitia ſeu invidia de bonis fortunæ corporalibus, ſive ſpiritualibus animæ,

Digitized by Google

mæ, æquale videtur eſſe peccatum; invidentia tamen fraternæ gratiæ, ejúſque augmenti, eſt peccatum in Spiritum S. idque inter graviſſima recenſetur; quia hac ratione quodammodo homo invidet Spiritui ſancto, qui in ſuis operibus, & ſupernaturalibus donis glorificetur.

58 Etſi invidia ſit ſoboles inanis gloriæ; quia, dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit; numeratur tamen inter vitia capitalia; & ex ea naſcitur juxta S.Greg. 31.*moral. c.* 31. *à med.* conatus aliquis in principio ſtatim gloriam alterius diminuendi vel in occulto, & eſt *ſuſurratio*; vel manifeſtè, & eſt *detractio*: in medio verò, dum intendens gloriam alterius diminuere poteſt, eſt *exultatio in adverſis*; ſi non poteſt, *afflictio in proſperis*. Terminus tandem invidiæ eſt *odium*; ſicut enim bonum delectans cauſat amorem, ita triſtitia cauſat odium proximi. Tandem ſequitur *diſcordia*, quæ eſt ſeparatio voluntatum in eo, quod pertinet vel ad honorem DEI, vel utilitatem & bonum proximi, ſecundùm illud Joan. 7. *livor ſeparat, charitas jungit. Contentio* eſt contrarietas in locutione; vel cum S.Th. & Ambroſ. *impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Et hæc ſunt peccata gravia, & ponuntur ab Apoſtolo inter opera carnis: *Galat.* 5. *Qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur.*

59 Remedia contra vitium iſtud habentur 1. charitatem erga proximum in ſe fovere, & quidem primos ſtatim invidiæ motus reprimere, & à contrario gaudere de bono proximi tanquam de ſuo proprio; hac enim ratione quodammodo ſibi quis appropriat alienam felicitatem; ùt docet S. P. N. in Joan. *tolle*, inquiens, *invidiam, & tuum eſt, quod habeo, tollam invidiam, & meum eſt, quod habes.* 2. Cogitare, quæ ad amorem proximi nos inducunt, ut ſunt ſimilitudo naturæ, communio gratiæ, unitas Religionis, Fidei, ac corporis myſtici, & quod ſimus invicem membra, & unus exercitus DEI, unus grex Chriſti, ab eodem Creatore plaſmati, ab iiſdem primis Parentibus generati, ad eandem felicitatem facti & ordinati; ùt monet Dion. Carthuſ. *de rem. tent. c.*32. 3. menti imprimere, quòd providentia DEI paternè prorſus ſua dona diſpenſet, uni aliquid concedentis, alteri abnegantis, omnia ad majorem ſuam gloriam, juſtorum præmiationem, & reproborum damnationem. 4. Penſare, Chriſtum pro omnibus nobis eſſe paſſum, & pro crucifixoribus ſuis orâſſe, ut ita nobis exemplum relinqueret. 5. Mundanam felicitatē, honores temporales, voluptates carnales, opes terrenas nihilò æſtimare, contemnere; beatam verò æternitatem contemplari, ubi ſancti ſinguli ſua ſorte contenti DEO æternùm gratias agunt. 6. Fructus charitatis guſtare, qui ſunt pax & gaudium in Spiritu

ritu ſancto *Rom.* 14. 7. ad orationem confugere, petere à DEO inſtanter gratiam, ut luem hanc peſtiferam evitemus. 8. Invidos fugere ſocios; quia iſti habent faſcinantes oculos, & detractionis periculum adeſt, retardant etiam in perfectionis curſu, & charitatem proximi expellunt. 9. Mala invidiæ perpendere; hæc enim ſibi ipſi pœna eſt, cùm devictum cor livoris putredo corruperit. Ipſa quoque exteriora indicant, quàm graviter animum veſania inſtiget; color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor. Sic enumerat Magnus Greg. 5. *moral. cap.* 34.

SANA LIVORIS OPPOSITIO.

POrrò antidotum contra Invidiam, quæ odium eſt felicitatis alienæ, à M. Hugone *cit. L.* 2. *c.* 9. ex oratione Dominica ponitur ſecunda petitio: *adveniat regnum tuum*: hæc enim contra vitium invidiæ opponitur, in qua deſiderium fraternæ ſalutis commendatur; nam quid eſt regnum DEI, niſi ſalus hominum? non enim regnum hìc illud ſignificatur, quo cunctis DEUS poteſtate præſidet, & nutu potentiæ ſuæ univerſa ad arbitrium ſuæ voluntatis intorquet; ſed illud eſt, quô piis mentibus per amorem ſubjectis præſidet, tantum advenit, quantum ſalus hominum creſcit, in quibus videlicet mentibus, dum id, quod contra juſtitiam malè nitebatur; ad nutum Divinæ voluntatis per gratiam aſpirantem componitur: tunc nimirum in eis DEO advenienti regnum præparatur, ut in ipſis habitet. Regnum ergò DEI eſt, quô interiùs per gratiam præſidens fluctuantes mentes hominum regit, & ad leges æternæ juſtitiæ ſequendas non vi, ſed amore inflectit, ut ſub ipſo per devotionem, & poſt ipſum per imitationem dirigantur ad ipſum per glorificationem. Sicut ergo in prima petitione gloriam DEI poſtulamus, ſic in ſecunda ſalutem proximi flagitamus. Illud contra ſuperbiam, hoc contra Invidiam: ibi nos per humilitatem ſuperiori ſubjecimus; hìc per charitatem proximo ſociamus: *ſanctificetur nomen tuum*; *adveniat regnum tuum.*

Profuſam erga proximum charitatem oſtendit, & orbi palàm reliquit Reverendiſſimus Rodericus Ximenius Navarrus ex Canonico Regulari Archi-Epiſcopus Toletanus, qui ſuo hortatu tantum effecit, ut 1209. Valentiæ publicum ſapientiæ Lyceum ab Alphonſo rege fuerit conſtitutum ad juventutem litteris & humanitate informandam, artium profeſſoribus ex Gallia atque Italia evocatis; quæ Academia ſubinde Sala-

Salamanticam à Ferdinando Alphonſi nepote Anno 1239. eſt translata. Anno 1213. cùm in Hiſpaniæ regionibus fames graviſſima graſſaretur, Rodericus opibus ſuis ſacrísque concionibus alios adhortando, ut idipſum facerent, egenorum neceſſitatibus ſubvenit: quo factum, ut Alphonſus Caſtellæ Rex Eccleſiam Toletanam nova multorum oppidorum acceſſione ditaverit. Toletanum dein Præſulem jure perpetuo, legéque in omne tempus latâ, regni Cancellarium dixerit, confirmâritque datum ante ſeptennium Martino deceſſori diploma. Quo quidem magiſtratu ſuprema & maxima auctoritas poſt regiam olim continebatur. Anno 1215. peregrinatione ſuſcepta Rodericus noſter Romam abiit, & Patrum Concilio, quod menſe Novembri inchoatum eſt, in templo Lateranenſi interfuit: quo in conventu orationem ad Patres conſcriptos habuit, latinâ quidem linguâ conceptam, ſed aliarum linguarum, quarum peritus erat, Italicæ, Germanicæ, Gallicæ, & Anglicæ floribus ornatam, ſententiisque diſtinctam, ut miraculi inſtar auditoribus eſſet, tantam linguarum facultatem Hiſpanum hominem aſſecutum eſſe. Conſtituit, ac dotavit Rodericus Toleti Anno 1222. duodecim Canonicos cum quatuor dignitatibus ea lege, ut Toletanæ Baſilicæ Cathedralis Sacerdotibus ſubditi eſſent, & Anniverſario Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis feſto quinque æreos nummos, quaſi vectigales, templo Toletano penderent. Obiit Lugduni, Româ in Hiſpaniam revertens, anno 1245. in Hortenſi Ciſtercienſium Aſcetarum Monaſterio Regni Arragonenſis, ſplendidâ pompâ terræ mandatus: ubi ad principem Aram corpus monſtratur, cum hac Epigraphe:

Mater Navarra, Nutrix Caſtella,
Schola Pariſii, Sedes Toletum,
Hortus Mauſoleum, Requies Cœlum.

Ex Joanne Mariana Annalium Hiſpaniæ *lib.* 12. *c.* 4.

ARTICULUS IV.
De Detractione, Contumelia, Suſurratione, & Deriſione.

SUMMARIUM.

60. *Quid & quotuplex detractio.*
61. *Mortale ex ſe peccatum eſt: patitur tamen medium, quo veniale tantùm eſt.*
62. *Varii modi ablatam reſtituendi famam.*
63. *Enumerantur caſus, in quibus revelatio occulti criminis non detra-*

detractio, ſed juſta denuntiatio eſt.

64. *Diſcrimen & ſimilitudo detrahentis, & audientis.*

65. *Quid ſit contumelia.*

66. *Suſurratio.*

67. *Deriſio.*

68. *Remedia contra vitia oris.*

60 DEtractio eſt ablatio ſeu injuſta denigratio alienæ famæ per occulta verba cum intentione nocendi quoad famam, ſive in toto, ſive in parte; unde poteſt aliquis diminuere alterius abſentis famam quadrupliciter. 1. Quando falſum imponit alteri. 2. Quando peccatum adauget ſuis verbis. 3. Quando occultum revelat. 4. Quando id, quod eſt bonum, dicit mala intentione factum. Et hîs modîs directè detrahitur: indirectè verò 1. Negando bonum alterius. 2. Malitiosè reticendo. 3. Minuendo virtutes & laudabilia facta alterius. Ex quibus conſtat, detractorem proferre verba occulta, id eſt, de abſente malè proloqui ex intentione, ut, quantum in ſe eſt, eos, qui audiunt, faciat malam habere opinionem de illo, contra quem loquitur.

61 Detractio, ſicut alia peccata verborum maximè, ex intentione proferentis dijudicanda eſt: igitur qui de aliquo abſente obloquitur, ut ejus famam denigret, peccat graviter; ùt omnes Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 73. a. 2. docent: bona enim fama eſt inter res temporales pretioſior juxta illud *Eccl.* 41. *curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni & pretioſi.* Poteſt autem detractio etiam tantùm veniale eſſe peccatum, ſi proferens vel non intendat diminuere famam, aut proferat quædam ex levitate animi, quæ non faciunt gravem diffamationem: ſi verò prolatum verbum ſit adeò grave, ut notabiliter famam alicujus lædat, erit ex ipſo genere verborum grave etiam peccatum; & tenetur tunc ad reſtitutionem famæ, quisquis ita detrahit.

Modi, quibûs ablata fama re- 62
ſtitui poteſt ac debet, habentur ab authoribus citatis apud Lairvelz in *Cath. Novit. lect.* 31. ſequentes: 1. Si impoſitione falſi famam læſerit, detractor reſtituat dicendo illis, apud quos ſe infamatorem exhibuit, ſe falſum dixiſſe, aut fuiſſe contrarium detectum. 2. Si revelatione criminis vel peccati occulti fama ablata fuerit, dicat ſe fuiſſe deceptum, & deprehendiſſe falſum, intelligendo id de falſitate practica, quæ eſt opus quodcunque rationi diſſonum; quale omne peccatum & crimen, utpote contra rectam hominis rationem, habetur. 3. Læſa fama reſarciri poteſt laudando infamatum, & honorificè de eò loquendo apud eos, qui priùs detractionem audierunt, virtutes ejus propalando, & commendando apud alios, quo-

quoties occaſio fuerit: debet tamen laus & commendatio verſari circa eandem materiam, in qua diffamatio facta fuit. 4. Reſtitutio fit, humiliter à læſo veniam petendo; quæ reſtitutio ſeu injuriæ illatæ recompenſatio ſpecialiter fieri debet ab eo, qui contumeliam gravem alteri intulit.

63 In quibusdam tamen caſibus propalatio criminis aut peccati occulti non cenſenda eſt detractio, ſed juſta denuntiatio; ut 1. Si quis confratris defectus, & exceſſus graviores notorios in Capitulo, vel privatim Superiori deferat, cùm nihil injuſtè faciat; nam juxta Apoſt. *ad Tim.* 5. publicè peccantes publicè & coram omnibus ſunt arguendi: dein qui publicè peccavit, jam famam perdidit ſecundùm DD. communiter. 2. Si quis, ſervato correctionis ordine, ſecretum confratris peccatum teſtibus, vel Superioribus aperit; ùt docet S. P. N. Aug. *in Reg. cap.* 7. Dixi, *ſervato correctionis ordine*; quia ante ejusmodi revelationem lege charitatis fraternæ debet peccans admoneri, & privata admonitione corrigi; emendatione autem non ſecuta, ſecretum crimen dicto modo aperiri poterit; ùt docet S. Th. 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. 3. Si quis etiam ſine prævia fraterna correctione ſecretum peccatum Prælato aperit tanquam Patri; ſic enim delinquentis fama meliùs conſervatur, & certiùs malum corrigitur; rurſùs ſecundùm S. Reg. S. P. N. cit. *cap.* 7. 4. Qui occultum crimen, vergens in damnum tertii, Religioſæ communitatis & diſciplinæ, pandit, & ſtatim ad Superiores defert; bonum enim commune ſemper præferendum eſt bono particulari cujuscunque juxta S. Th. *præmemorato art.* 7. *q.* 33. 5. Denique detractor neutiquam cenſendus eſt, qui juſta intercedente cauſa de aliquo obloquitur; ut ſi 1. intendatur major DEI gloria, cujus judicium à viro probo & erudito pendet. 2. Proximi ædificatio, 3. inſontis liberatio, 4. Zelus diſcretus juſtitiæ, 5. emendationis deſiderium, 6. communitatis alicujus majus bonum; quale eſt revelatio peccati, quod occultè & malitiosè ſerpit, vel ejectio membri putridi, quæ fieri nequit ſine læſione honoris ejus, qui amovetur; ſicut notat Reverendiſſimus & Religioſiſſimus Lairvelz in *Cat. Novit. Lect.* 29. *Regula* 2.

Non ſolùm qui detrahit, ſed 64
& qui detrahentem audit, nec corrigit, cùm tamen poſſit, & teneatur, graviter peccat; digni enim ſunt morte non ſolùm *qui* peccata *faciunt*, *ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt: Rom.* 1. Ex quibus patet, talem graviter peccare, qui detrahenti ex vano timore non reſiſtit, graviùs autem delinquere, qui directè alium inducit ad detractionem, vel ſaltem ei placet propter odium proximi. Subinde non peccat, ſi diſplicentiam oſtendat vultu, diſcurſum conetur interrumpere,

diffamati virtutes laudet, & dicta in animo non admittat.

Coram Superiore verò detrahente, cui debetur reverentia, ſufficit, ad prolata tacere cum vultûs rubore: niſi imponeretur falſum crimen innocenti; tunc enim excuſatio ſufficeret, aut coram dicere, ſibi innocentiam læſi eſſe notam, & ſe neſcire hujus crimen. Id diſcriminis intereſt inter detrahentem & audientem, quòd hic non, ille verò teneatur ad famæ reſtitutionem.

65 *Contumelia* eſt dehonoratio manifeſta alicujus præſentis, verbîs injurioſîs expreſſa &c. Eſt peccatum mortale ex ſe, & meretur pœnam æternam inferni, qui proximo honorem auferre objecto convitio intendit; non enim minoris æſtimatur proprius honor, quàm res temporales. Et ne ejusmodi convitium leve putetur, Math. 5. dicitur: *qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si quis autem non intendat convitiari alterum, vel honorem auferre, poteſt eſſe vel omnino nullum, vel tantùm veniale; niſi prolatum convitium ex ſe ita eſſet grave, quod ex ſe auferret honorem alteri; & tunc eſſet mortale. Nonnunquam poteſt eſſe ſine peccato, ſi fiat à Superiore causâ diſciplinæ & correctionis debitæ, vel ſi proferantur levia convitia non ad dehonorationem, vel contriſtationem alicujus, ſed magìs delectationis & ioci gratiâ: quod convitii genus à nobis communiter honeſta & jocoſa vexatio appellatur, & ab Ariſtotele 4 *Ethic.* ad virtutem moralem *Eutrapelia* trahitur; ad quam pertinet bene & jocosè convitiari. Differunt detractio & contumelia, quòd illa proveniat ex invidia, hæc à potiori ab ira: detractor intendit occultè famam abſentis, contumelioſus verò manifeſtè coram præſentibus honorem præſentis auferre.

Suſurratio quoad materiam & 66
formam eadem eſt, ac detractio: ab iſta autem in fine differt, eò quòd detractor denigrare famam proximi, ſuſurro autem ſeparare amicitiam nitatur; ſive dein hæc ſeparatio fiat per denigrationem famæ, ſive per interpretationem, & converſionem boni in malum: unde dicitur *Proverb.* 26. *ſuſurrone ſubtracto, jurgia conquieſcent*: quia ſuſurro talia mala profert de proximo, quæ poſſunt contra ipſum commovere animum audientis amici; juxta *Eccl.* 28. *vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Ex his etiam appellatur *bilinquis*; cùm enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex utraque parte amicitiam rumpere, & ideo duabus linquis utitur ad duos, uni dicens malum de alio; ut habet S. Th. 2. 2. *q.* 74. *a.* 1. *ad* 3. Atque, ſicut amico fideli nulla eſt comparatio, *Ecleſ.* 6. ita majus bonum cenſetur amari, quàm honorari; cùm ad amorem præſupponatur fama & honor, tanquam diſpoſitio; & hinc detractio & contumelia minus peccatum

Digitized by Google

catum mortale ſunt, utpote diſpoſitionem tantùm inhibentes, quàm ſuſurratio, quæ amorem fraternum diſpellit; ideo *Proverb. 6. ſex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*: & hoc ſeptimum ponit eum, *qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

67 *Deriſio* diſcrepat à prioribus quoad finem; cùm irriſor intendat verbis & cachinnis, vel rugato naſo (quod dicitur *ſubſannatio*) inferre erubeſcentiam, quæ *eſt timor dehonorationis* ſecundùm Damaſc. *L. 2. Orth. Fidei c.* 15. Quando igitur vel cum complacentia deridentur, vel ex odio proximi per ludum traducuntur graves illius defectus, qui utique non ſunt illudendi, ſed tanquam mala proximi ſeriò potiùs deflendi, mortale peccatum eſt, militans contra charitatem; & quidem eò gravius erit, quò major erit perſona, in cujus contemptum defectuum illuſio fit: unde irriſio Parentum, Præceptorum, Superiorum valde grave peccatum denuntiatur *Proverb. 30.* Deinde gravis cenſetur irriſio juſtorum; quia honor eſt virtutis præmium: & hæc valde nociva eſt, *quia per tales homines à bene agendo impediuntur*; ita Angelicus Doctor 2.2.*q.*75. *à* 2. leve tamẽ peccatum habetur, quando aut res levis, aut perſona levis in ludum veniunt. Atque hæc in compendio, quantũ licuit, de his quatuor ſpeciebus, quæ in ſanctis etiam cœtibus, & Religioſis cõmunitatib⁹ cum ingenti diſciplinæ, & charitatis fraternæ diſpendio ſubinde accidere ſolent, dicta ſufficiant. Tu religioſe Tyro in tenera ætate malis his principiis obſta, nec deterrearis in bono, ſi quando irridearis; ſed fervorem adauge, & regulam *n.* 13. & *n.* 27. fideliter datam, diligenter obſerva, ut conſequaris virtutis præmium.

Remedia contra hæc oris vitia magìs particularia ab Aſcetis tradita haud invenio; aliqua verò generalia habentur: 1. Cautè ſe gerat in loquendo, & priùs, quid proferre ſine læſione alterius & propriæ conſcientiæ debeat, tacitè apud ſe ponderet, ut ita verba bis ad limam, ſemel ad linquam, deveniant. 2. Studeat ſilentio, vel in loquendo effuſionem evitet; quia nunquam vir linguoſus juſtificabitur; *Job.* 11. 3. Intentionem ſuam, qua loquitur, bene examinet, ne paſſio prædominetur. 4. Caveat alterius defectus naturales, vel etiam veniales, ſine neceſſitate, *n.* 63. inſinuata, aut ſine proximi utilitate, propalare. 5. Nunquam ita de proximo loquatur, ut audientes meritò arripiant occaſionem ſiniſtrè de eo ſuſpicandi: nec unquam ita alterum extollat, ut alium deprimat, aut ejus nomen, virtutes &c. extenuet. 6. Injuriam ſibi illatam ſilentiô potiùs ferat, quàm alteri proferat. 7. Detrahentes fugiat; ſi verò jam audierit, eos nunquam prodat apud alios, quibus detraxerunt, ne iſta ſuſurratione vulnus renovet, amicitiámque penitus diſſolvat. 68

BONIS SUSURRATIO GLORIÆ PARENS.

DEtractionem *phariſaicam jactantiam* appellat Hugo de S. Victore *t.*3 *miſcellaneorum* 2. *l.*4. *tit.*18. eò quòd detrahentes, ſicut pulices mordaces, imò tineæ demolientes, bonorum vitam, quam cùm palàm non audeant, in occulto corrodant; ſi clamorem invectionis non poſſunt, ſaltem ſuſurrium detractionis emittant. Detractores ſimiles ſunt citharædis citharizantibus, non velut illi de Apocalypſi in citharis ſuis, ſed verè, ut Hypocritæ, in alienis. Tales ſuſurrones & peſſimos detractores ſuſtinuit S. Thomas Archi-Epiſcopus Cantuarienſis. Is Londini Gilberto Betchetto, ſive Becketto, & Mathilde nobilibus parentibus natus Roberto Priori S. Mariæ de Maretonia Ordinis Canonicorum Regularium inſtituendus fuit traditus. Ad eum inviſendum cùm aliquando parens accederet, filii pedes oſculatus clàm aperuit Priori, ſibi à DEO revelatum fuiſſe, Thomam Chriſti Martyrem futurum. Adoleſcens exinde familiaris redditus Theobaldo Cantuarienſium Archi-Præſuli in numerum Canonicorum adlectus, & Archi-Diaconus creatus fuit, ita exigentibûs virtutum & ſcientiarum meritîs. Ne porro quidquam Evangelicæ perfectionis ſibi deeſſet, habitum Regularem aſſumpſit in eodem Collegio de Maretonia; ubi carnem ſuam pœnitentiæ operibus ſedulò exercebat. Ad aulam ab Henrico Rege evocatus filium ejus litteris, ac moribus imbuendum ſuſcepit. Cancellarii munere decoratus Religioſum per omnia, non Aulicum, referebat. Mortuô Theobaldô, quidquîd Thomæ humilitas reluctabatur, delatos à Rege ſacros faſces admittere fuit coactus, ætatis ſuæ anno 42. Proinde in magna Præſulum, Principum, & Regni Magnatum frequentia ſolemni ritu Archiepiſcopus inauguratus fuit. Pallium verò, Archiepiſcoporum inſigne, ab Alexandro tertio Romano Pontifice miſſum, ſingulari prorſus pietate nudîs pedibûs humi proſtratus accepit: & ne novæ dignitatis inſigniîs extolleretur, regulares veſtes nunquam dimiſit, ſed officio Religioſi, & Epiſcopi apprimè ſatisfacere ſemper fuit conatus. Enituit in eo eximius in DEUM amor, præcipua erga Beatam Virginem devotio, charitas in pauperes, & zelus juſtitiæ; à qua nihil eum dimovere poterat.

Condiderat Henricus II. Angliæ Rex leges quaſdam, immunitati Eccleſiaſticæ contrarias, ſcilicet, ne ſine Regis licentia ad Sedem Apo-

Apoſtolicam appellaretur. Ne ulli liceret Epiſcopo exire Regno abſque Regis conſenſu; quantumvìs evocaretur à Summo Pontifice. Ne ulli Epiſcoporum liceret quenquam Regis miniſtrum excommunicare, niſi priùs ipſummet Regem conſuluiſſet. Ne Epiſcopo liceret ullum punire perjurum. Ut à Regio tribunali cauſæ Clericorum diſcuterentur, & ſi quidam rei deprehenderentur; punirentur. Ut Rex & laici res Eccleſiaſticas, & cauſas decimarum judicarent &c. His legibus dum Thomas ſubſcribere renuit, in tantum Regis odium ſuſurronum Aulicorum adminiculo incurrit, ut illum Regno ſuo exeſſe juſſerit, pulsîs etiam in exilium ejus cognatîs, fautoribûs, ac amicitiâ junctîs. Ex Anglia proinde proſcriptus Romæ coram Alexandro III. in purpuratorum Patrum conſeſſu non minùs ſapienter, quàm fortiter cauſam ſuam egit, Regísque iniquas leges palàm exhibuit. Inde Pontificis mandato Pontiniacum, Ciſtercienſis Ordinis Cænobium in Gallia, acceſſit; ubi bienniô in magna abſtinentia, corporis afflictatione, vigiliis, & S. precibûs vitam egit. Dum verò Henricus reſcivit, Thomam Pontiniaci morari, id tam ægrè tulit, ut datîs ad Abbatem minacibûs litterîs mox Archiepiſcopum domo ejici juſſerit, ni vellet omnia Ciſtercienſium Cænobia toto Angliæ Regno devaſtata, ac omnes Ordinis illius Monachos proſcriptos. Hîs cognitîs vir ſanctus veritus, ne mali quidpiam ſui causâ Ciſtercienſis Familia pateretur, gratiîs Abbati actîs ſuâ ſponte inde diſceſſit, & ad Monaſterium S. Columbæ, Ludovici Galliarum Regis invitatu, conceſſit; ubi quatuor annos eodem rigore vivendi exegit. Utebatur nunquam lecto, niſi graviſſima infirmitate compulſus: ante auroram ſurgebat, Divinis Officiis, & quotidianis Sacrificiis ſumma pietate vacabat: poſtea cubiculum ingreſſus corde contrito, precibus, ac lachrimis fræna laxabat, ſéque in ſacrificium offerens ad Martyrium præparabat. Eadem illi menſa cum ſuis erat, quos ſecum habebat: refecto corpore, animum paſcebat ſacra lectione, vel piis colloquiis. Noctes integras frequenter inſomnes ducebat, &, cùm cilicium (quod nudo corpori appreſſum gerebat) exuiſſet, flagrîs in ſe ſæviebat ad ſanguinem usque; reliquam dein noctis partem humi proſtratus orando tranſegit. Viſendum ſe aliquando ei ſic ante Aram proſtrato præbuit Chriſtus, illúmque proprio compellans nomine, *Thoma*, inquit, *ego ſum Frater & Salvator tuus, qui Eccleſiam meam illuſtrabo ſanguine tuo.* Cui vir ſanctus viciſſim mira lætitiâ geſtiens repoſuit: *utinam fiat, ùt locutus eſt Dominus meus; ego id namque non promereor.* Summo Pontifice, & Galliarum Rege agentibus, tandem ſeptimô exilii annô ad colloquium Regis Henrici, tum in

Normannia degentis, admiſſus in Angliam ad ſuam Eccleſiam rediit, bonîs omnibûs collætantibûs, malîs verò (qui nunquam deeſſe ſolent) mærentibûs. Sicut autem pii ſanctum Præſulem ſummo afficiebant honore, ita malitioſi quidam de plebe (quæ facili nutu diverſas in partes verſatilis eſt) odio ac contemptui habere cæperunt. Tranſierat vir ſanctus certis in negotiis pagum quemdam equo vectus, cùm ecce! illô visô incolæ è caſis ſuis proſilientes aggrediuntur equum, ac ei caudam ſummo cum ludibrio præſcindunt. Non tulit hanc injuriam ſupremum Numen, ſed vindicem pœnam experti ſunt iſtorum hominum recèns nati liberi, pecudum inſtar cum deformibus caudis notati; donec omnis hæc infelicium propago penitus in orbe eſſe deſiit. Interea Thoma, dum optimi Paſtoris munera ſecurus implet, apud Regē per calumniatores accuſatur, quaſi plurima contra ſuam Majeſtatem & publicam quietem moliretur, ut proinde ſæpiùs Rex conquereretur, ſe in ſuo Regno cum uno Sacerdote pacem habere non poſſe. Quare quidam Regis familiares (ut ingens eſt adulationis, & ſuſurrationis vis) rem gratam ſe Regi præſtituros, ſi Archi-Epiſcopum è medio tollerent, ſperantes, clam Cantuariam venientes Thomam in Eccleſia veſpertinis officis vacantem aggrediuntur. Qui, Clericis templi aditus præcludere conantibus, accurrens ultrò januam aperuit, ſuos hiſce verbis allocutus: non eſt DEI Eccleſia cuſtodienda more caſtrorum; & ego pro Eccleſia DEI, ejúſque immunitate libenter mortem ſubibo. Tum ad milites converſus ait: vos DEI juſſu cavete, ne cuipiam meorum noceatis. Flexîs poſt hoc genibûs, DEO, Beatæ Virgini Mariæ, S. Dionyſio, & reliquis Eccleſiæ ſuæ Tutelaribus Sanctis Eccleſiam, ſe ipſum, ſibíque commiſſos commendans, & adſtantibus Clericis benedicens caput eâdem conſtantiâ, qua iniquis Regis legibus reſtiterat, crudeli ferro præcidendum obtulit quarto calendas Januarii Anno 1171. ætatis 53. cerebrô ejus per totius templi pavimentum diſpersô. Poſt S. Martyris obitum cùm Cantuarenſis Eccleſiæ Clerici ſacrum corpus veſtibûs exuiſſent, aſperum reperêre cilicium nudo corpori arctè appreſſum, quod, ut erat denſiſſimum, ſic à collo ad genua usque erat protenſum, támque pediculîs ſcatens, ut, qui tot mordaces beſtiolas de ſuo corpore pavit, novum ſuſtinuiſſe martyrii genus videatur. Sed & hoc prætereundum non eſt, quòd, ſicut in vivis pro ſuis perſecutoribus inſtanter oravit, ita & poſt mortem preces ipſius apud DEUM efficaces fuiſſe palàm innotuerit; dum Henrico Regi pœnitens cor impetravit, adeò ut in honorem S. Martyris Eccleſiam cum Cænobio erigendi votum fecerit; prout hac de re citandi

infrà

infrà Scriptores teſtantur in hæc verba: ***Sed cùm Henricus II. Rex de nece ſancti Thomæ Cantuarienſis diffamatus in expiationem propriæ famæ, & ſancti Martyris honorem de fundando Monaſterio in honorem ipſius Martyris cogitaſſet, ac etiam votum feciſſet, parcere volens proprijs ſumptibus, exactis Clericis ſæcularibus,*** ad ſanctam Crucem Velatinæ, vulgo de Valta, in Epiſcopatu Londinenſi (ubi antea Collegium ſæcularium Clericorum erat) ***in eo Canonicos Regulares ſtatuit, ratus ſancto Martyri pergratum fore, ſi illius habitum honeſtaſſet.*** Ita Polidorus Virgilius hiſtoriæ Anglicanæ *lib.* 13. ſub anno 1178. Matthæus Pariſius ſub anno 1177. *pag.* 176. qui inſuper addit, auctoritate Summi Pontificis ejectos ſæculares Clericos, & Regulares introductos fuiſſe in Vigilia Pentecoſtes, Rege Henrico procuranre & præſente, atque eodem die Redulphum Ciſceſtrenſem Canonicum de manu Londinenſis Epiſcopi curam prædictæ Eccleſiæ ſuſcepiſſe, ipſi tanquam Diœceſano de canonica ſubjectione ſervanda verbis ſe obligâſſe, & Fratribus cum eo introductis Priorem ab eodem Epiſcopo deſignatum, & in ſua ſede ſolemniter collocatum &c. Porrò ſicut Sanctus Epiſcopus ab Alexandro III. pallio decoratus, ita poſt glorioſam mortem inſignibûs miraculîs illuſtris ſolemni ritu Sanctorum albo fuit inſcriptus, colitúrque die 29. Decembris ab univerſali Eccleſia officio ſemiduplici, à nobis verò Canonicis Regularibus duplici; utì ſtatuit S. Pius V. in ſpeciali Bulla: ***Licet Eccleſia DEI Sponſa***: ubi ſignanter S. Thomam Canonico Ordini adſcribit; prout etiam ejuſdem fuiſſe, ex clariſſimis teſtimoniis, & ſuprà relatis contra quorundam minùs fundatam opinionem patet. ***Ita ex off. Lateran. Flore SS. Petri Ribaden. S.J. & Paula Pari in Anno Mariano hoc die, aliiſque pluribus apud Pennott. L. 2. c. 37. &c.*** Similem, ac beatam mortem oppetiit Venerabilis Thomas, Abbatiæ S. Victoris Pariſiis Prior, qui inſtar Cantuarienſis Præſulis pro veritate & Juſtitia, atque pro tuenda Eccleſiæ libertate adverſùs intolerabilia gravamina & exactiones Dominorum Sæcularium non minora ſubiit certamina, ac ſicut ætate, ita & Martyrii laureolâ Prior, ſtolam gloriæ promeritus eſt. Hic juſſu Stephani Pariſienſium Epiſcopi injuſtas exactiones, à Clero extorqueri ſolitas, abrogare & ore & calamo conatus eſt (unde B. Viri ſanctitas vitæ, pietas erga S. Eccleſiam, cujus jura tutatus eſt, obſervantia erga Epiſcopum, zelus juſtitiæ, & ſcientia præcellens colliguntur manifeſtè) ſed incaſſum; cùm prævalentibus malis remedium non ſuppeteret. Quia verò invicta ſtabat Thomæ virtus, nihílque de ſuo remittebat officio, à nepotibus Theobaldi Noterii Archi-Diaconi Pariſienſis propè caſtrum Gorniacum læthalibus plagis capiti ejus inflictis,

Digitized by Google

flictis, improbitati cedere fuit coactus. Facta priùs peccatorum exomologeſi, fusîsque ad DEUM precibûs, & impertitâ ſicariis veniâ, ſuſceptô etiam SS. Evchariſtiæ Viaticô, inter manus ejusdem Epiſcopi, cujus juſſa adeò fideliter executus eſt, piiſſimam exhalavit animam 19. Auguſti anno 1130. Corpus terræ mandatum fuit in Eccleſia S. Victoris: quam cùm 1132. Innocentius II. Rom. Pont. fuiſſet ingreſſus, vidiſſétque in Clauſtro ſepulchrum Neomartyris Thomæ ab aliis haud differre, nullóque propemodùm honore affici, illud ad ipſam Baſilicam transferri, ac debita coli devotione præcepit: quod & à Canonicis hujus loci 9. Martii ſolemniter præſtitum fuit, appoſito lapidi ſepulchrali Cenotaphio ſequenti:

Hunc piè deplorat Stephanus tunc Pariſienſis.
Hunc ſcriptis decorat Bernardus Claravalenſis.
Summi Pontificis juſſu loculos capit iſtos.
Cætibus Angelicis nos Thomæ jungito Chriſte.

Aliud Epitaphium recitat Pennottus *l.* 3. *c.* 33. cujus ultimi ſunt verſus:

Conſignata brevi clauduntur membra ſepulchro:
Vix tamen acta viri claudit uterque polus.

Extat epiſtola S. Bernardi ad Innoc. II. in qua lamentabili calamo crudelem tanti viri necem exprimit. Martyris Reliquiæ Pariſiis etiamnum aſſervantur; ubi Beati obtinet titulum ex cit. Auctore, & Angelo Manrique in Annal. Ciſterc. *tom.* 1. ad an. 1130. & 1132.

Nos tamen, ſicut hic, ita alibi per decurſum hujus tractatûs, juxta Decretum Urbani VIII. Pont. Max. ejusmodi *Sancti*, vel *Beati* titulo, quem ſubinde piis Viris, ac bene meritis perſonis cum aliis celebribus Scriptoribus adjungimus, authoritati S. Matris Eccleſiæ nullatenus præjudicare velle, cujus ſolius eſt Sanctos vel Beatos canonicè declarare, hiſce humillimè teſtamur; proin illius judicio quoad omnem ſenſum ab ea intentum in ſimili materia me ut filium obſequentiſſimum pleniſſimè ſubjicio.

ARTICULUS V.

De Ira, & impatientia, ac earum remediis.

SUMMARIUM.

69. *Iræ Duplex conſideratio quoad* eſſe naturæ, *&* moris.

70. *Iræ gravitas & levitas, ac damna.*

71. *Quid ſit impatientia, & indignatio.*

72. *Reme-*

72. *Remedia, & monita irato præſcribuntur*; &
73. *Speciale pharmacum de cælo aſſertur.*
74. *Ad quæſtionem, an iraſci ſemper ſit peccatum?*
75. *Dupliciter reſpondetur.*

69 IRa eſt appetitus vindictæ: habétque duplicem conſiderationem, quoad *eſſe naturæ*; atque ſic eſt paſſio quædam appetitûs ſenſitivi, à qua vis iraſcibilis denominatur, quæ ex ſe non eſt mala, ſed naturæ utilis ad mala à ſe depellenda, & ad ſui conſervationem juvat: & *quoad eſſe moris*, ſeu morale, in quantum illa paſſio exorbitat a debito ordine rationis & fine. Hôc ſecundô modô ira ut inordinatus appetitus vindictæ pœnæ &c. de ſe eſt peccatum mortale, inter capitalia relatum; quia contrariatur charitati & juſtitiæ graviter; ſive injuſta vindicta gravis, ſive juſta, ſed contra legitimum ordinem, fine indebito, aut ex privato odio infligi proximo appetitur, & exoptatur pœna aut à ſe, aut à judice ſumenda.

70 Eſt tamen aliqua ira peccatum veniale, ſi motus iræ prævenit rationem, vel modica vindicta appetitur: vel ardens quidem interiùs, exteriùs ſignis manifeſtatur, ita tamen, ut & dilectio DEI, ac proximi graviter non perdatur: ita S. Th. *2. 2. q.* 158. *a.* 3. & *a.* 4. ſubjungit, quòd ira malum pœnæ appetat ſub ratione boni, quod eſt vindicta. Unde iraſcimur, quòd putemus nos injuriâ affici, vel ſi aliud malum à proximo nobis infertur: ex quibus duplex dolor naſcitur propter injuriam illatam, & propter cupiditatem ulciſcendi; atque hæc ipſa ſunt damna iræ, nempe dolor, & cupido, furor mentis, perditio ſapientiæ & ordinis in agendo, inquietudo animi, commotio bilis, inflammatio cordis in ruinam corporalis etiam ſanitatis; utì pro more pulchrè deſcribit Greg. M. 5. *moral. cap.* 31.

Impatientia eſt quædam triſti- 71
tia in tolerandis adverſis, præſertim in iis, quæ ab aliis contra honorem, famam, uſum rerum temporalium &c. hominibus ſolent accidere: unde ſi aliquod damnum alicui infertur, naſcitur triſtitia ex illo, quæ dicitur impatientia; dein ira exurgit, ſeu ulciſcendi cupiditas; & tandem odium. Ex hoc patet, *impatientiam in adverſis* priorem eſſe ad iram, vel etiam abſque hac ſæpè conſiſtere poſſe, præſertim in tentationibus interioribus, de quibus triſtamur, non autem iraſcimur, utpote vindictam nullam appetentes, niſi fortè tentanti dæmoni, aut petulanti carni. Colligitur hæc doctrina ex S. Th. 2. 2. *q.* 136. *a.* 2. *ad* 1.

Indignatio verò propriè pertinet ad iram, ejúsque filia habetur; & contingit, quando quis in corde iraſci-

iraſcitur contra alium, quem indignum reputat, quod ſibi tale quid fecerit; ita S. Th. *q.* 158. *a.* 7.

72 Remedia contra iram impatientiámque proponuntur à D. Dionyſ. Carthuſ. *cap.* 31. *de remed. tentat.* ac Reverendiſſimo Lairv. *lect.* 33. 1. Irâ tentat⁹ proprias imperfectiones, vitia, & culpas, omni vilipenſione dignas, in ſe ipſo conſideret, & propter has ſe benignè ab aliis portari animadvertat, ut adeò dignum quoque ſit, ut aliorum defectus patienter ferat, juxta monitum Apoſt. *Gal.* 6. 2. DEUM immittere adverſitates cogitet ex ſua infinita Providentia ob noſtrum commodum, ut faciat cum tentatione proventum. 3. Efficax remedium eſt meditatio, & tempore hujuſce tentationis pia ruminatio paſſionis Domini, qui fuit verè vir dolorũ, & nos in ira conſtitutos amantiſſimè in corde alloquitur: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: Math. 11. 4. mala & damna iræ, *n.* 70. breviter allata, frequenter perpendat. 5. Occaſiones iræ præſcindat, vel ante omnia opera ſua propoſito, ut patientiæ ſervandæ clypeo, ſeſe præmuniat. 6. Nihil iratus faciat, præcipiat, & locum ac tempus iræ præbeat, ita ut vel brevem orationem, viginti litteras alphabeti recitando interponat; uti Cæſarem feciſſe Plutarchus in Apophth. refert: *hac ratione*, ait S. Baſil. *hom. de ira*, *aut inimicum tua manſuetudinis exemplo mitiorem reddes, aut certè, ſi deſpexeris, acriùs illum vindicabis &c.* 7. Commotionem & flamam iracundiæ intra ſe ſuffocet, & tacendo vincat: ſi autem ab ira victus ſit, verecundetur de ejus iuhoneſtate, & ſibi ipſi pœnam propterea infligat. 8. Juſtam iræ cauſam non à ſe, ſed viro probo exquirat, nec multùm ſecum diſceptet; plùs enim inflammatur, & citò in crimen dilabitur. 9. Sicut *mollis reſponſio frangit iram*; *Prov.* 15. ita etiam vincere in bono malum, injurias obliviſci, diligere inimicos, benefacere & orare pro perſequentibus, optima à Medico Divino præſcripta, & probata ſunt remedia.

Porrò cœleſte pharmacum continet oratio Dominica; cujus tertia petitio vitio iræ opponitur juxta M. Hug. cit. *l.* 2. *in Matth. c.* 10. Priusquam tamen illa exponatur, præmittendum tyronibus, quòd omnis ira, impatientia, & indignatio humana oriatur ex adverſis, quæ aut inferiorem partem, ſcilicet carnem, aut ſuperiorem, nempe rationem, afficiunt; de quibus ſtatim num. ſequenti agetur. Jam in comparatione appetitus ſuperioris ad inferiorem per allegoriam *Ratio* in homine vocatur *cœlum*, *caro* verò, ſeu appetitus ſenſitivus, appellatur *terra*: atque in hoc allegorico ſenſu Dominicæ orationis petitio tertia quoad reſiſtentiam iræ intelligitur à præfato Doctore, ut *fiat voluntas DEI ſicut in cœlo, & in terra*: Si enim ratio voluntati DEI conformis eſt, 73

& ap-

& appetitus inferior perfectè ſubditus & conjunctus rationi, ſanctè adimpletur voluntas DEI in utroque, in cœlo & terra: nam, dum ratio non contendit, & indignatur adversùs DEUM, ſed Divinæ illius ordinationi in omnibus ſe perfectè ſubjicit, abeſt omnis appetitus iræ, & fit voluntas DEI in cœlo. Quia autem caro infirma facilè recalcitrat, & in adverſarium per commotionem bilis exardeſcit impatientiâ, ad vindictam quoque provocat rationem, quæ ſi illi deferat, & inferiorem partem non moderetur, non fit voluntas DEI in terra: proin petitur, ut voluntas DEI in cœlo & in terra fiat. Atque iſte eſt ſenſus allegoricus. Alter verò literalis in hoc conſiſtit, quòd, ſicut Angeli in cœlo voluntatem DEI adimplent perfectiſſimè, ita & nos illam faciamus in terra per conformitatem voluntatis noſtræ cum Divina. Ecce! explicationem petitionis Dominicæ pro avertenda ira.

Qui voluntati Divinæ annuit, non vult contendere, ſed humiliter ſubjicit ſe diſpoſitioni juſtæ, ut in eo etiam, quod contra voluntatem ſuam agitur, adversùs judicem ſuum nullô impatientiæ ſive murmurationis vitiô moveatur: quia enim agnoſcit, ſe perpetrâſſe mala prohibita, patienter ſuſtinet mala illata; in quibus tolerandis etſi caro per impatientiam murmuris perturbationem ſuſcipit, ratio tamen per conſiderationem juſtitiæ tranquilla permanens ad obedientiam ſe componit. Voluntas quippe ſpiritus Divinæ voluntati per juſtitiam conformata hoc, quod in ſua carne contra veritatem moveri ſentit, improbat, & ut ipſum quoque ad conſenſum veritatis tranquilletur (*hoc eſt, ut appetitus ſenſitivus rationali ſe conformet, & iſte ſe DEO omnino ſubjiciat*) exoptat dicens: *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Hoc quippe cœlum, id eſt, *Ratio*, per amorem juſtitiæ cœleſtibus conformata, in nullo contra DEI voluntatem nititur, & quod in contrarium moveri ſentit, per vigorem ejusdem juſtitiæ, ne effluat, moderatur; ſicut ſcriptum eſt *Luc. 22. non mea voluntas, ſed tua fiat.* Præterea ut in terra quoque carnis noſtræ regnum deſtruatur juxta illud *Rom. 6. non regnet peccatum in mortali corpore veſtro*; & regnum DEI adveniat, orandum, ut ſicut in cœlo, ſic & in terra fiat voluntas ejus: quia tunc etiam in terra regnum ejus advenit, ſi motus, qui ex juſtitia non eſt, ſubjectus rationi non dominatur, ſed ſervit. Cùm autem homo cœlum animæ ſuæ, & terram carnis ſuæ regno DEI ſubjecerit, tunc affectu charitatis in anteriora ſe extendens orare debet, ut, quod in ſe gratia operante agitur, eadem gratia largiente exteriùs compleatur: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra:* ſicut angeli in cœlo obediunt, ſic obediant homines in terra. Hucusque citatus Doctor. Quisquis

igitur irâ tentatur, ad medicinam recurrat, quam mitiſſimus animarum Medicus Divino ore nobis protulit; clamet ad cœleſtem Patrem, dum adverſitates obruunt animum, rationem impugnant, & ſenſus exteriores premunt, & vix non opprimunt: clamet, inquam, & repetat: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.*

74 Quæres hìc, an iraſci ſemper ſit peccatum? Ad hanc quæſtionem bene intelligendam prænotandum eſt, duos in homine reperiri appetitus; unus vocatur inferior & ſenſitivus, alter eſt ſuperior, & conſiſtit in voluntate, quæ dum movet ſe, naturaliter movetur etiam appetitus inferior, & ſequitur tanquam ancilla ſuam Dominam. Ira itaque eſt propriè paſſio appetitûs inferioris & ſenſitivi; propter ingentem autem connexionem, & connaturalem proportionem, quam hi duo appetitus ad invicem habent, ſtatim transſunditur ab inferiore ad ſuperiorem. Hôc modô ira fit paſſio rationalis animæ, quæ poteſt eſſe mala vel bona; quatenus objectum iræ, quod eſt vindicta, poteſt appeti bene vel malè: *malè* appetitur de proximo vindicta ſeu pœna, quando aliquis iraſcitur plùs vel minùs contra rectam rationem: *bene* fit, ſi hæc paſſio non prædominetur, ſed utì ancilla obediens ſequatur ductum rationis. Hîs ſecundùm Angelicam doctrinam notatîs:

75 Reſpondeo, dari iram ſine peccato, quam ratio moderatur; imò debere ſæpè eſſe ſub peccato.

Prima quæſtionis pars probatur; ſi quis iraſcatur ex zelo juſtitiæ, ſalutis propriæ, aut alienæ, & quidem cum rationis moderamine; *alia enim eſt ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus juſtitiæ format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur: ſi nobis ex proximis delinquentibus iraſcimur, non peccamus*; inquit M. Greg. *L.* 5. *moral.* 2. Si quis iraſcatur, ſed paſſioni irruenti reſiſtendo eam in appetitu ſenſitivo ſuſtinet, & tanquam ancillam rebellem ratione coërcet, nec forìs prodire ſinit; taliter *emolliri enim poteſt, eradicare non poteſt*, docet S. Ambroſ. *L.* 1. *de Jacob & vita beata.* 3. Si quis iraſcatur, ut ſe ipſum ad virtutem ſtimulet, contra vitia obarmet, & malas conſuetudines devincat; ita docet S. Baſil. *hom. de ira: nervus eſt animæ quidam indignatio, fortitudinem conſtantiámque ac robur ad res bene & ordine gerendas præbens, quæ animam fortè voluptate delinitam & laſcivientem, veluti ferro quodam cohibens, auſteriorem fortiorémque ex remiſſa reddit*: nec enim, ſi contra iniquitatem deſit indignatio & ira, ſatìs eam odio perſequi poteris. 4. Si quis iraſcatur, ut alios à peccatis coërceat, ad animarum ſalutem juvet utì S. P. N. Aug. *l.* 14. *de civ. DEI* docet: *iraſci peccanti, ut corripiatur; contriſtari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti,*

tanti, ne pereat, nullus ſana mentis & conſiderationis reprehendat.

Secunda pars probatur, eum peccare, qui cum cauſa non iraſcitur. Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolùm malos, ſed etiam bonos invitat ad malum; docet S. Chryſ. cum S. Th. *q.*158. *a.*8. qui *ad* 1. rationem præbet: quia, qui iraſcendo alium à peccato abſterrere poteſt, omittendo iram contra charitatem peccat. Superior verò etiam contra Juſtitiam peccat; quia vi officii exceſſus corrigere, & pro qualitate delicti quantitatem pœnæ cum moderata ſeveritate imponere tenetur. Talis autem appetitus vindictæ non tam dicitur iraſci, quàm *judicare* juxta S. D. cit. *a* 8. & hæc eſt doctrina quam manſuetus Rex *pſalm.* 4. inſinuare voluit monens: *iraſcimini, & nolite peccare.*

INJURIA SANCTE VINDICATA.

QUanti iræ & cupiditatis ſeſe ulciſcendi de adverſariis domitores fuerint ſancti quidem Canonici Ordinis noſtri, volumina ſcripta & impreſſa de eorum vitis teſtantur. Nos 3. hîc adnotamus, relictîs aliîs. 1. Eſt S. Ubaldus Epiſcopus Eugubinus, qui parentibûs orbatus inter Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, tunc Regularis, juvenis enutritus, ac Divinis literis ſtudiosè fuerat eruditus. Adultior factus ad Eccleſiam S. Secundi, & ab hac Ravennam ad Portuenſe ſe contulit Cœnobium: ubi cum Canonicis, Regularem vitam mirè colentibus, aliquamdiu in omni virtutum genere ſeſe exercuit, ut adeò Ubaldus regularis vitæ exemplar, & cæteris virtutum omnium norma exiſteret. Unde Epiſcopô Peruſinô è vivis ſublatô, à Clero & populo in Præſulem unanimi voto fuit electus Ubaldus. Aſt humilitas viri, paſtoralem dignitatem aſpernata, eremum quærere, & fugiendo latere docuit: quin & ardentes preces lachrymîs mixtas Romam transmiſit, ut electio de ſe facta auctoritate Apoſtolica diſſolveretur. Quod & obtinuit, Divinâ Providentiâ illum ad propriæ civitatis Epiſcopatum non exiguô civium ſolatiô reſervante: nam paucis poſt annis, cùm in locum Epiſcopi Eugubini Ubaldus cum aliquot Clericis alium Paſtorem à S Pontifice impetraturus Romam proficiſceretur, Divino inſtinctu & ſanctitate viri permotus Honorius ſecundus ipſum ordinatum Epiſcopum ad ſuos remiſit. Creſcente in eo ita dignitate, aſperitas vitæ, mortificatio carnis, manſuetudo, ſolicitudo paſtoralis, & tolerantia laboris non defecerunt. Præ cæteris virtutibus in ferendis injuriis admirabilis patientia, inimicitiarum verò tollen-

Digitized by Google

darum dexteritas in illo ſpectabiliores extiterunt. Utriusque vel unum documentum cape. Quidam infimæ ſortis homo ex concepto odio, quòd bonas ſuſtinere cogeretur admonitiones, ſanctum Pontificem in calcis liquatæ ſcrobem, non verò in impatientiam, aut præcipitem indignationem dejecerat. Civibus ociùs accurrentibus, & ſcelus vindicare volentibus, graviori ſupplicio vindictæ litandum eſſe aſſerebat ſuboffenſus Ubaldus; Reum proin ad ſe duci præcipiens ſententiam tulit, eúmque ad pacis oſculum condemnavit, atque ab omni pœna abſolvit. Pacis civilis ingenioſiſſimus quoque fuit artifex. Urbs Eugubina in factiones ſciſſa pugnabat in amica & inimica viſcera; cùm ecce! medius inter ſaxorum & telorum ictus adeſt Ubaldus, pacem ſuis inſpirat, hortatur, & precatur. At nihil in inflammatis odiô animis proficiens velut ſaxo impetitus cadit. Hìc verò omnibus arma abjicientibûs, ac diſcordiam ſuam damnantibûs, concurſus ad jacentem Epiſcopum factus eſt. Cùm interea ſacrilegum facinus exprobrarent invicem, & parricidas manus incuſarent, à piè ſimulata morte ſurrexit Epiſcopus, & partam unius, eáque lubrica morte, pacem civibus gratulatus concordiam, paſtoralis muneris ſui tempore non frangendam, obtinuit. Bienniô ante obitum graviſſimîs afflictus infirmitatibûs, & velut aurum in fornace probatus, cœlum petiit, à Cœleſtino tertio Sanctorum catalogo adſcriptus. Unam in vita inimicitiam, & appetitum vindictæ extremum fovit manſuetiſſimus cæteroquin Pontifex, ac etiamnum poſt funera indelebilem in ſuo corpore reliquit, immundis Spiritibus fatalem. Ita habetur *ex proprijs Offic. Lateran. & vita à D. Philippo Maria Certano C. R. Lat. conſcripta, aliisque probatis Auctoribus.*

Alter inflammantis iræ contra hoſtes victor hîc producitur S. Fridericus illuſtri apud Friſios loco natus, ſanctitate illuſtrior. Puerilibûs annîs, ſub doctiſſimis Magiſtris tranſactîs, & humanioribûs ſimul ac Eccleſiaſticîs diſciplinîs inſtructus adoleſcens in Collegium Canonicorum Regularium Trajectenſis Eccleſiæ aſſumptus, poſt aliquot annos, cùm virtutibûs & literîs præemineret, in locum Rixfridi Epiſcopi defuncti, omnibûs licèt reluctans viribûs, ſuffectus eſt. Hìc plurimum laboravit non tantùm contra Arianam perfidiam, ſed & contra illicita connubia: cujus erroris ſectatores quamplures poſt ingentes labores ad Catholicam reduxit fidem, operâ potiſſimùm hac in re uſus S. Odulphi Presbyteri Trajectenſis Canonici ejusdem Regularis Profeſſionis. Cùm verò ob inceſtas nuptias in Ludovicum Imperatorem & Juditham Ducis Bavariæ filiam ejus conſanguineam graviùs inſurgeret, curâ Imperatoris (ùt non-

Digitized by Google

nonnulli voluerunt) aut ejusdem fœminæ, vindictam ſpirantis, dolô à ſicariis immiſſis poſt SS. Miſſæ Sacrificium innocens victima ipſe etiam cecidit. Accepto verò lethali vulnere nulla de re erat magìs ſollicitus, quàm ut percuſſores civium Paſtoris ſui amantiſſimorum ac necem vindicaturorum manus impunè evaderent: nec priùs vulnus acceptum detexit, quàm à ſpeculatore, pro illis ſervandis conductô, certò periculum evaſiſſe eos intellexiſſet. Tum verò pro inimicis exorans, & DEO animam commendans aperiri ſibi ſepulchrum juſſit, quod ipſemet nemine manum admovente intravit, ac funebria illa Eccleſiæ ſolemnia: *placebo Domino in regione vivorum &c.* inauditô exemplô decantavit, ac prophetico ſpiritu regni everſionem ex inopinata Barbarorum incurſione prædicens, inter miram odoris cœleſtis fragrantiam exſpiravit die 18. Julii An. 838. vel, ùt alii habent, 839. Poſt obitum multîs clàrus miraculîs communem inter Friſios ſanctitatis famam, & Cœlitibus debitos adeptus eſt honores, percuſſoribûs paulò poſt, ulciſcente Numine, horrenda ac repentina morte ſublatîs. *Ex Conſtant. Ghinio in Nat. SS. Can. ad di.*18. *Julij. Gabr. Bucelino in Manol. hoc die Reverendiſ. Grueber &c.*

Tertius eſt Walterus Girulanus de Gierlis Belga, ex Congregatione Windeſemenſi. I. Prior Corſendoncan⁹. Is alteri⁹ Pauli inſtar 20. añ. in Religione noſtra conatu maximo Divinæ laudis amplitudinem propagare non ceſſavit. S. Gualbertum ſanctè imitatus, obviam aliquando habuit parentis ſui interfectorem, à quo cùm agnitus non eſſet, eò quòd à ſchola Academica (in ſæculo adhuc vitam agebat) recèns rediiſſet, *heus tu*, inquit, *ut tibi à te occiſi mei parentis crudele facinus condonem, in genua procumbe, mêque ad hoc appella.* Fecit is hoc lubens, atque ſic impactô etiam oſculô parricida dimiſſus eſt. Interrogatus poſtea, cùm Regularem jam profeſſus eſſet vitam, cur ipſe ad minuendam paternæ cædis æſtimationem hominem prior ſic interpellâſſet? *quid ſi*, repoſuit, *neuter alterum ampliùs vidiſſet, & ita ille ſui maleficii, ego beneficij gratiam amiſiſſemus*? Alia adhuc erga adverſarios benevolentiæ ſigna tum in præfato Cœnobio, tum apud Buſcum-ducis aliquamdiu moratus reliquit. Deceſſit Tungris hydrope laborans die 24. Julii anno 1424. cùm ad preces Conſulum & Magiſtratûs illius civitatis rebus diſponendis pro novo Cœnobio ibidem tunc fundato ſedulus inſiſteret. Pro tanti verò Patris reverentia Conſules, & Primates urbis Tungrenſis ejuſdem exuvias debito cum honore per iter quatuordecim, vel quindecim milliarium comitati Corſendoneam detulerunt. *Ex Joan. Hoybergio noſtro in notis ad hiſtoriam Corſendoneanam notatione 61. & 62. & cit. auct. ad d.* 24. *Jul.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.
De Luxuria, & ejus remediis.

SUMMARIUM.

76. *Definitio Luxuriæ ex SS. PP. traditur.*
77. *Oeconomia actuum invicem ſuccedentium in tentatione proponitur.*
78. *Quando quis peccâſſe, aut tentationem ſuperâſſe cenſendus ſit?*
79. *Speciales à Magiſtro tyroni præbentur regulæ.*
80. *Modi reſiſtendi tentationi directi, &*
81. *Indirecti aſſignantur.*
82. *Cautela pro tyronibus, &*
83. *Specialis obſervatio.*

76 LUxuria generaliter accepta eſt immodicus uſus deliciarum corporalium; ſeu juxta S. Iſidorum, *ſolutio in voluptates*: à S. Th. verò 2. 2. *q.* 154. vocatur *inordinatus appetitus venereorum*: & ſic tanquam ſpeciale peccatum inter 7. Capitalia collocatur, ac ſexto Decalogi præcepto comprehenditur. Sicut autem alia peccata corde & opere fieri poſſunt, ita etiam malum luxuriæ perpetratur; & ſpecialiter triplici modo ſola cogitatione ſeu corde contingit: 1. Si concupiſcentia ad poſitas tentationes in ſolo motu primo cum aliquali advertentia ac complacentia conſiſtat, erit ſaltem peccatum veniale. 2. Si motum naturalem ſequitur conſenſus in delectationem, licèt non in ipſum opus, 3. ſi poſt deliberationem & imaginariam delectationem conſentiatur in opus, licèt tunc non tranſeat in actum ab extra. Opere denique fit, ſi demum ſequatur ipſum peccatum opere completum: & in his 3. ultimis ſive ſimul, ſive ſeorſim ſemper peccatum mortale erit.

Quamvìs in omni peccato, ſpeciali tamen ratione in lubrico vitio, 77 ſequentia Tironibus ſunt notanda, ut ordinatè pugnare, inter umbras, & veros hoſtis impetus diſcernere, ſcrupulis ſe ſe eximere, &, quando victi, aut victores evaſerint, judicare diſcant: igitur 1. ponitur tentatio, qua ceu vivîs coloribûs & expreſſionibûs ſpecialibûs Cacodæmon repræſentat objectum carni delectabile; ita ut 2. naturaliter commoveatur appetitus ſenſitivus: & ex apprehenſione proportionati objecti ſtatim 3. delectatio naſcatur, 4. fit pugna pro caſtitate ſervanda, quia intellectus periculum animæ ex admiſſo peccato oſtendit. 5. Sequitur ad primam repulſam fraudulenta dæmonis ſuggeſtio, dum motiva delectabilitatis ſuggerit, ſpecies in phantaſia promovet, paſſionem vehemen-

hementer accendit, ut à voluntate extorqueat conſenſum in delectationem præſentem, aut in opus turpe. 6. Vel accedit actualis conſenſus voluntatis modo ſuprà dicto, quidquid etiam non raro contradicat intellectus; vel ope Divina, inſpiratione Angeli tutelaris, invocatione immaculatæ Matris DEI fugatur hoſtis, ſuperatur ſuggeſtio, ſpurca delectatio dejicitur timore gehennæ, & vindicaturi Numinis, conſideratione momentaneæ voluptatis, & æternæ pœnæ, mortis infallibilis, & gloriæ cœleſtis.

78 Suppoſitâ actuum ſibi ſuccedentium œconomiâ hac, juxta certam Theologorum omnium ſententiam nemo peccat mortaliter, quamvis graves ſuggeſtiones, vehementiam paſſionis, & imaginariam delectationem ſentiat, niſi & voluntate propria conſentiat. Tamdiu autem cenſetur aliquis diſſentire, quamdiu vel directè vel indirectè reſiſtendo pugnat: cujus utriusque reſiſtentiæ modos mox adducam. Dixi 1. *Quamvis vehementiam paſſionis, & imaginariam delectationem ſentiat, non eſſe peccatum mortale*; ut intelligat ſuos Tyro depellere ſcrupulos, & non ſtatim ad quemlibet conflictum victum ſe eſſe judicet, licèt aliquantulùm moretur quaſi auſcultando, vel in illa retundenda ſeſe aliqualiter negligentem exhibeat, dummodo aſſenſum non præbeat: peccatum tamen veniale erit ob talem negligentiam intervenientem. Aliud foret, ſi delectationi advertenter & deliberatè inhæreret, merè paſſivè in ea ſe haberet, id eſt, non contra ageret, nec niteretur expellere, cùm poſſet, & deberet; ſic enim incideret in moroſam delectationem cum interpretativo conſenſu, aut actuali implicito, conſequenter hoc ipſo peccaret mortaliter: ita Theologi de hac materia communiter.

Cùm ſecundùm regulas aſceticas in blando, eóque duriſſimo pudicitiæ bello ſine paratis à Magiſtro, ceu ſpirituali duce, armis pugnare, non tam ſit hoſti ſe opponere, quàm ſeſe illi perimendum tradere, ante omnia remedia contra traditum vitium ea diligentiſſimè obſervet Tyro Religioſus, quæ ipſi Magiſter præbebit: ut autem opportuna & convenientia præbere poſſit, neceſſe eſt 1. ut ſuas tentationes circa caſtitatem etiam extra confeſſionem Magiſtro aperiat, quo tempore magìs, quo in loco, ex quibus cauſis, an ex lectione minùs caſtorum librorum, curioſis aſpectibus, vanis colloquiis, aut otioſitatibus &c. & unde demum provenire ſoleant, integrè explicet, uti in ſuo ſentit animo juxta *reg. n.*21. præſcriptam. 2. Non ſuis fidat viribus, & propriæ voluntati, nec ſibi quædam ex alibi lectis remedia præſcribat, ſed ea duntaxat applicet, quæ Magiſter obſervanda proponet; is enim tanquam prudens medicus obviantia morbo cognito adhibebit medicamenta, 79

menta, quæ ægrotanti magìs congruent.

80 Inter ſpecialia verò remedia collocanda ſunt 1. ut ingruente tentatione ſtatim animus avertatur ab objecto delectabili, imbuatur ſeria conſideratione æternorum, Paſſionis Dominicæ, peccati hujuſce turpitudinis, etſi à DEO prohibitum non eſſet; hac enim ratione ſalubris triſtitia, compunctio, timor, & compaſſio generantur, quæ carnis illecebras ſuperant. 2. Actus contritionis de hoc peccato, vel à ſe, vel ab aliis mundanis hominibus commiſſo, eliciat cum actuali DEI amore, & efficaci propoſito, nec nunc, nec aliquando tantam admittendi turpitudinem. 3. Deum, B. & Puriſſimam V. Mariam, ſanctóſque Patronos (quibus caſtitatis ſpectaculum in tanto prælio ſit factus) cum pia fiducia infallibilis aſſiſtentiæ imploret, eorúmque ſacratiſſima nomina tamdiu intra ſe repetat, usque ſacer exardeſcat ignis, fumum libidinis diſſipans, ejúsque vehementiam reſtinguens. 4. Si diutiùs perſeveret gravis tentatio, ad cellam, aut alium locum ſeparatum ſe recipiat, flagellîs, ciliciô carnem edomet, vel alia afflictione, moleſtiâ, mortificatione ſenſuum externorum in ſervitutem redigat. Et hi ſunt modi directæ reſiſtentiæ tentationi præſenti; cui ex illis unum remedium applicari oportet, quisquis verè reſtitiſſe, & viciſſe ſe cenſeri cupit.

Ulteriùs indirectè tentationi 81 præſenti, aut remotæ, id eſt, innatæ concupiſcentiæ ſufficienter reſiſtit, & ſatisfacit, qui 5. carnem ſuam domat abſtinentiâ eſcæ & potûs, quantum valetudo permittit juxta S. Reg. adeóque vitet immoderatam potationem, refectionem lautam, præſertim calidorum ciborum; nihil enim ſic inflammat corpus, & titillat membra, quàm cibus indigeſtus, ructúsque convulſus; ut ait Lairvelz *hic reg. 4.* 6. Si fugiat lecti, veſtiúmque mollitiem, ſomni prolixitatem, ſenſuum evagationem. 7. Si fugiat lubricorum conſortia, quæ in hoc vitio præſertim & vehementer ſunt nociva; cùm enim ex ſe ſenſus hominis ſint proni ad malum ab adoleſcentia ſua, *Geneſ.* 8. homo malîs exemplîs, peſſimîs perſuaſionibûs facillimè ad hoc malum trahitur. 8. Incautos aſpectus mulierum, viſitationes, colloquia, munuſcula, litteras, tanquam diabolica inſtrumenta vitet. 9. Si otium omne fugiat; *multam enim malitiam docuit otioſitas*: atque *in concupiſcentiis eſt otioſus, & piger*: *Eccleſ.* 33. adeóque tempus honeſtè & utiliter impendatur ſtudiis ſacrarum litterarum, aut naturalium ſcientiarum; quod pro efficaci ſatìs remedio habebant SS. PP. Aug. & Hieron. qui ait: *ama ſtudia Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Venerabilis Beda etiam, ùt legitur in ejus vita, ſtudiis pro remedio impurarum tentationum fuit uſus: vide

Digitized by Google

vide regulam *num.* 30. ſuprà traditam. 10. Humilem eſſe & obedientem magnum habetur remedium; vitæ enim Patrum plenæ ſunt hiſtoriîs, ubi ſuperbi vel inobedientes præſertim in carnis fœdum ſcelus ad ſui & Religionum infamiam lapſi ſunt, & tandem facti apoſtatæ. 11. Perpendat mala luxuriæ, vilitatem & inhoneſtatem; per vitium hoc homo fit præcipuè beſtialis, acedioſus, levis, depreſſus, intimoratus: hæc Dionyſ. Carth. *de remed. tent. cap* 30. O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus ſcintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna; exclamat S. Hieron. in Epiſt.

82 Eſt adhuc alius impuris cogitationibus indirectè reſiſtendi modus, dum iis non reſiſtitur advenientibus, nec aſſentitur permanentibus, ſed tanquam viles, fœdæ, à dignitate humanæ naturæ degeneres contemnuntur, aliquô ſignô, verbô, aut ſolô animô deſpiciuntur, &, quaſi iis non advertatur, incæpta actio continuatur. v. g. ſtudium, oratio, colloquium honeſtum, lectio &c. id tamen exercitatioribus in vita religioſa, doctis, & piis magìs convenit, & uſui habetur, in quibus nullum ſubeſt conſenſûs periculum: ob quod Tironibus iſte modus paſſim ſuadendus non eſt; ſed potiùs propter caloris naturalis abundantiam, naturæ proclivitatem, animi volubilitatem, objecti ad delectationem allicientis vehementiam directè contra agere, & tentationem in brachio Excelſi enervare ſtudeant ad regulas *n.* 80. traditas.

Illud equidem novellis Religioſis ſuaſerim, ut adventanti, & cum majori impreſſione ſe inſinuanti tentationi ſtatim occurrant, cum indignatione ſaltem interna eam repellant, animum obfirment bonô propoſitô, brevem, at ferventem, orationem jaculatoriam (ut ajunt) ad DEUM cum quodam ſuſpirio emittant, & in opere, ſtudio, lectione perſeverent, niſi vehementiore vi tentatio inſiſteret, & periculum conſenſûs ſubeſſet; tunc enim ad extraordinaria etiam remedia confugiendum foret, & Magiſtro aut Patri ſpirituali inſinuandum, qui miſerum eripiet, & filium obedientiæ auxiliante DEO victorem efficiet. Cæterùm in incurſu tentationis hujusmodi animum avertere, feneſtras numerare, quot orbes contineant, folia in arboribus, vocabula in libro, ad tentationem attenuandam, & diſtrahendam, ad indirectam pertinet reſiſtentiam: horribiles autem vultus, oculorum nictus, & varios corporis geſtus facere, caput ad dolorem usque fatigare, non tam eſt reſiſtentia, quàm mania, indiſcretio, & diabolica vexatio, qua communiter capitoſi, & ideo ſcrupuloſi, mirè torquentur: de hoc certandi 83

Digitized by Google

cum umbris & phantaſiis genere plura, ubi de ſcrupulis agemus; cui proin malo præcavendo convenientem lege regulam 10. n. 28. præſcriptam, ut videas regularum concordiam, & ibi compendioſam vitæ Religioſæ doctrinam per decurſum magis dilucidari, ac illis principiis perfectionis fundamentum cohærere.

Coronidis loco annectimus M. Hugonis *l. cit. c.* 14. doctrinam, qua ſeptimam petitionem orationis Dominicæ comprehenſo in hoc articulo vitio, velut Divinum antidotum, opponit. Rectè enim, qui ſuperbiendo à DEO receſſit, per cætera vitia, veluti compedes, in infimam ſervitutem, & miſeram carnis turpitudinem conjectus eſt. Proin ab hac ſervitute, & extremo malo homo liberari petat; hoc enim malum crudeliùs perſequitur, profundius nocet, efficaciùs lædit, quàm cætera mala: blanditur, ut fallat; lenocinatur, ut perimat, mentitur dulcedinem, ut amaritudinem infundat. Ideò difficiliùs vincitur, tardiùs extirpatur; quia mediantibûs noſtris deſideriîs adversùm nosmetipſos pugnat, & ad mortem usque blandiente dulcedine ipſam etiam voluntatem penetrat, atque, ut poſtmodum toti naturæ dominetur, ipſam (quæ totum regit) rationem violenta quadam peſtiferæ dilectionis perſuaſione inclinat; propterea petitur: *libera nos à malo.* Ulteriùs vitio huic ſeptimum donum S. Spiritûs, nempe *ſpiritus ſapientiæ*, contraponitur; dum enim quis liberari ab iſto malo petit, & libertatem filiorum DEI aſpirat, idcirco huic petitioni datur ſpiritus ſapientiæ, qui amiſſam captivo libertatem reſtituat, & jugum iniquæ dominationis (quod ſuis viribus homo non valuit) per gratiam adjutus evadat: ſapientia námque à ſapore dicitur; cùm mens guſtu internæ dulcedinis tacta totam ſe per deſiderium intùs colligit, nec foris jam evidenter in carnis voluptate diſſolvitur; quia totum intus poſſidet, in quo delectatur. Congruè igitur contra exteriorem voluptatem interior dulcedo opponitur; ut quando iſta plùs ſapere, & placere incæperit, tantò liberiùs atque libentiùs illa contemnatur, tandemque in ſemetipſa mens pacificata, dum nihil eſt, quod foris appetat, tota per amorem intùs requieſcat. Spiritus ergo ſapientiæ cor ſua dulcedine tangens & foris concupiſcentiæ ardorem temperat, & ſopitâ concupiſcentiâ intùs pacem creat, quatenus, dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plenè ac perfectè homo ad imaginem DEI reformatur. Ita *cap.* 18. *l. cit.* Doctor Pariſienſis.

TRIUM-

Digitized by Google

TRIUMPHATA LIBIDO.

DOnum iſtud ſapientiæ à Divino Spiritu ſuſcepiſſe ſcribitur S. Petrus Piperacenſis; qui Langeaci in Arvernia nobili loco natus, à primis annis virginalis caſtitatis cultor, ſtudio pietatis, ac liberalibus diſciplinis operam dedit. Nec inſigne donum liberalis Numinis gratìs in ſe conſervavit, ſed vigiliîs & orationibûs aſſiduîs tutatus eſt, dum tenerum ac innocens corpus interea durîs caſtigationibûs mirum in modum affligere non ceſſavit. Sacrîs Ordinibûs initiatus Archipresbiter Langeacenſis factus prædicationi & animarum ſaluti promovendæ totus fuit. Virginitatem tamen neque hiſce mediîs & afflictationibûs quotidianîs tutam ſatìs eſſe expertus eſt, quia impudica Venus, effuſo per verbera nudo corpori impacta ſanguine non erubeſcens, inſidias moliri non deſtitit, intromiſſa etiam muliere, quæ nutritam, nec ſine proprio labore, & Divinâ gratiâ conſervatam pudicitiam Petri labefactaret: aſt cum arrepta pendentis è cruce Chriſti imagine in hoſtem invectus vir caſtiſſimus protinus arenam Religioſi cubiculi in campum victoriæ convertit, fugato infernali, & pudicitiæ inimico exercitu. Adeò invicta animi conſtantia abhinc inſignium miraculorum cauſa extitit; ſanctitas enim victoris Petri ſanitatem multis impetravit.

Unum inter alia memorandum, quòd cæca mulier, dum oculis aquam admovit, qua vir ſanctus ad altare abluerat digitos, ſtatim viſum receperit. Ut tutiùs caſtitatis theſaurum cuſtodiret, in eremo abſcondit; dum monitus ab Apoſtolorum Principe in deſertum locum (Piperacum vocant) à Durando Claramontano Epiſcopo ſibi conceſſum, ſe contulit; ubi congregatîs ſociîs, exſtructóque in honorem B. V. Cœnobiô, quod poſtea ab incendio, & imminenti ruina conſervavit, Regulam S. Auguſtini, & Inſtitutum Canonicorum Regularium ſuſcepit. Primus Collegiatæ hujus Eccleſiæ Præpoſitus inſtitutus adeò perfectam regularis diſciplinæ obſervantiam inter ſuos Canonicos invexit, ut vicinarum civitatum Epiſcopi, religione ac ſanctitate ejus permoti, multarum ei Eccleſiarum adminiſtrationem, ac amplos contulerint redditus. Variîs Dæmonum inſultibûs ſuperatîs, & exantlatîs pro DEO & Eccleſia laboribûs, lethali tandem morbo correptus in cinere & cilicio animam caſtiſſimam cœleſti Sponſo reddidit 9. Septembris an. 1080. ætatis 77. Corpus ejus ſuaviſſimo fragrans odore, ac mirabili quodam liquore perfuſum, in Baſilica Piperacenſi conditum crebris coruſcat miraculis. *Ex officijs Can. Reg. Congregat. Gallicanæ.*

Digitized by Google

Donum ſpiritus ſapientiæ à liberaliſſimo Numine accepiſſe venerabilem Patrem Forerium Lotharingum, teſtatur ejus vitæ Scriptor. Ab infantia quippe pudicitiæ ſtudioſiſſimus cultor fuit. Curionem agens noluit in ædes ſuas recipere conſanguineam, ac ne ipſam quidem matrem diutiùs retinuit, Fliis ſuis daturus exemplum, quod à Magno Auguſtino Patre acceperat. Nulli unquam mulieri loquebatur, niſi quopiam è noſtris comitatus; quòd ſi ſolus aliquam adire cogeretur, non niſi ad duos vel tres paſſus eidem appropinquabat, verſáque aliam in partem facie aurem præbebat ita quidem, ut ſemper pedem alterum ſublatum habere videretur ad aufugiendum, ſeſéque ſalvandum. Monialibus, quas diſcretiſſimis conſtitutionibus regebat, & ſpiritu imbuebat, nihil, quamdiu vixit, unquam ſeriò præceperat, niſi id unum, ne ſcilicet ſuam in faciem unquam intuerentur. Hinc, quando ad locum colloquio deſtinatum acceſſit, clauſos voluit clathros; ſi verò aperuiſſent, auffugiebat, vel in angulo ſe occultabat, nunquam proditurus, aut locuturus, niſi omnibus ritè diligentérque obſeptis. Hanc virgineam ſuam caſtitatem infringere auſa eſt cælebs quidem, ſed minimè caſta fœmina, quæ impudentiſſimè in domum Parochialem penetrârat, imò ad usque Petri conclave gradum promovebat. At vix conſpectam arrepto baculo, vultu nunc irâ inflammato, nunc pallore affecto, otiùs lupam fugavit inter magnos clamores, pueris etiam addens animos, ut eam porrò inſequerentur, nulla tamen facta mentione, cur tam acerbè tractaretur. Tum regreſſus ardentiſſimîs precibûs & fusîs lachrymîs pro victoria DEO gratias perſolvit. Agitur per plures jam annos Romæ de ejus canonizatione; quæ brevì fortè eveniet, dum ſacra Congregatio ex actis probatis ad canonizationem procedi poſſe cenſuit. Sed de eo nos alibi plura.

ARTICULUS VII.

De Acedia, ejus ſignis, damnis, & remediis.

SUMMARIUM.

84. *Acedia deſcribitur, uti etiam*
85. *Acedioſus; ubi ſtatuitur ſimul peccati gravitas, &*
86. *Levitas.*
87. *Generoſæ monſtri ſoboles ſex enumerantur.*
88 *Genuina ſigna ignavi hominis R.*
89. *Damna tum Religioſo, tum Religioni ex acedia proveniunt maxima.*
90. *Remedia ſatis efficacia præbentur tam torporis expulſiva, quàm contra inertiam præſervantia.*

Nullum

84 NUllum vitium adeò potens in S. Religionibus eſt, quod Tyrones à ſua vocatione, juniores & ſeniores Profeſſos à virtute, fervore & progreſſu magìs retrahit, quàm acedia: hæc Anachoretæ cellulam intuita ſubriſit, atque appropinquans juxta ſibi tabernaculum fixit, teſte Climaco *grad.* 13. Deſcribitur hoc monſtrum à S. Damaſceno *quædam triſtitia aggravans, quæ ſcilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat.* Apud S. Th. 2. 2. *q.* 35. *a.* 1. *importat tædium operandi, & triſtitiam ſpiritualis boni.* Acedia igitur, ut eſt triſtitia, & recedit à bono ſpirituali, tanquam moleſto & laborioſo, vocatur *pigritia.* S. Th. *hîc a.* 2. Prout verò indebitam quietem corporalem quærit, vocatur *acedia*, quæ opponitur virtuti fortitudinis, ſicut triſtitia lætitiæ ſpirituali, ad charitatem pertinenti. Ex S. Th. *a. cit.* & Lairvelz. *lect.* 37.

85 Patet igitur, eum propriè eſſe acedioſum, qui ita elanguidi & dejecti eſt animi, ut ſive ex nimio ad res terrenas & corporis voluptates affectu, ſive ex averſione & fuga laboris, moleſtiæ, & ſolicitudinis virtutes nullas exercere velit; & propterea bona Divina ſpiritualia, actiones ſalutares pias omittat, ac negligat, incurius cœleſtis patriæ, promiſſorum à DEO præmiorum, de quibus, utpote bonorum operum exercitio acquirendis, non niſi cum triſtitia cogitat. Unde, quia hæc triſtitia de bono ſpirituali Divino contra effectum charitatis, qui eſt gaudium de DEO, militat, etiam ipſam charitatem, per quam habetur vita ſpiritualis, tollit, atque ſic à PP. cum Doct. Ang. *hîc a.* 3. peccatum mortale cenſetur.

Venialis tantùm culpa erit, ſi in 86
ſenſualitate aliqualiter maneat, & nõ pertingat ad conſenſum perfectum rationis; vel quando fiunt omiſſiones bonorum operum, ad quæ non datur quidem gravis obligatio, nihilominus tamen retardatur à perfectione, à Religioſo ſtatu intentâ, homo; vel quando triſtitia acedioſa habetur tantùm de circumſtantiis loci aut temporis: e. g. diſplicet jejunium hodiernum, oratio hoc tempore vel loco, ubi interrumpenda amica converſatio, convivium &c. Diligenter notent ſibi Novitii, non omne tædium rerum ſpiritualium, etſi putent per cordis puſillanimitatem ſe deſperare, eſſe acediam lethiferam; dummodo conſenſus non accedat, ac Novitius piè obſervet dicta *num.* 34.

Vitium etiam capitale eſt, à 87
quo tanquam peſſima matre ſequentes procreantur filiæ; & à Greg. Mag. 31. *Mor.* numerantur. 1. *malitia eſt*, quæ deteſtatur ſpiritualia bona. 2. *Rancor*, dum hominibus præſertim Superioribus aliquis indignatur, quia ipſum ad bona ſpiritualia inducunt. 3. *Puſillanimitas*,

tas; quando conſilia & media ad finem, v. g. conſequendam cœleſtem gloriam, tanquam ardua nimìs reſpuuntur. 4. *Deſpentio*; dum ipſe finis, v. g. cœleſtis gloria, abſolutè inconſecutibilis reputatur, adeóque planè de ſalute deſperatur. 5. *Torpor* circa præcepta, ad communem juſtitiam relata, & Chriſtiano cuilibet obſervanda. 6. *Evagatio* mentis circa illicita; quia enim juxta Ariſtotelem 8. *Eth. c.* 5. & 6. nullus diu absque delectatione poteſt manere cum triſtitia, transfert ſe acedioſus à ſpiritualibus ad delectabilia externa: ita ex S. Th. hìc *a.* 4. *ad* 2.

88 Signa hôc morbô laborantium *Proverb.* 24. à S. Bern. *ſerm.* 6. *de Aſcenſ.* à Caſſiano *l.* 10. *inſtitut. c.* 2. indicantur; quando 1. Religioſus opera Religionis impoſſibilia, vel nimìs gravia reputat. 2. In choro eſt vagus, in oratione remiſſus, in cella inquietus, aut otioſus & ſomnolentus, lectiones ſacras faſtidiens, contra Superiores excitantes remurmurans, & Regularia exercitia inordinatè, obiter & cum tædio peragens. 3. Corporis afflictationes fugit, relaxationes quærit, ad capiendos cibos eſt promptus, ad ſpiritualia exercitia lentus. 4. Confratrum ſuorum fervorem contemnit, irridet, & libentiùs cum ſæcularibus converſari cupit. 5. Ad nihil egregium in Religione aſpirat, virtuti nulli ſtudet, nullam modeſtiam & Religioſam decentiam in cultu externo oſtendit; & univerſim in via morum non habet profectum, nec ullo ingenuo pudore afficitur, non parentum precibûs, Magiſtri exhortationibûs, & propriæ conſcientiæ ſtimulis ab inertia revocatur; ſed languore quodam incurabili ſolùm ad officium terroribûs & plagîs pecudum inſtar adigitur. 6. Si aliquando quædam proponit, ſtatim in executione deficit, nihil conſtanter proſequitur: vult nempe & non vult piger; vult eſſe humilis, ſed humiliari, confundi, parvipendi non vult: vult eſſe patiens, & nihil vult actu pati; & ſic de aliis virtutibus vir deſideriorum, ſed non operum eſt: *vult regnare cum DEO, & non laborare pro DEO*: ùt ait Ven. Beda *l.* 2. *in Proverb.*

Damna ex acedia ipſi Religioſo provenientia ſunt. 1. Quotidiana conſuetudine vitiorum, in quæ acedia eum dejicit, cor quaſi induratur, nullósque ampliùs ſalutares ſtimulos ſentit. 2. Opera, quantumvìs magno labore peracta, nullum fructum afferunt, utpote acediæ ſomno corrupta. 3. In deſperationis barathrum labuntur acedioſi; ut ait S. Chryſ. *L. de lapſu*, & Caſſ. *L.* 9. *de inſtit. Cœnob. c.* 9. 4. Aliorum piorum precibûs vel directione vix ſalvantur, à malis tentationibus non liberantur; ſicut ægroti non ſanantur, qui à medico præſcripta remedia non adhibent. Damna verò, ipſi Religioni ab acedioſis 89

dioſis Religioſis emergentia, quis deplorabit ſatis? quocunque ignavum ejusmodi genus vertas, ad omnia Monaſterii officia ineptos cernes ob magnum in pejora labendi periculum, quod in talibus hominibus ſemper grave eſt. Aliorum Fratrum labores comedunt, terram ſanctam ſine fructu, ut inutile pondus, occupant, diſciplinam labefactant, muſcis ſimiles alios moleſtant, fœtore ſuo lethifero inficiunt, qui abigendi forent exemplo S. Franciſci, ut refert S. Bonav. *in vita c.5.* Heu! quid in S. Ordine tam horrenda monſtra præſtabunt? quando torporem deponent, difficultates ſuas ingerere, excuſationes in peccatis prætendere ceſſabunt? quòd ſi dura aſpergendo excitare volueris, majore horrore conſternabis, illíque omnia querelîs incendent; ſi autem indulgentiùs tractare, & pro majori fructu ſperando, ne in nimiam deſolationem cadant, connivere volueris, toti in diſciplina laxi fient, Superiorum diſcretâ abutentes patientiâ. Vide igitur Religioſe Tyro, & perpende tanta damna, quæ, tum tibi, tum S. Ordini acedia affert: quapropter eam non admitte, aut admiſſam deteſtare, & citò venenum ejice.

90 Remedia contra acediam, præter diligentem obſervationem eorum, quæ tum Novitiis à Magiſtro, tum Veteranis à ſpirituali Patre præſcribuntur, ſequentia habentur. 1. Cogitet acedioſus, quantùm DEUS averſetur hoc vitium; cùm enim ſit infinitæ dignitatis, honorabilitatis, & excellentiæ: *dignus accipere gloriam & honorem & virtutem: Apoc.4.* valdè ei injurioſum eſt, quando remiſſum offertur obſequium: ut propterea *Jerem.* 48. maledictus ſit, qui facit opus DEI negligenter. 2. Conſideret ſervitutis humanæ rationem; cùm homo ad hunc finem ſit creatus, ut DEO ſerviat, eum laudet, ac revereatur. Paritatem deſumat ab Aulicis & ſervis terrenis, quàm exactè mortali Regi ſerviant. 3. Naturam hujus vitii & originem inveſtiget, ubi & quando accidat torpor animi, inſenſibilitas, irreminiſcentia & oblivio cœleſtium, futuri judicii, & rerum ſpiritualium, ut tempeſtivè contra eam ſe obarmare valeat. 4. Omnia opera incipiat cum fervore, & ad exercitia ſpiritualia ſe ipſum cum quadam coactione aſſuefaciat, eáque in piam conſuetudinem deducat. 5. A pia conſuetudine nullo modo ſe retrahi ſinat, ſive devotio ſentiatur, ſive non; ſed in defectu ſenſibilis devotionis potiùs clamet: *trahe me poſt te &c.* 6. Non tamen, quæ ex bona conſuetudine agit, ſuperficialiter, perfunctoriè, tepidè, ſed cum majori in dies diligentia perficere ſtudeat. 7. Ordinem diurnum in actionibus ſuis ſervet exactè, & exercitiorum alternationem, occupationum varietatem habeat, ita, ut meditationi lectio, lectioni chorus, choro præſcripta

obſervatio in cella, huic oratio, aliæque actiones invicem ſuccedant; quales regulas in viſione quadam edoctus fuit S. Antonius, in eremo tentatus à ſpiritu acediæ. 8. Amare conſortium & converſationem fervidorum Confratrum, & exhortationes Superiorum libenter audire, acediam pellit; ſicut pigrorum ſocietas eam nutrit, & auget. 9. Omnia ita peragat, ac ſi in conſpectu ſemper eſſet Superioris rigidi; & multò magìs præſentiam DEI in mente habeat. 10. Sobrietatem teneat, nimio cibo & potu ſtomachum non oppleat; naſcitur enim inde acedia: loquacitatem etiam, & jocorum diſſolutiones fugiat, & temporis ſolùm fallendi gratiâ ſermocinationes non protrahat cum aliis: obſervet denique doctrinam ſuprà *n.* 28. *&* 30. traditam.

Præterea Divinum remedium contra acediam aſſignatur ſpiritus fortitudinis, & quarta petitio orationis Dominicæ. Sicut enim petimus à DEO Patre: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: quo oſtenditur deſiderium animæ noſtræ, veritatem eſurientis, & charitatem ſitientis, quibûs maximè reficitur; ita etiam precamur, ut nobis DEUS elargiatur donum fortitudinis, qua inordinatæ triſtitiæ contravenire poſſimus. Sic panis quotidianus in ſenſu myſtico eſt Divina gratia, quâ anima illuminatur, quando viſitatur, & præventa per gratiam excitatur ad deſiderium ſpiritualis boni, ut ad perſequendum malum convaleſcat: atque panis hic quotidianus (gratia fortis ad reſiſtendum triſtitiæ) ſecundùm numerum ſpiritualium illuminationum refectioni internæ dulcedinis commenſuratur, & multiplicatur. A Pari enim, contra ſuperbiam orare non poteſt, niſi qui vel deſiderio humilitatem habet: nec contra invidiam, niſi qui ſaltem in affectu benignitatem poſſidet: ſic manſuetudine contra iram, & deſiderio contra acediam ſupplicamus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Triſtitia namque tædium eſt animi cum mærore, quando mens quodammodo tabefacta, & vitiô ſuô amaricata, interna bona non appetit, atque omni vigore emortuo, nullô ſpiritualis refectionis deſideriô hilareſcit. Propterea ad ſanandum hoc vitium deprecari nos oportet miſericordiam Domini, ut ipſe ſolita pietate animæ, tædiô ſuô languenti, internæ refectionis pabulum admoveat, ut quod ipſa abſens neſcit appetere, guſtu præſentis admonita incipiat amare. Datur ergo huic petitioni ſpiritus fortitudinis, ut fatiſcentem animam erigat; quatenus illa priſtini vigoris virtute recepta à defectu ſui tædii ad deſiderium interni ſaporis convaleſcat. Creat ergo ſpiritus fortitudinis in corde famem juſtitiæ; ut, dum hic per deſiderium pietatis fortiter

Digitized by Google

titer accenditur, illic pro præmio plenam beatitudinis ſatietatem conſequatur. Ita ſæpè citatus Doctor Pariſienſis *l.* 2. *c.* 11. *& c.* 18.

FLAMMA ACEDIÆ MORS.

CHaritas in DEUM, zelus honoris Divini, & deſiderium ac ſitis juſtitiæ in obſervanda regulari diſciplina militant maximè contra acediam; qua verò ratione ejusmodi media arripuerit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Gabriel Flamma Venetus, paucîs accipe. Natus is eſt Venetiis anno 1533. Parentibus Pacio Flamma J. U. Doctore & Equite, Matre verò Vincentia Dieda Patritia: quæ uno eodémque partu enixa eſt Gabrielem cum Fernandino Fratre, tam raro naturæ ludentis & applaudentis artificio, ac miro nativitatis eventu, quàm inſolitîs futuræ pietatis præſagiis: quippe adeò ſimilia colorum, carnis, lineamentorum, ſtaturæ, vocis, ac morum ſortiti ſunt dona, ut non duo, ſed unus duntaxat, ac idem eſſe viderentur, ipſis ſe genitoribus aliquando in errorem provolventibus, dum ad majorem extraneorum admirationem excitandam pariformibûs eos veſtibûs induiſſent. Anno 1546. ætatis 13. tutioris vitæ deſideriô Canonicum inſtitutum in Congregatione Lateranenſi amplexus eſt contra voluntatem Parentum, qui ad aliud vitæ genus illum deſtinârunt: quod tum maximè innotuit, cùm per manus Caroli V. Imperatoris enſe præcinctus eſt, etſi puer, in militaris dignitatis teſſeram Eques, Comésque Palatinus creatus; ùt ipſemet hoc teſtatum reliquit in nuncupatoria voluminis 2. vitarum SS. ad Philippum II. Auſtriacum Monarcham Catholicum. Munus concionatoris, poſt decennale in variis Academiis abſolutum ſtudium, & magiſtralem lauream Patavii publicè defensîs theſibûs acquiſitam, in Ordine Diaconatûs adhuc conſtitutus, ea vi ac energià tenuit, ut ſæpe de pulpito reducem flentium, ſuſpirantium, atq; piè laudantium voces exceperint. Ipsô poſtea Sacerdotiô initiatô, per 25. annor. ſpatium nulla fuit urbium præclari nominis in Italia, nullus Principum ſæcularium & Eccleſiaſticorum, Purpuratorum etiam tunc temporis, qui Flammam ſibi concionari non tentaret. Populo verò catervatim ad ejus conciones advolanti vix unus ſufficiebat. Illius concionibûs Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Marianus è profana ad Eccleſiaſticam vitam Divinitùs non ſine multorum admiratione vocatus eſt; cùm enim quadam die Gabrielem perorantem audiiſſet, adeò Spiritûs S. gratiâ ſe motum ſenſit, ut ſtatim ſe totum DEO dederit, ac devoverit, Clericus factus Canoniæ Camerini

Prior, inde Abbas, & Baro Trulii, tandem Cardinalis. Inter præſtantiſſimos ſui ævi prædicatores cùm Flamma emineret, Viſitatoris munus totius Congregationis Lateranenſis ſuſcipere fuit coactus; cui ægrè conſenſum dedit, quòd charitatis in animarum ſalutem propendentis zelo adverſaretur recens acquiſita dignitas. Sed fervor ipſius neque in hoc officio unquam fuit ſufflaminatus, ſed potiùs promotus novis exercendi zelum modis: nam Abbas generalis renuntiatus, ac poſtea à Gregorio XIII. S. Pontifice ad Epiſcopatum Glodienſem aſſumptus, ſtatim ùt ad ſuam pervenit Eccleſiam; Clodienſes cives exoravit, ut templum in honorem Deiparæ Virginis ad littus maris jam dudum incæptum, abſolveretur; completum verò atque munificentiſſimè exornatum ſolemni pompa conſecravit 15. cal. Martii 1585. In cujus facti memoriam Clodienſes ſuprà fores in marmore exſtare voluerunt hæc monumenta: *Templum hoc Deiparæ Virginis immenſis miraculis conſpicuum ab Italis, cæteríſque populis in veneratione habitum, an.* M.D.LXXXIV. *ſtudio & labore Gabrielis Flammæ Epiſcopi numeris omnibus abſolutum.* Tandem annô 1585. ſeptimô Epiſcopatûs, die 14. Julii, ad Superos evolavit Divina charitate inflammata Flammæ anima. *Ex Lycæo Later. l. 7. & Hippolyto Marracio in antiqu. Marian. l. 7. §. 1.*

Ingentis etiam fervoris ac charitatis zelator fuit Martinus Perez, ab Aiala Hiſpanus: qui ex Canonico Regulari Canoniæ Veleſienſis primò in Epiſcopum Quidixienſem electus, poſtea Segobienſem, ac tandem in Archi-Epiſcopum Valentinum, mitram egregiis factis, ſanctíſque operibûs decoravit. Vir certè magnæ prudentiæ, doctrinæ ac pietatis; interfuit integro œcumenico Concilio Tridentino. Deceſſit Valentiæ die 5. Auguſti anno 1569. magnô ſui deſideriô relictô. Ita *Reverendiſſimus Grueber in theat. virtut. tom. 2. ad aſſignatum diem.*

ARTICULUS VIII.

De vitio gulæ, intemperantiæ, & ebrietatis; earum damnis, ac remediis.

SUMMARIUM.

91. *Gula eſt inordinatus edendi, & bibendi appetitus; qui duplex eſt, naturalis, & ſenſitivus.*

92. *Quinque aſſignantur gulæ ſpecies.*

93. *Peccati hujus gravitas declaratur.*

94. *Quinque recenſentur vitioſa gulæ filiæ.*

95. *Quid*

95. *Quid ſit ebrietas, crapula, & intemperantia.*

96. *Damna gulæ; & bene notanda S. Baſilii ſententia.*

97. *Remedia præſcribuntur guloſo hominum generi.*

98. *Adjicitur in fine arbor, & ſuccincta expoſitio vitiorum.*

91 S. Thomas 2. 2. q. 148. agens de vitio gulæ, eam definit *inordinatum edendi & bibendi appetitum, eò quòd recedit ab ordine rationis, in quo virtus moralis conſiſtit.* Duplex autem eſt ad cibos in homine appetitus, unus eſt *naturalis* pertinens ad vires reſtaurandas pro conſervatione corporis; & iſte appetitus non poteſt eſſe virtus aut vitium, cùm non ſit ſubjectus rationi; ad hunc pertinet eſuries & ſitis naturalis. Alter eſt *ſenſitivus*, in cujus concupiſcentia vitium gulæ conſiſtit, dum inordinato motu appetit, & propter concupiſcentiam cibi vel potûs delectabilis ſcienter aliquis excedit menſuram in edendo, vel bibendo.

92 Cùm autem quinque modis iſte appetitus inordinatus, ſeu exceſſus ultra rectam menſuram rationis fieri valeat, 5. etiam aſſignantur ſpecies gulæ à Greg. Mag. quæ hoc verſu à S. Thom. pro memoria comprehenſæ ſunt:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

Aliquando enim indigentiæ tempora prævenit cum impatientia moræ; quæ inordinatio appetitûs præoccupantis à S. Auguſt. reprehenditur iis verbis regulæ: *extra horam prandij nemo aliquid alimentorum ſumat*: quod eſt *præproperè.* Aliquando lautiores cibos quærit, id eſt, *lautè.* Aliquando in ipſa quantitate menſuram rectitudinis & refectionis excedit, plus, quàm ferre poſſit, ſumendo, hoc eſt, *nimis.* Aliquando ipſo ortu immenſi deſiderii aliquis peccat, vel non conſervat modum debitum in edendo, & hoc eſt, *ardenter.* Aliquando, quæ ſumenda ſunt, præparari accuratiùs appetit, & in qualitate peccat, id eſt, *ſtudioſè.* Et hîs quinque modîs ad gulam pertinentibûs peccatum committi poteſt.

Gula eſt peccatum grave & 93
mortale, quando homo delectationi gulæ ita inhæret, ut propter eam contra præcepta DEI agere paratus, contemptô Deô, finem illic conſtituat. Dominante enim gulæ vitio, ait M. Gregorius, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt; & dum venter non reſtringitur, ſimul cunctæ virtutes obruuntur. Poteſt tamen, ſicut in aliis peccatis, tantùm eſſe venialis culpa, ſi nimirum quis nimìs concupiſcat delectationes ciborum, non tamen propterea contra legem DEI facere, vel grave aliquid omittere, aut ſibi in corpore nocumentum grave adferre intendat. Cæterùm non tantùm gulæ vitium mortale, ſed ca-

 pitale

Digitized by Google

pitale etiam habetur; quia homines ex ejus appetitu provocantur multipliciter ad peccandum: unde ſequentes ei naſcuntur filiæ, quas S. Th. *hic a.* 6. cum M. Greg. enumerat.

94 1. *Inepta lætitia*; poſtquam per imoderantiam cibi & potûs gubernaculum rationis ſopitur: vinum enim omnem mentem convertit in ſecuritatem & jucunditatem. 2. *Scurrilitas*; quæ ex Defectu ſopitæ rationis in exteriores inhoneſtos geſtus & motus effunditur. 3. *Multiloquium*; dum ſuperflua, obſcæna, injurioſa, & irritantia proferuntur verba. 4. *Immunditia*; dum aut per vomitum, aliáve ratione inordinatè abſorptæ ſuperfluitates, aut naturale ſemen emittitur: in quo maxima eſt corporis immunditia, teſte S. Paulo *ad Epheſ.* 5. 5. *Habetudo mentis* circa intelligentiam; quæ ab immoderatione ciborum provenit, propter earum fumoſitates perturbantes caput: ſicut à contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem; ut dicitur *Eccleſ.* 2.

95 *Ebrietas* juxta S. Th. 2. 2. q. 150. ſequitur etiam ex gula; & contingit, dum vel fortitudinem vini aut cereviſiæ, aut ſuam debilitatem ſciens ultra menſuram potu ad perfectam ſuppreſſionem rationis usque ſe onerat. *Crapula* parem exceſſum in cibis denotat: utraque ex ſe grave peccatum eſt, & prohibetur *Rom.* 13. *non in commeſſationibus & ebrietatibus &c. Intemperantia* plus nominat, quàm vitium gulæ; conſiſtit enim in nimio uſu delectabilium naturalium, ſeu in concupiſcentia ciborum, potuum, & venereorum: & hoc vitium eſt homini valde infame, contra ejus gloriam, & excellentiam, ac propterea magis execrabile; ut cum Magno Gregorio Doctor habet Angelicus 2 2. q. 142. *a ult.*

Facilè ex his dictis damna brutalis hujus vitii, Religioſe Tyro, enumerabis; ut propterea mentem tuam altiùs extollendo, concupiſcentiæ ciborum reſiſtas, nec unquam admittas, quo jumentis inſipientibus comparari valeas. Ecce enim! ex immoderatæ gulæ appetitu & uſu naturalis ordo ſubvertitur, recta ratio extinguitur, virtutes cunctæ deſtruuntur, luxuria fovetur, acedia naſcitur, & plurimorum bonorum omiſſiones fiunt, mens ad ſpiritualem intelligentiam hebetatur, corpus morbîs variîs impletur, ac ad functiones ineptum redditur, homo evadit inglorius, diffamatur, anima langueſcit, atque *nunquam aſſurgitur ad conflictum ſpiritualis agonis, ſi non priùs gulæ appetitus edomatur*, teſte Magno Gregorio. Et hæc mala ſunt, quæ S. Baſilium apud Lairv. fol. 553. ad aſſerendum intrepidè movent, quòd aliîs vitiîs laborantes ad ſanitatem rediiſſe poſtea, neminem autem ex omnibus viderit unquam convaluiſſe, qui hôc mor- 96

Digitized by Google

bô teneretur. Taceo graviſſima alia mala, quæ poſt decoctam diſciplinam regularem S. Religionibus evenerunt. Alia damna hujus peſtiferi vitii univerſus etiamnum recenſet Mundus; nec opus eſt, primos adire Parentes.

97 Remedia contra gulam habentur ſequentia. 1. Sicut lubrica vitia ſuperantur fugiendo, utpote cùm eorum objecta propter annexam delectationem, quò propinquiora ſunt, eò magìs alliciant; ita etiam gulæ vitium maximè extirpatur fugiendo delicata convivia, non appetendo lautiores cibos &c. 2. Guloſorum conſortia fugiat ſecundùm monitum Sapientis *Prov. 23. v. 20.* 3. Nunquam clam, vel furtivè comedat, & bibat, nec à communi cibo in refectorio abhorreat. 4. De futura refectione non præcogitet inordinatè; nec de futuris conviviis, quæ pro temporum & feſtorum congruentia lautiori menſa inſtruuntur, conſolationem, ac delectationem ſumat, neque de præteritis etiam gaudeat, ea iteratò recommendando, vel laudando, ſenſualium hominum more. 5. In cibo & potu non delectationem, ſed magìs neceſſitatem quærat; ac propterea nunquam in comedendo famelici inſtar canis indiſciplinatè effundatur, nec ſe nimìs voraciter repleat, ſicut lupus. 6. In appoſitis portionibus aliquid demat, & relinquat; nunquam ad defagitationem maxillarum, & plenitudinem ſtomachi edat, vel bibat; ſed etiam è menſa diſcedens adhuc eſuriat, & eum, qui adhuc eſſet implendus cibariis, Domino JEſu pro grato munere conſecret appetitum, utpote qui pro ſalute noſtra ſæpiùs voluit eſurire, & ſitire. 7. Extra monaſterium vel refectorium ſine licentia, aut rationabili cauſa tempore diurno non edat, aut bibat; utì prohibet *cap. 3. S. Reg.* 8. Etiam aquam non bibat extra tempus, & urgente ſiti ita guſtum decipiat, ut vel parùm differat, vel non niſi parum v. g. ter in honorem S. Trinitatis, aut quinquies in honorem S. Vulnerum JESU Chriſti ſorbilando hauſtum moderetur. 9. Conſideret frequenter priùs enumerata mala, & nocumenta, quæ ex guloſitate tam corpori quàm animæ proveniunt; nam *vigilia & cholera, & tortura viro infrunito*; *Eccleſ. 31. v. 23.* & cùm ejusmodi helluones magìs calicibus epotandis, & dapibus devorandis ſtudeant, quàm compunctioni, orationi, & regularibus exercitiis, innumerìs etiam ſcatent vitiìs, ad quæ gula eſt janua. 10. Econtra conſideret bonum temperantiæ, quæ ad omnium virtututum & ſapientiæ diſponit augmentum, familiam & ſeipſum ritè gubernat, vitam prolongat, tranquillitatem & jucunditatem producit; ùt ait S. Auguſtinus. 11. Turpitudinem, & carnis fœditatem, poſt mortem vermibus in eſcam tradendæ, perverſitatem, beſtiali-

ſtialitatem, & vilitatem gulæ ſæpè conſideret, quæ imaginem DEI ita deturpat, & templum S. Spiritûs fœdam Diaboli coquinam efficit. 12. Conſideret etiam ſæpè, Chriſtum in Cruce felle & aceto potatum; cui refectioni nil condignè rependere unquam poſſit: item recogitet cœleſtia convivia ſobriis præparata; & econtra pœnas, quas cum Evangelicô Epulone guloſi ſubibunt. 13. In laudabilibus exercitiis conſolationem, & in bonis ſtudiis virtuoſam lætitiam quærat; cùm enim hîs exercitiîs & delectationibûs ſincerîs fuerit aſſuetus, carnalia contemnet oblectamenta; utì D. Dionyſ. *de remed. tentat. cap.* 34. præſcribit. Divina tandem remedia contra vitium gulæ poſuit Salvator noſter in Oratione Dominica petitionem ſextam: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hac enim oramus, ut anima noſtra non inducatur in tentationem, neque ſeducatur ab illecebra blandiente, quæ ſub velamento neceſſitatis familiariùs accedens, è vicino pulſat mentis conſtantiam, & blandè provocat, irritans in exceſsũ ſuperfluitatis. Nam & idcirco ſpecialiter hæc peſtis tentatio appellatur, quia cætera vitia longè à natura ſunt humana, & ob hoc, quantò minus rationis præſeferunt, tantò minus tentationis adducunt. Tentare etenim eſt callidè experiri, & quaſi blandîs quibûsdam conatibûs præmiſsîs, ante violentam impulſionem, probare, quid exiſtimari poſſit de illo, quod dubium eſt. Appetitus itaque edendi ex una parte neceſſitatem naturæ objicit; & per hoc tentat nos, ut immoderato deſiderii fervore neceſſitatis metas tranſiliamus: unde blandè tentat hoc vitium per neceſſitatem, ſi fortè per eam, quæ inevitabilis eſt, emolire animum poſſit ad ſuperfluitatem. Et hæc eſt tentatio, qua nos illecebra carnis ſæpè per naturalem appetitum ad exceſſum trahere nititur, & latenter voluptatem ſubjicit, dum manifeſtè nobis de neceſſitate blanditur. In quam profectò tentationem tunc nequaquam inducimur, ſi ſic ſtudemus, ſecundùm menſuram neceſſitatis naturæ ſubſidium impendere; ut tamen ſemper meminerimus, appetitum ab illecebra voluptatis coërcere. Quod ut implere valeamus, datur nobis petentibus *ſpiritus intelligentiæ;* ut interna refectio verbi DEI appetitum exteriorem cohibeat, & mentem ſpirituali cibo roboratam nec valeat corporalis egeſtas frangere, nec carnis voluptas ſuperare. Propterea namque & ipſe Dominus tentatori ſuo, dum eſurienti ſibi fraudulentam de exterioris panis refectione ſuggeſtionem faceret, reſpondit dicens: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ab ore DEI: Matth.* 4. ut apertè demonſtraret, quòd, dum mens illo interiùs pane reficitur, non magnopere curet, ſi foris ad tempus famem carnis patiatur,

tiatur. Datur ergo contra gulam *ſpiritus intelligentiæ:* qui ad cor veniens emundat illud, atque purificat; & illum interiorem oculum cogitatione verbi DEI, quaſi quodam collirio ſanans, eò usque luminoſum atque ſerenum efficit, ut ad ipſam etiam DEI charitatem contemplandam perſpicax fiat. Contra vitium gulæ igitur remedium apponitur *ſpiritus intelligentiæ:* ex ſpiritu autem intelligentiæ munditia cordis naſcitur; munditia verò cordis viſionem DEI promeretur; ſicut ſcriptum eſt: *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt: Matth.* 5. Hæc Hugo *l. c. cap.* 13. *&* 18.

FRUCTUS FRUGALITATIS.

PRo moderanda gula præter tradita hucusque documenta Sanctorum etiam inſerviunt exempla; qui ad apicem perfectionis haud pervenerunt, niſi ſubjugato eſûs & potûs appetitu. Sic SS. P. N. Auguſtinus in Epiſcopali etiam dignitate conſtitutus tenui ac frugali uſus eſt menſa, quæ non opiparis ferculis inſtructa, vel argentea ſupellectile renitebat, ſed vasîs ligneîs, præter cochlearia argentea, inferebantur cibi. Veſcebatur autem oleribûs, & leguminibûs; hoſpitibus verò carnes apponi, eósque lautè tractari voluit: in quorum gratiam interdum pauxillum carnis adhibebat, modeſtæ diſcretionis ſtudioſiſſimus. Ne ullæ blanditiæ ipſum caperent, aut ſuperarent, in cibo, potu, balneis, cæteríſque id genus corporis ſervitiis nihil exquirebat præter ipſam neceſſitatem, voluptati nihil indulgendum ratus. Quare de nonnulla, quam interdum admiſerat, delectatiuncula graviter ſeſe arguebat, & accuſabat. Ipſius verba ſunt *l.* 10. *confeſſ. c.* 13. *Adverſùs iſtam ſuavitatem* (ciborum) *pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, ſæpiùs in ſervitutem redigens corpus meum &c. Hoc me docuiſti, ut quemadmodùm medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Et cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſeſe, tanquam pediſſequa, periculoſa jucunditas, & plerúmque præire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico, vel volo &c. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos &c. Itaque fræna gutturis temperata relaxatione, & conſtrictione tenenda ſunt. Et quis eſt Domine, qui non rapiatur aliquando extra metas neceſſitatis?* Ita Magnus Doctor adversùs naturalem, & vitioſam gulæ concupiſcentiam quotidie luctabatur, & DEO victoriam adſcribebat.

S. Dominicus Cathedralis Oxonenſis Eccleſiæ Regularis Canonicus,

cus, & Ordinis noſtri inſigne decus, Patriarcha ſanctiſſimus Prædicatorum Ordinis, quem an. 1216. inſtituit, cùm Albigenſium converſioni incumberet, magnâ ſe inediâ afflixit, adeò quidem, ut interdum toto verni jejunii tempore pane ſolo & frigidâ victitârit: à carnibus omninò abſtinuit, ſequaces in hoc & ſodales à ſe relictos eſſe volens. Cavebat, cùm ex itinere ad hoſpitium diverteret, ne largiùs reſtinguendo ſitim accenſam diuturno corporis motu notam guloſitatis incurreret. Quocirca, priusquàm in urbem ingrederetur, rivo vel fonte calorem omnem ſic mitigabat, ut, ſiti fermè reſtinctâ, oblatam potionem abnueret faciliùs, nec ſitire ſe ex veritate aſſereret. Jejunium, quod *Ordinis* Venerabiles PP. Dominicani appellant, & initium ſumit ab exaltata Cruce, durátque ad Paſcha Domini, nec non ſingulis ſextis feriis diligentiſſimè, ſive adverſa, ſive proſpera fruebatur valetudine, ad finem vitæ usque tenuit. *Ex vita per R. P. Nicol. Janſ. Ord. Prædicat.*

S. Joannes Bridlingtonienſis Anglus poſt abſoluta Oxonii ſtudia in Bridlingtonienſi Cœnobio B. V. Mariæ Canonicus Regularis & Præpoſitus virginitatem, jam annô decimô tertiô ſuæ ætatis DEO oblatam, interpoſitô etiam voti juramentô, nonniſi ſuppreſsâ gulæ concupiſcentiâ ſervandam, & tutò cuſtodiendam judicavit. Hinc triclinium ipſi cum aliis commune, eadem menſa, in ea tamen major abſtinentia erat. Hoſpitibus quidem lautè apponebat, ac diſtribuebat fercula, ipſe ſæpiſſimè ſolo pane contentus. Quod tamen ne aliis admirationem, ſibi verò inanem pareret gloriam, cibos conſcindebat, & partiebatur, cautè fragmenta aliquo in vaſculo reponens, quæ, dum edere putabatur, DEI amore gulæ ſubtraxit. Plura alibi de hoc ſancto Viro. *Ex offic. SS. Can. Surio. Roder. Raynaldo ad an. 1379. &c.*

Atque hæc, de vitiis capitalibus, eorum damnis, & remediis tradita, ſufficiens Tyronibus ſint doctrina; plura enim, & ultimas peccatorum ſpecies aſſignare, ad aliam ſpectat facultatem. Ne tamen omnino deficiamus, quorundam deſiderio ſatisfacturi, antequam ad nobiliorem utiliorémque aſceſeos partem calamum & animum convertamus, ad hortum nempe virtutum amæniſſimarum, obtutum retorqueri volumus ad peſtiferam arborem, quæ in compendio vitiorum naturam in ſuis foliis & fructibus peſſimis explicet; ſic enim fortè fortiùs ſecuris ad radicem arboris hujus ponetur. 98

EXPO-

EXPOSITIO SUCCINCTA ARBORIS VITIORUM.

Superbia, & vana Gloria.

VAna gloria eſt placendi deſiderió mota utriusque hominis incompetens agitatio. In ejus comitatu ſunt

Hypocriſis; cujus eſt, virtutum ſimulatione clauſum vitium ex arte palliare.

Inobedientia eſt, ex duritia mentis obſtinatæ ei, cui parere debeas, juſta imperanti nolle obtemperare.

Jactantia eſt, vaſtu mentis id agente, majora, quàm ſint, de te inaniter prædicare, & promittere.

Novitatum Præſumptionis eſt, contra qualitatem ſui ordinis aut virium ſingulari tumore novi aliquid attentare.

Arrogantia eſt, venditare, quæ non habes, & gloriari ex eo, quod non acceperis, placendi hominibus cupiditate.

Loquacitas eſt, per quam levitas interior ſtulta verborum effuſione monſtratur.

Pertinacia eſt, ex irrationabili, & inflexibili mentis obſtinatione meliori nolle cedere.

INVIDIA

FErvidum in dolore reddit animum ob alterius bonum & honorem, ea videre nolentem. Ejus comites ſunt

Odium, quod motum irati animi moroſiùs, & tenaciùs ſpe vindictæ mordaciter abſcondit; ſic hominem ipſum, & non tantùm vitia ejus, malevolentiâ perſequitur.

Afflictio in proſperis eſt odientis animi cruciatus, ex profectu minùs ſibi placentis deſcendens.

Exultatio in adverſis eſt ex caſu alterius ob conceptum ſemel odium im̃odicæ lætitiæ oſtentatio.

Malitia eſt alieni damni ſine ſpe boni ex eo obtinendi deſiderium.

Detractio eſt alienæ gloriæ, & famæ mordax & invida per verba, aut ſigna diminutio.

Amaritudo eſt ſpiritualis expers gaudii quædam diſtractæ mentis ſolitudo, & ex alieno bono ægrotatio.

Suſurratio eſt, per quam vel odioſæ adulationis vel derogationis ſibilô quôdam alter in odium alterius excitatur.

Digitized by Google

IRA

E St ſtrictus concitati animi furor, ulciſcendi libidine fervens. Ejus comites ſunt

Clamor, perpetrati facinoris ſonora & inverecunda exprobratio.

Blaſphemia eſt cum quadam probroſa irreligioſitate convitioſorum jaculata in alium maledictio: aut eſt Divini, vel humani nominis diminutio, jurando, vel exprobrando facta.

Contumelia eſt cum mæroris livore, & amaritudinis imperio alienæ infamiæ manifeſtatio.

Luctus eſt, qui exacerbatô animô, quod minus in ſuperiorem poteſt ultionis, in ſe fletibûs ſatisfacit.

Temeritas eſt rationis expers procacis animi indiſciplinatus excurſus.

Furor eſt effrœnata conceptîs intrinſecùs adversîs animi impatientis & impotentis rabies.

Indignatio eſt turbida quædam ex inſolenti malevolentia in inferiorem deſpectio.

TRISTITIA SEU ACIDIA

E St ex fruſtrato rebûs contrariîs voto turbatæ mentis anxietudo, & rei bonæ bene gerendæ tædium. Ejus comites ſunt

Deſperatio ad vitæ ſtatum, vel virtutum reditum fracta ſpei gubernatio: vel eſt ſpei de ſalute, aut venia obtinenda abjectio.

Rancor eſt ex atra bili, aut nimia pigritia virium animi & corporis enervatio & corruptio.

Torpor eſt languentis animi pigritia, remiſſa motio, corporis hebetudo.

Timor eſt, per quem menti fluctuans anguſtia ex contrariorum expectatione generatur.

Acidia eſt ex nimia confuſione animi nata triſtitia ſive tædium, vel amaritudo animi nimia, qua jucunditas ſpiritualis extinguitur, & quôdam deſperationis principiô mens in ſe ipſa ſubvertitur.

Querela eſt, latentem cordis moleſtiam verbîs impatientibûs aperire, & ſe minus poſſe, quàm poſſit, oſtendere.

Puſillanimitas eſt ex rerum adverſarum tædiô iners & inconſiderata fracti animi dejectio.

AVARITIA

E St gloriæ, divitiarum, ſeu quarumlibet aliarum rerum inſatiabilis, & inhoneſta cupiditas. Comites ejus ſunt

Phila-

Philargyria, per quam ſingulari appetitu pecuniæ corradendæ continentiæ frena laxantur; interpretatur enim amor argenti.

Perjurium eſt fraudulenta commodi conſequendi aut damni devitandi gratiâ veritatis agnitæ abnegatio, pejerando facta.

Violentia eſt, per quam malitia ſeu injuria commodi gratiâ in inferiorem potenter & per vim exercetur.

Uſura eſt pecuniæ, aut alterius, rei mutuò datæ, cum fœnore receptio.

Fraus eſt, per quam familiari rei, inopiæ vel malitiæ causâ, clandeſtina ſurreptione conſulitur.

Rapina eſt ex avidæ mentis proveniens impetu violenta alienarum rerum direptio.

Fallacia eſt, per quam motibûs deceptoriîs veritas rei palliatur, vel odium alterius, vel proprium commodum intenditur.

INGLUVIES VENTRIS, ſeu GULA

EST immoderata qualiumcunque ciborum, potuumvè hiantis concupiſcentiæ ſatisfactio. Ejus comites ſunt

Ebrietas, per quam menti quædam ſui oblivio generatur ex ſuperfluorum potuum indulgentia.

Crapula, ut quidam volunt, eſt ſolius corporis causâ illecebroſus & avidus ciborum appetitus.

Mentis hebetatio eſt acutæ rationis obtuſio carnalis, intemperantiæ craſſis ſenſibus inducta.

Languor eſt voracitatis vitiô contracta ægræ mentis deſidia.

Delectatio eſt cibi aut potûs lauti, delicioſi, & cari ultra ſtatum & neceſſitatem appetitio.

Oblivio eſt, per quam animo, vitiîs ob gulam ſepulto, honeſtatis & ſalutis negligentia inducitur.

LUXURIA

EX immundis deſcendens deſideriis, eſt lubrica, & effrænata mentis corporiſque proſtitutio. Comites illius ſunt

Voluptas, quæ eſt cum quadam lubrica ſuavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio.

Laſcivia eſt indecens motus diſſoluti corporis in loco verecundo, ex intemperantia carnali prodiens.

Ignavia eſt de virtutum laudabili exercitio languida utriusque hominis dejectio.

Petulantia eſt ex carnalium cogitatuum conceptione totius corporis laſcivus in rem amatam impetus.

Digitized by Google

Titubatio eſt lubricæ carnalitatis inconſtantia, fracti animi vitium exteriùs prodens; aut ex immodica venere membrorum facilatio.

Blanditiæ ſunt cum quadam dulcedine vitioſorum delectaminum ſenſualis extrinſecùs facta exhibitio.

Deliciæ ſunt corporalis illecebroſitatis cum quadam ſuperfluitate uſurpatio.

Cæterùm *turpiloquium*, *immunditiam, libidinem, turpitudinem, & fornicationem* caſtitatis juratæ addictiſſimus cum Doctore Gentium nec nominare linguâ, nec pudicô calamô exprimere fuit dignatus, ſolúmque ad oſtendendos peſſimæ arboris frutices in ſupremo collocavit vertice, & quaſi (ùt re ipſa ſunt) explicatione indigna ſuo reliquit loco B. Hugo de S. Victore; cujus præclaram perſpicaciſſimi ingenii ſui doctrinam *tom. 2. Inſtit. Monaſt. opuſc. de fructibus carnis & ſpiritus* abbreviatô calamô exhibitam coronidis locô appoſuimus, neutiquam hoc ſua brevitate legentibus injucundum, aut moleſtum fore rati. Concludimus ergò præſens caput de vitiis, ſucciſam optantes malam arborem in omnium, Religioſorum maximè, cordibus, ut verſa vice melior implantetur, cujus folium non defluat, ſed fructum ſuum det in tempore, fructum honoris & honeſtatis. Notanda eſt ſententia S. P. N. *de grat. Chriſti c. 19. in fine to. 7.* pulchrè in rem noſtram differentis: *Malam arborem homo facit, quando ſeipſum malum facit, quando à bono incommutabili deficit; ab eo quippe defectus eſt origo voluntatis malæ. Qui defectus non aliam naturam malam initiat, ſed eam, quæ bona eſt condita, vitiat: ſanatô autem vitiô, nullum malum remanet; quia vitium natura quidem inerat, ſed vitium natura non erat.*

CA-

CAPUT III.
De Virtutibus, & earum uſu.

99 SIcut apud Medicos cognitio morbi media vocatur cura; ita Aſcetis perfecta notitia ſuæ naturæ, malarum inclinationum, & vitiorum eſt *prima diſpoſitio* ad virtutem. Ex priori capite ſatìs indagare potuit naturam vitiorum Religioſus Tyro; quibus cognitis in promptu etiam præſcripta adhibere potuit remedia, & eò ipſo contrariam vitio incepit exercere virtutem; *idem enim labor, & induſtria,* teſte Caſſione collat. 14. *c. 3. quæ in vitiis convellendis ponitur, virtutibus inſerendis inſervit.*

Prima, inquam, *diſpoſitio* ad virtutem eſt cognitio ſui quoad vitia, ſed adhuc valde remota; qui enim avertit faciem ſuam, ne videat in finem ſuorum peccatorum, nunquam iſtis abſtinebit, ſed magìs excæcatus, juxta illud *Iſa. 6. excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava &c.* ruet de peccato in peccatum, & ſi in profundum venerit, contemnet virtutem, eámque, ceu vitioſæ naturæ contrariam, repellet; *noluit enim intelligere, ut benè ageret, Pſalm.* 35. Ergo ad intellectum, ſeu cognitionem mali ſequitur bona actio, diſceditur à malo, & acceditur ad bonum virtutis: & ita aſſeruit Baſilius, *principium ad emendationem vitæ eſſe à malis abſceſſionem.* Quod Philoſophis adagium etiam eſt: *generatio unius eſt corruptio alterius*; generatio nempe virtutis eſt corruptio vitii.

Quamvis verò abſcedere à vitio prærequiratur ad acceſſum virtutis, non tamen in illo receſſu ſolo conſiſtit virtus, ſed majori adhuc hujus exercitatione opus eſt: ſicut enim declinare à malo, & facere bonum, diverſa ſunt præcepta; ita *vitiorum fuga, & virtutum exercitatio ſunt duo, quæ efficiunt Chriſti militem ſtrenuum*; uti ſanctè proloquitur S. Laur. Juſt. *grad. 7. cap. perfect.* Similiter Caſſianus *coll. c.* 20. docet: *perfectionis culmen pertingere cupienti non ſatìs eſt, ab illicitis temperare, niſi etiam in illis virtutibus indefeſſo curſu ſemetipſum ſemper extenderit, quibus ad ſatisfactionis indicia pervenitur.* Nempe, ut loquar, quod ſentio, cognitio peccati, ejúſque turpitudinis & damni in peccatore cauſat horrorem, & compunctionem; quæ eſt *quaſi prima ad virtutem diſpoſitio*: dein naſcitur receſſus à peccato; ſuſcipitur pœnitentia cum vitandi propoſito, quam voco *proximam ad virtutem diſpoſitionem*; & ad hanc tandem ſequitur virtutis ſtudium, ejus acquiſitio, & perfecta poſſeſſio. Re-

Digitized by Google

ctè itaque poſt oſtenſam peccatorum naturam nunc de virtutibus tractabimus. Omnes quidem perſtringere his pagellis non licet; præcipuas tamen, earúmque practicum uſum breviter inſinuabimus. Antequam autem ad particulares deſcendamus, quaſi univerſaliter, & in genere de virtutibus priùs agemus. Sit proin

ARTICULUS I.
De Virtute in Genere.

SUMMARIUM.

100. *Etiam poſt lapſum Adami inhumana natura inclinatio remanſit ad virtutem.*

101. *Atque hac inclinatio eſt quadruplex.*

102. *Virtus definitur habitus electivus in medietate conſiſtens.*

103. *Dividitur in infuſam, & acquiſitam.*

104. *Statuitur differentia earum.*

105. *Quid boni præſtent infuſa virtutes, aſſignatur.*

106. *Tam ex priori num. quàm in iſto ſunt quadam notanda in ſtudio virtutis.*

107. *Virtus non ideo melior eſt, quia exercitatu difficilior.*

108. 109. 110 *Objectiones diſſolvuntur. Ubi etiam agitur, quid ſit virtus heroica.*

111. *Difficultas in operante nil contribuit ad perfectionem virtutis ex ſe.*

112. *Subjectum virtutum diverſum; quia quadam in intellectu, ac voluntate. quadam in potentiis concupiſcibili, ac iraſcibili ſunt.*

113. *Finis virtutum alius intrinſecus, alius extrinſecus.*

114 *Perfectio earum ſcala Jacob aſſimilatur.*

115. *In quo virtutis gradatio ſeu intenſio conſiſtat, ex S. Thoma oſtenditur.*

116. 117. 118. *Objecta contra aſſertum difficultates complanantur ex doctrina Angelici Doctoris.*

119. *Deducitur ex dictis 1. peccata venialia, & negligentias in actibus virtutum eſſe cavenda.*

120. *Ded. 2. ex fine intrinſeco quamlibet virtutem exercendam eſſe, non tamen*

121. *Ex conſuetudine; licèt hac naſcatur ex repetitis actibus. Annectitur in fine vita brevis Venerabilis Joan. Ruisbrochii.*

100 QUamvis poſt lapſum primi Parentis peccati fomes remanſerit in humana natura, & ingens propenſio ejus ad vitia etiamnum reperiatur; tanta tamen hæc non eſt, ut omnem inclinationem ad virtutem à natura noſtra auferat, quin potiùs, *ſecundùm naturam*

tuum nobis eſſe virtutem, aſſeruit S. P. Aug. *l.* 11. *civ. c.* 17. Et quamvis vitia naturam humanam deprimant, ac deturpent; non tamen inditam illi propenſionem ad virtutis honeſtatẽ extinguere valent; prout idem S. D. *de civit. l.* 19. *c.* 12. notavit in hæc verba: *nullum vitium ita contra naturam eſt, ut natura deleat etiam extrema veſtigia*: *Virtus enim*, inquit S. Bern. *de vit. ſol. col.* 23. *eſt filia rationis*: aſt quid connaturalius eſt homini, quàm ratio? ergo pariter ipſi congenitam eſſe virtutem oportet. Quam naturalem ad virtutem inclinationem homini inditam eſſe cognoverunt tam SS. PP. quàm Ethnici Philoſophi; eámque pro doctrina aſcetica quadruplicem tradit P. Lancicius *opuſc.* 4. *fol.* 293.

101 Prima inclinatio naturalis eſt à DEO Authore naturæ, creante hominem ad imaginem ſuam; hinc ſequitur, multos naturaliter malum reſpuere, & bonum virtutis amplecti, omnes verò, quamvis aliàs ſceleratos, in aliis virtutem laudare, amare, & venerari. Quo ſenſu S. P. N. Aug. *tract.* 8. *in Epiſt. S. Joan.* ſcripſit, quòd etiam *virtutes, quæ oculis videri non poſſunt, tamen, quando nominantur, laudentur: non autem laudarentur, niſi amarentur; non amarentur, niſi viderentur, ſcilicet interiore cordis aſpectu*, quo rationalis anima naturaliter prædita eſt à DEO Auctore naturæ.

Secunda inclinatio naturalis ad ipſa opera virtutum provenit à virtutibus acquiſitis per ſimiles, & univocos actus; uti qui ſæpè actus patientiæ exercuit, ad ipſam virtutem patientiæ naturalem inclinationem, & complacentiam acquiret.

Tertia provenit à virtutibus tum infuſis, tum acquiſitis in juſtificatione, Sacramentorúmve uſu, ſi illa per opera virtutum continuetur, & aliquamdiu duret; omnes enim virtutes inclinant potentiam, in qua ſunt, ad ſimiles actus.

Quarta inclinatio oritur à ſuppreſſione malarum inclinationum, & dominio perfecto paſſionum; his enim ceu virtutum impedimentis imminutis, virtutes morales faciliùs & frequentiùs ſuos eliciunt actus, habitus augentur, majórque ſemper fit inclinatio ad opera virtutum. Prima inclinatio, & ſecunda prorſus eſt connaturalis, & in quolibet reperiri poteſt homine. Tertia ſolùm in juſtis per Divinam gratiam, & quarta tantùm eſt in perfectis, & ſanctis, qui expulſis à ſe vitiis non ſolùm ad virtutes in juſtificatione acquiſitas inclinant, ſed etiam inclinationibus naturalibus, & imperfectionibus minimis impeditis, pio quodam motu, & interno inſtinctu cœleſti ad opera inſignia virtutum feruntur, ad quæ ipſa quoque natura ob frequentiam, & piam ſuavitatem facilitatur. Pro faciliori captu dividemus hunc Articulum.

Digitized by Google

§. I.
Quid, & quotuplex ſit virtus.

102 SAcra virtutis majeſtas, fortitudo, & decor indumentum ejus meritò ad eam naturalem inclinationem conſideranti efficiunt; *altum* enim *quiddam eſt virtus, excelſum, regale, invictum, inſatigabile*; ut deſcribit Seneca *l. de v. beat. c.* 7. Neque hìc virtutis encomium tenere mens eſt; ipſa enim ſibi ſufficiens laus, & prœmium eſt: ſed aſceticè de ea agere ſtatuimus, quid, & quotuplex, ad quem finem ſit, & quid operetur in poſſidente. Virtus itaque ab Ariſtotele & S. Th. 1. 2. *q.* 64. *a.* 1. definitur, *quod ſit habitus electivus in medietate exiſtens.* Quam mediocritatem exponit *S.* Greg. Nyſſenus *homil. 6. in Eccleſ. Non enim*, inquiens, *poteſt eſſe virtus, cui vel deeſt, vel cui excedit conveniens menſura.* Unde, quia hoc medium, in quo conſiſtit virtus, ab extremis ſæpè difficilè diſcerni, & teneri valet, quin aliquis ad dextram, vel ſiniſtram declinet, ideo difficultates ſuas etiam habet virtus: ſæpe enim, Divo Bern, teſte in apolog. apud Lairv. *to.* 1. *fol.* 318. parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas dicitur, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities veſtimentorum honeſtas &c. Pro diſcernendo igitur medio virtuoſo diligenter advertat Tyro ad præcepta DEI, Superiorum ſuorum voluntatem, regularum obſervantiam, & rationem, quæ in concurſu virtutis & vitii poſt invocationem fideliter à DEO illuſtrabitur, ſi ad vitiorum naturam capite priori detectam, & ad virtutum actus hoc capite oſtendendos ſe ſe reflexerit.

Dividitur virtus etiam ab Aſcetis in acquiſitam, & infuſam; *virtus infuſa* eſt, quam DEUS homini in prima juſtificatione illius, vel hac diutiùs durante infundit, quod contingit in ſuſceptione Sacramentorum in ſtatu gratiæ, vel dum actus contritionis, aut Divini amoris eliciuntur: tales virtutes ſunt Theologicæ *Fides, Spes, & Charitas*, quæ immediatè circa DEUM verſantur, & ſine intermedio DEO conjungunt hominem. Præter has virtutes Theologicas aliæ adhuc infunduntur à DEO, ut perficiant animam circa alia, quibûs dein ad DEUM ferimur; uti habet S. Thomas 1. 2. *q.* 63. *a.* 3. Omnes autem tales virtutes per unicum peccatum mortale commiſſum deſtruuntur, & eliminantur unàcum gratia ſanctificante, exceptis Fide & Spe; quæ in peccatore ſunt tanquam radices, quarum beneficiô ſe ad pœnitentiam diſponere, & amiſſam gratiam recuperare poſſit; ac ideo perſeverant, niſi per peccata illis con- 103

contraria, deſperationem nempe & hæreſin, expellantur. *Virtus acquiſita* eſt, quæ noſtro labore per frequentatos actus ſimiles, & univocos acquiritur. Hoc tamen in ſenſu accomodo (ut Philoſophi dicunt) intellige: non enim per quemlibet actum omnis, aut quævis virtus acquiritur; ſed quælibet per ſibi proportionatos actus, uti humilitas per actus humiliationis, temperantia per actus temperantiæ gignitur; & ita de cæteris acquiſitis.

Differentia virtutum infuſarum & acquiſitarum eſt, 1. quòd virtutes infuſæ pereant dictô modô cum gratia ſanctificante, quæ expellitur per peccatum mortale. 2. Non tollunt ſimpliciter difficultatem in bene operando; nec etiam pravos habitus minuunt immediatè & per ſe, neque ſic vitioſas paſſiones frœnant. 3. Per quemlibet actum elicitum augent habitus infuſos, virtutes alias morales ad altiorem finem dirigunt, earúmque actus ferventiores in eliciendo efficiunt.

104 *Virtutes* autem *acquiſitæ* in peccatore remanent, nec perduntur, niſi actibus directè contrariis, v. g. irâ manſuetudo, Superbiâ humilitas &c. 2. Facilitatem per ſe faciunt, pravóſque habitus, & paſſiones minuunt, v. g. quò ſæpius iræ reſiſtendo actus manſuetudinis exerces, & remedia ſupra *num.* 72. enumerata applicas, majorem in dies facilitatem eliciendi manſuetudinis actus acquires, paſſiones iracundiæ frœnabis, & vitioſum iræ habitum minues, & edomabis. 3. Per quemlibet actum virtutis moralis non fit habitus, ſed per frequentatos; nec per hos quis meretur ſupernaturalem gratiam, & ſubſequentem aliquando gloriam, niſi conjungantur cum infuſis per virtutem charitatis. Cæteras differentias inter virtutes à fine, objecto, modo tendendi, aliiſque circumſtantiis Theologi deducunt.

Porro ad noſtrum propoſitum 105
ſpectat, quod virtutes infuſæ, etſi difficultatem in bene operando ſimpliciter non tollant, potentias tamen ſpirituales, intellectum, & voluntatem, perficiant, ſupernaturaliter elevent, & adjuvent, ut actus ſupernaturales elicere poſſint, eadémque motiva ſupernaturalia aliis virtutibus ſuggerendo earum actus ſimiliter ſupernaturales efficiant. Id præcipuè ex virtutibus Theologicis charitas præſtat; etenim *dilectionis radix eſt charitas, virtutes verò cæteræ ſpirituales rami eſſe noſcuntur in illa tanquam radice inſertæ: ſuccide radicem* (per peccatum lethale) *& repentè rami fructus exſiccantur, & folia*, inquit S. Laurent. Juſt. de triumph. Chriſti agone *c.* 14. Bene itaque ſibi notent Religioſi Tyrones, ut primò peccatum mortale nunquam committant, ne tantis virtutum theſauris ſpolientur, & charitas, quæ inſeparabilis comes eſt gratiæ, ab ipſis auferatur, & cæteræ virtutes infructuoſæ, atque

Digitized by Google

mortuæ efficiantur; ut ſupra *n.* 40. retulimus. Secundò ſibi notent, ut in gratia conſtituti ſtudeant actus virtutum acquiſitarum ex motivo aliquo ſupernaturali ad infuſam, & præcipuè charitatem referre; ſic enim omnes ſupernaturales, & meritorii fient.

106 Ulteriùs diligenter imprimendum eſt Novitiis, ut ubi aliquam virtutem acquiſierunt, eam magìs perficere ſtudeant. Dein verò non ſtatim ceſſent acquiſitæ actus elicere; quia per ſolam ceſſationem ab exercitio virtutis minuitur, & perditur ſucceſſivè ipſa virtus. Intellige tamen, ſi diu abſtineretur ab ejus exercitio; ut docet S. Th. 1. 2. *q.* 53. *a.* 3. Fugiant igitur tepiditatem, quæ inprimis cauſa eſt, quod languidè virtutes acquiſitæ exerceantur, & per actus tam tepidos, & remiſſos potiùs earum habitus minuantur, quàm augeantur; ut docet Ariſtoteles apud S.Th. 1. 2. *q.* 52. *a.* 3. Altera deinde cauſa eſt, quòd virtutes in tepidis ſint ſine frequentatione actuum otioſæ, & ſic pereant, evaneſcentes quaſi ſine ulla contrarietate alia. Hanc virtutis exercitationem pulchra ſimilitudine citharædi expreſſit S. Anſelmus apud Lairv. fol. 317.

§. II.
De objecto virtutis, & an hæc ſit melior, quando difficilior?

107 IN aſceticam adhuc conſiderationem objectum virtutis venit, quod eſt illa materia, circa quam verſatur; ſicut v.g. temperantia eſt circa concupiſcentias, & delectationes tactûs moderandas, & ita de cæteris. Præterea an illa virtus ſit dignior, & melior, quæ habet difficilius objectum, ideſt, in ſuis operationibus majores difficultates ſuperandas, vehementiores paſſiones vincendas, ac fortiori inſuper reſiſtentiâ indiget? Reſpondet S. Thomas 2. 2. *q.* 123. *a.* 12. *ad* 2. *quòd ratio virtutis magis conſiſtit in bono, quam in difficili; unde magis eſt menſuranda magnitudo virtutis ſecundùm rationem boni, quàm ſecundùm rationem difficilis.* Pro clariori intelligentia hujus Tyronibus exemplum ſit: *unus* facit actum obedientiæ cum magna promptitudine animi: *alter* parem exercet cum eadem promptitudine animi; ſed, quia in executione erga jubentem ſuperiorem magnam ſimul ſentit averſionem, & paſſionum reſiſtentiam, difficultatem conjunctam cum promptitudine ſua habet. Hi duo pares ſunt in actu obedientiæ, quilibet promptitudinem habet in executione ut quatuor; *prior* tamen ipſo actu bonam diſpoſitionem, facilitatem, & nullam in ſe advertit paſſionem: alter verò in ſe ſentit paſſionum reſiſten-

ſtentiam, difficultatem, malámque voluntatis diſpoſitionem; quæ paſſiones quidem nullum peccatum (utpotè involuntariæ) ſunt; cùm non obſtante hac difficultate promptè obediat. Hic videretur majorem exercuiſſe virtutem ob ſuperatam ſimul difficultatem &c. ergo virtutis ratio magis etiam conſiſtet in difficili bono, non præcisè in bono. At, ſtando in principiis S. Th. & communi DD. ſententiâ, poſterior non habuit præſtantiorem virtutis actum, imò minùs præſtantem, quàm prior habuit; quia hic perfectiorem operandi modum in ſua obedientia habuit. Operari enim ſine reſiſtentia Divinæ legi contraria, perfectius eſt, quàm operari cum paſſione, etiamſi hæc ſit involuntaria, & pia vi compeſcatur; quia rebellis paſſio effectus eſt peccati originalis, vel actualium, & inclinat ad peccatum, quantum de ſe eſt, & conturbat rationem rectam ſuâ repugnantiâ: quæ omnia imperfectionem quandam important, à qua imperfectione, quia prior in poſito caſu liber extitit in operando, perfectiorem exercuit obedientiæ actum. Sic quia nullam repugnantiam legi Divinæ contrariam ſentiebant Chriſtus, & B. Virgo, ſine ulla etiam difficultate operabantur, & eorum actiones perfectiſſimæ erant: ergo virtus rationem præſtantiæ à bonitate operis deſumit, non à difficultate operantis.

Dices 1. proficere magis in vita Religioſa, eſt proficere magis in virtutibus; ſed majores difficultates, quas in ſe aliquis ſentit, ſuperare, ſuáſque paſſiones vincere, eſt magis proficere in vita Religioſa juxta aſceticum axioma B. Thomæ Kempenſis: *eò magis proficies, quò majorem tibi ipſi vim intuleris*: ergo difficultates ſuperare, paſſiones magis vincere, eſt magis proficere in virtutibus. Atqui, ſubſumitur, profectus major virtutum conſiſtit in majori ſuperanda difficultate: ergo etiam ipſa virtus magis conſiſtit in difficili. 108

Reſpondeo diſtinguendo majorem in forma: proficere magis in vita Religioſa poſitivè & actualiter, eſt proficere magis in virtutibus, concedo maj. proficere tantùm inchoativè, & diſpoſitivè, nego maj. Similiter ad minorem. Majores difficultates ſuperare &c. eſt proficere in vita Religioſa, inchoativè, diſpoſitivè, concedo min. poſitivè, & actualiter, nego min. & ita Reſpondeo ad ſubſumptum, & nego conſequentiam. *Poſitivè* proficere, ſeu actualis & formalis profectus conſiſtit in perfecta poſſeſſione gratiæ ſanctificantis, & charitatis ſupernaturalis, cui cæteræ virtutes infuſæ tanquam proportionatæ conjunctæ ſunt juxta S. Th. 1. 2. q. 65. a. 3. & hæ virtutes cum gratia ſanctificante augentur omnes, quoties una, vel plures, aut alia opera bona à Religioſo exercentur; in

quo proin poſitivus profectus conſiſtit, & *Religioſus eò magis proficiet, quò majorem ſibi vim in exercendis virtutum actibus intulerit, iiſque intenſioribus charitatis, & gratiæ habitum adauxerit.* Et ita intelligendum axioma Kempenſe. *Inchoativè & diſpoſitivè* proficere eſt, quando contraria profectui noſtro, & impedimenta è medio tolluntur, difficultates, quæ à malis naturæ inclinationibus, & propenſionibus ad vitia, inordinatis paſſionibus, aut contractis malis habitibus provenire ſolent, forti animo ſuperantur: quibus ſuperatis diſponimur ad virtutem, & cum Divina gratia virtutis actum exercendo inchoamus profectum ſpiritualem. Quia igitur difficultates cum paſſionum reſiſtentia præcedunt, vel concomitantur virtutis actum, etſi prorſus ſint involuntariæ, imperfectionem tamen religioſam in ſe habent, quam refundunt ſubinde in actum, minúſque perfectum reddunt: illas verò ſuperare, utpote virtutis impedimenta, eſt proxima diſpoſitio, ſeu conditio, ſine qua prorſus non fieret virtus.

109 Dices 2. ex hoc ſequeretur, quòd nulla virtus perfecta eſſe poſſit, cùm nulla ſit ſine paſſione: ergo paſſio imperfectam virtutem non facit. Antecedens probatur ex Ariſtotele 1. *Ethic. cap.* 8. dicente: *nullus eſt juſtus, qui non gaudet de juſta operatione.* Item ex *Eccleſiaſte cap.* 3. *v.* 22. *nihil eſt melius, quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius &c.* Sed gaudium, & lætitia ſunt paſſiones: ergo nulla virtus eſt ſine illis: imò ſecundùm Eccleſ. paſſiones gaudii in ſuo opere ſunt pars boni operis, ſeu virtutis exercitæ.

Reſp. diſtinguendo antecedens; nulla virtus eſt ſine paſſione ordinata, Concedo; ſine paſſione inordinata nego antecedens, & ita conſequentiam. Paſſiones ſunt motus appetitûs ſenſitivi, & propria materia, circa quam virtutes morales verſantur, inordinatos ejusmodi motus rationi ſubjiciendo, & refrœnando ſub actuali virtutis exercitio, quæ hoc modo non poteſt eſſe ſine paſſione: hæc autem à virtute ita regulatur, ut nullam ampliùs reſiſtentiam ei ponat; conſequenter paſſiones ordinatæ imperfectionem nullam inducunt in actum virtuoſum. Cæterùm quia de virtutis bono gaudet voluntas, ſicut ipſa virtus ordinata, ita & gaudium ordinatum eſt, & quò magìs redundat perfectio in actum virtutis, eò magis redundat gaudium usque etiam in appetitum ſenſitivum: atque hæc lætitia, quia ad omne opus bonum ſequitur, hujus quodammodo ab Eccleſiaſte pars dicitur. Hinc, quia teſte S. Auguſtino Stoici inter paſſiones ordinatas, & inordinatas non diſtinguebant, poſuerunt, quòd paſſiones animæ non poſſint eſſe in ſapiente ſive virtuoſo. Vide deſuper S. Th.

Digitized by Google

S. Th. 1. 2. *q.* 59. ubi hoc per totum angelicè tractat.

110 Dices 3. Virtus heroica ideo tam eximia, & ſublimis eſt, quia majores difficultates oppoſitas habet, quas non niſi heroico auſu vincit: ita S. P. N. Auguſt. ut conſtat ex *l. confeſſ.* peſſimè inveteratam, & inflammatam carnis concupiſcentiam, ac continuam ejus reſiſtentiam vincendo; S. Joan. Gualbertus hoſti inermi fratricidium impunè condonando; S. Benedictus venereis tentationibus graviſſimè impetitus ſe nudum in acutiſſimas vepres abjiciendo, perfectiſſimam & heroicam virtutem, uti plurimi alii Sancti exercuerunt: ergo virtus magis conſiſtit in difficili.

Reſp. rurſus cum diſtinctione. Virtus heroica ideo talis eſt, quia majores difficultates oppoſitas habet tam ex parte objecti, quàm operantis, concedo: quia majores habet ex parte ſolùm operantis, nego antecedens, & conſequentiam. Dupliciter enim aliquid eſt difficile; primò ex magnitudine operis; & ſic magnitudo laboris (quem aliquis adhibet circa tale objectum) pertinet ad augmentum meriti: ſecundò ex defectu ipſius operantis, cui prompta voluntas deeſt propter repugnantiam quandam paſſionum. Primô modô charitas non minuit laborem, imo opera maxima facit aggredi, & cauſa eſt majoris boni, ac meriti. Secundô modô minuitur & bonum virtutis, & meritum. Videatur S. Th. 1. 2. *q.* 114. *a.* 4. *ad* 2. unde Reſp. deſumpta eſt. Dein dici poteſt ideo ſublimiorem fuiſſe actum exercitæ virtutis, quia eò intenſior fuit, quò major erat contraria in natura repugnantia apud Sanctos in poſitis caſibus; remiſſo enim virtutis actu neutiquam potuiſſent vincere tam graves tentationes, quas non niſi ferventiſſimis actibus vicerunt; atqui ferventiſſimi actus ex ferventiſſima charitate in DEUM procedebant, à cujus motivo ſublimantur virtutes cæteræ, dum heroico niſu expugnant penitus rebelles paſſionum motus, edomant, ſubjugant, & liberum reddunt ſuum exercitium.

Quodſi verò virtus conſideretur ſecundùm proprios actus, & in ſua ſpecie, ut dicunt Theologi, præciſo charitatis motivo, certè difficultas in operante nihil contribuit ad virtutem, ſed eam in ſua perfectione, & intenſionis gradu relinquit, ita ut illa virtus habeatur melior, & perfectior, quæ intenſiores, & à paſſionum reſiſtentia remotiores habet actus; aut præexcellit intra ſuam ſpeciem, vel alias virtutes ex ſuo nobiliori objecto ſuperat. Hinc S. Th. 2. 2. *q.* 141. *a.* 8. temperantiam poſtponit fortitudini, & juſtitiæ; quia virtus magis attenditur *ſecundùm rationem boni, qua major eſt in illis, quàm ſecundùm rationem difficilis, in quo excedit temperantia.* Ulteriùs autem ponit 111

Digitized by Google

ponit inter virtutes Theologicas iſtum *ordinem perfectionis* : 1. eſt charitas tanquam mater omnium virtutum, radix & forma, 2. Fides, 3. Spes. 1. 2. *q.* 62. *a.* 4. Deinde inter virtutes cardinales 1. eſt prudentia, 2. juſtitia, 3. fortitudo, 4. temperantia, & poſt has cæteræ virtutes ſequuntur. Ita 2. 2. *q.* 123. *a.* 12.

§. III.

De ſubjecto, fine, & intentione ſeu gradatione virtutum.

112 SUbjectum virtutum eſt diverſum; aliquæ enim ſunt in intellectu, prout regitur à voluntate; ita fides in intellectu eſt docente S. Th. 1. 2. *q.* 56. *a.* 3. Aliquæ ſunt in voluntate; cùm enim voluntas ſit primum movens, & ordinet affectum hominis vel ad DEUM, vel in proximum, indiget etiam virtutibus, quæ in voluntate ſicut in ſubjecto ſunt, uti charitas, & virtutes infuſæ. S. Thom. *c q a.* 6. Aliquæ etiam ſunt in appetitu ſenſitivo, in quantum nempe appetitus iſte ſubjicitur rationi. Appetitus ſenſitivus dividitur in iraſcibilem, & concupiſcibilem; in quibus neceſſe eſt ponere virtutes ſecundùm S. Thom. *c. q. a.* 4.

In concupiſcibili potentia ſunt eæ virtutes, quæ contrarias moderantur ejus paſſiones, uti *amorem*, *odium*, *deſiderium*, ſeu concupiſcentiam, *abominationem*, *delectationem*, *triſtitiam* ſeu dolorem; virtutes his contrariæ ſunt *temperantia*, *liberalitas*, *philotimia*, ſeu amor honoris, *veritas*, *affabilitas* ſeu amicitia, *Eutrapelia*.

In iraſcibili appetitu ſunt 5. paſſiones, *ſpes*, *deſperatio*, *timor*, *audacia*, *ira*: iſtas paſſiones ſequentes moderantur virtutes, nempe *fortitudo*, *magnificentia*, *magnanimitas*, *manſuetudo*, *clementia*. De quibus præſenti capite breviter tractabimus, aliáſque ſubalternas in diſtinctis articulis adducemus; nunc de fine virtutum reſtat.

Finis *intrinſecus*, & particularis ſingularum virtutum eſt, animæ potentias, quibus inſunt, perficere, ut faciliter ſuos virtuoſos actus poſſint exercere, & contrariis paſſionum motibus reſiſtere. 113
Finis *extrinſecus*, & ipſiusmet operantis, conſiſtit in intentione, ob quam illam virtutem exercet, eámque ulterius ad DEI gloriam, augmentum gratiæ, & finalem in gratia perſeverantiam refert. Quò plura autem motiva, ferventiores, ac puriores habuerit intentiones in virtutis unius exercitio, eò melior erit virtus, majoríſque meriti. Sic in exemplo: dum exerces actum virtutis humilitatis, *finem intrinſecum* habes, qui eſt, inordinato propriæ excellentiæ appetitui reſiſtere, téque DEO ſubdere. *Extrinſecum* verò

Digitized by Google

verò habere potes, ſi ex amore Dei ſuper omnia excellentis, infinitè amabilis, ex conſideratione humillimæ vitæ, & paſſionis Domini, ſtudiô ipſum imitandi, & etiam acceptas ab eo multiplices gratias recompenſandi, vel ex motivo aliarum ſimul virtutum pro earum augmento vel receptione, ex virtute obedientiæ, ut ſi Superior jubet, aut ex alia pia quacunque intentione humilitatis actum prædictum facias. Alium virtutum finem aſceticum exponit D. Greg. Nyſſenus in ennarr. vit. Moiſai. dicens: *ut agricultura finis eſt frugum perceptio &c. certaminis corona; ſic virtuoſa vita finis eſt, ut ſervus DEI & ſis, & vociteris.* Attende igitur Religioſe Tyro, qui cupis vocari Religioſus, id eſt, ſervitio Divino addictus, ne in vanum accipias hoc nomen, virtutem negligas, ejus tamen gloriam appetas. Memento, quòd dulcis ſit virtutis fructus; & amaritudo laboris pro ea acquirenda tibi dulcorabitur, ſi non in hac, ſaltem in altera ac cœleſti vita.

114 Quia in numero præcedenti, & alibi hinc inde ſæpe dicitur, *virtutem eſſe meliorem, quæ intenſiores elicit actus*; Novitio innoteſcat, omnem virtutem certos habere gradus, quibus quodammodo ad perfectionis ſuæ culmen pertingit. Ita à SS. PP. pulchrè aſſimilatur ſcalæ Jacob, in qua vidit Patriarcha per ſomnium aſcendentes, & deſcendentes Angelos. Aſſimilatur turri, & ordinato palatii ædificio, quod ſucceſſivè, paulatim, & per partes à fundamento ad ima perducitur: pariter *unaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus agitur; & ſic pro incremento meritorum ad ſumma perducitur;* uti docuit Mag. Greg. *hom. 2. in Ezech.* Confirmatur id aptè à S. Iſidoro noſtro *l.2. ſect. c.36. n.3. ſicut paulatim homo à minimis vitiis in maxima proruit; ita à modicis virtutibus* (valde remiſſos ab initio adhuc actus habentibus) *gradatim ad ea, quæ ſunt excelſa* (in perfectionis virtutis illius culmine poſita) *contendit.* Sic in exemplo, qui cupit virtutem obedientiæ obtinere, primò incipiat in rebus minimis, dein parvis, tandem in magnis & gravioribus præcipienti obedire; & quò promptiori animo indies id fecerit, eò intenſiorem, & perfectiorem acquiret virtutem obedientiæ.

Quæres, in quo conſiſtat iſta 115 virtutis gradatio, ſeu intenſio? an fiat per additionem novi gradus, ſeu virtutis majoris ad virtutem priorem; ſicut contignationes ædificii ſolent aſſurgere, & creſcere per impoſitionem lapidum ſuper lapides? Reſp. cum Doctore Angelico, virtutis intenſionem in eo conſiſtere, quòd ſubjectum, ſeu homo per frequentiores actus unius, aut plurium virtutum magìs diſponatur ad medium virtutis attingendum ſecundùm rectam rationem; ſicque magìs ad virtutem exercitam inclinatur

tur potentia illa, in qua reſidet virtus, ac propter hanc diſpoſitionem anima magìs participat virtutem. Sicut enim aqua poteſt calorem in ſe ſuſcipere, & à calore perfici, ac quò magis calorem in ſe participat, eò magis dicitur calida: ita etiam virtus, quò frequentioribus, ferventioribus, & perfectioribus actibus exercetur, eò magìs perficiet ſpirituales animæ potentias, magíſque ab anima tanquam ſubjecto ſuo participabitur.

Hac ratione B.V.Maria, quia à primordio immaculatæ Conceptionis ſuæ, peccato tum originali tum poſtea actuali prorſus libera, nullum gratiæ à DEO infundendæ impedimentum in ſe habuit, primam gratiam ſecundùm omnes formales ejus perfectiones accepit, cui gratiæ ſtatim cooperando, magìs ſe ipſam ad perfectiorem receptionem illius gratiæ diſpoſuit: & quia in ſingula momenta perfectiori modo cooperando ſe magìs diſpoſuit, ſemper etiam gratia perfectiori modo huic puriſſimo & præparatiſſimo ſubjecto ineſſe cæpit, & ita *crevit in gratia*, uti loquuntur SS. PP. & ab Evangeliſtis appellatur *gratiâ plena &c.* Atque hæc major plenitudo, ſeu participatio virtutis ac gratiæ, vocatur à S. Thom. intenſio virtutis gratiæ, aliorúmve habituum, 1. 2. *q.* 52. *a.* 2. & *q.* 66. *a.* 1. *in corp.* item 2. 2. *q.* 24. Pariter de charitate, gratiæ comite, diſcurrit *a.* 4. & 5. &c.

116 Dices: virtus conſiſtit in medio, uti ſupra ſub *num.* 102. diximus: ergo non poteſt intendi, ſeu augeri; nam ſecundùm S. Greg. loco ibi cit. *In magni, & excelſi animi virtute, quod deficit, eſt timiditas, quod exſuperat, eſt audacia.* Deinde virtutes infuſæ ſunt jam perfectæ, & eas *DEUS in nobis ſine nobis operatur*; uti definit S. Th. 1. 2. *q.* 55. *a.* 4. ergo noſtris actibus non poſſunt augeri. Etenim illius eſt virtutes infuſas augere, cujus eſt charitatem cum virtutibus infuſis creare: atqui ſolius DEI eſt creare: ergo etiam ſolius DEI eſt eas augere.

Reſp. 1. diſtinguendo: virtus conſiſtit in medio rationis, concedo; in medio rei, nego antecedens. Medium rationis hìc ſumitur id, quod à ratione in aliqua materia, vel re ponitur; ſicut in poſito exemplo S.Greg. Nyſſ. ratio in virtute magnanimitatis medium ponit, ut aliquis conformitatem ad rectam rationem habeat quoad difficultates ſuperandas, ne timidus ſit in iis, & quoad fugienda, & relinquenda ea, quæ ſupra vires ſunt, ne temerarius, & audax ſit.

Reſp. 2. conceſſo ſecundùm dicta antecedente, diſtinguo conſequens; ergo virtus non poteſt intendi ultra medium rationis, & in ſe ipſa, concedo; non poteſt intendi in ſubjecto magìs eam participante, nego conſequens, & conſequentiam.

Sic

Sic enim eadem virtus ſecundùm diverſa tempora, vel propter majorem aſſuetudinem, vel propter meliorem diſpoſitionem naturæ, vel propter perſpicacius judicium rationis, vel propter majus gratiæ donum magìs in anima recipitur, & participando radicatur.

Ad alterum de virtutibus infuſis dico, eas noſtris actibus augeri diſpoſitivè, in quantum per ſupernaturalem inhabitantem gratiam exercitis actibus nos magis diſponimus ad receptionem perfectiorem illius virtutis; prout explicat S.Th. *2. 2. q. 24. a. 3. ad* 1.

117 Dices: ſi nullus gradus additur ad virtutem, ſed ſolùm virtus magìs, & magìs ineſt ſubjecto magìs diſpoſito, ſequitur, quòd virtus v. g. temperantiæ in uno homine ut 4. exiſtens, in alio verò ut 8. ſit æqualis perfectionis: atqui hoc eſt contra meritum, contra S. Scripturam, & imperceptibile: ergo addendus eſt gradus. Contra *meritum* eſt; quia, qui perfectiorem habet virtutem, plus meretur gratiæ; ut ſupra *n.*107. *&* 8. diximus.

Contra *ſcripturam* eſt, quæ præcipuè Abraham de fide, Moyſen de manſuetudine, Job de patientia, Jacob de fortitudine, Joſeph de caſtimonia laudat: & ita S. Eccleſia S. P. N. Auguſtinum propter inſignem in DEUM charitatem, S. Benedictum propter victoriam carnis, S. Thomam Aquinatem propter donum ſervatæ Virginitatis, S. Ubaldum noſtrum propter patientiam in ferendis injuriis in vitis eorum extollit: ſed hæc laus, & præcipua prærogativa tanta non eſt, ſi alii homines longè inferiores æqualem virtutem habent: ergo &c. Imperceptibile etiam videtur, quòd calor ut 4. ſit idem, quàm calor ut 8. ergo pariter de virtute &c.

Reſp. virtutes illas non eſſe æquales in perfectione intenſiva ex parte ſubjecti, in quo illa virtus ut octo perfectiùs radicatur, & in gradu octavo ibi relucet, ídque perfectiori modo perficit, quàm in altero illa virtus ut quatuor.

Cæterùm virtutes illas in ſua formali perfectione entitativa, quatenus quælibet ex ſe forma ſubjecti perfectiva in illo virtutis genere eſt, æquales eſſe, perceptibile eſt; ſicut calor ut octo æqualis eſt calori ut quatuor ſecundùm ſuam entitatem, & formam, inæqualis verò eſt ſecundùm participationem ſuam in ſubjecto; ita inæqualitas, & major perfectio, ſeu intenſio virtutis eſt ex parte ſubjecti, nempe animæ, cui magìs ineſt.

Deinde ſi de virtutibus infuſis lo- 118
quamur, omnes ſunt æquales æqualitate quadam proportionis in ſuo fundamento charitatis, ita ut per actum intenſum uniûs habitûs charitatis & cum charitate omnes infuſæ creſcant; ſicut in homine creſcente proportionaliter & æqualiter manus, digiti, brachia, pedes,

 & cæ-

& cætera membra augentur. Ita cum S. P. N. Auguſtin. S. Thom. 1. 2. *q.* 66. *a.* 2. *in corp.* Ex quo patet, non eſſe contra, ſed potiùs augere meritum, ſi virtus cum majori radicatione inſit ſubjecto; quia augetur magis charitas, quæ eſt principium merendi.

Nec eſt contra ſcripturam, quia unus Sanctus laudatur præcipuè de una virtute, & alius de alia propter excellentiorem promptitudinem ad actum unius virtutis, quàm ad actum alterius. S. Th. *l. mox. cit a.* 2. *ad* 2. Atque de his Philoſophi, & Theologi fuſius tractant; nobis prælibata ſufficiant ad hauriendam doctrinam aſceticam, quæ

119 Deducitur ex dictis de virtutibus in genere primò, quòd Religioſus ſummoperè cavere debeat, ne in exercitio virtutis, aut alterius boni operis peccatum veniale, aut alias imperfectiones admittat; quia per peccatum veniale diminuitur meritum boni operis, quod tunc fit; uti docet S. Th. 2. 2. *q.* 132. *a.* 3. *ad* 1. Talis etenim virtus ſecum haberet defectum, qui licèt extrinſecè virtuti adveniret, minùs tamen nitentem redderet: *diſplicet in pulchro corpore non ſolùm morbus, ſed etiam nævus*; ut ait S. Bern. *Epiſt.* 149.

Non ſolùm autem Religioſus caveat imperfectiones & peccata venialia, v. g. vanæ gloriæ, tepiditatis, quæ facilè in exercitio virtutis, aut boni operis ſubrepere ſolent; ſed etiam ſtudeat paſſiones involuntarias, difficultates occurrentes ita vincere, ut potiùs bonum opus cum quadam ſuavitate, facilitate, & fervore peragat; quia perfectior iſte eſt modus operandi, ut ſupra diximus. Hoc autem tanquam ſpeciale donum DEI ut obtineatur, requiritur frequens recurſus ad DEUM per ferventem orationem, & invocationem brachii Excelſi, frequens exercitium illius virtutis, & frequens mortificatio ſuiipſius in magnis, & in parvis; de quo infra pluribus agemus.

Deducitur ſecundò, Religioſum debere ſibi præſtituere in actu virtutis finem intrinſecum virtutis illius, & non ſolùm extrinſecum: ſic, ſi velit actum obedientiæ perfectæ habere, debet obedire non ſolùm propter DEUM, cui placet obedientia plùs quàm victima, nec ſolùm, quia honeſtum, & rationi conſentaneum eſt, Prælato aliíque Superiori, DEI Vicariis in terris, obedire; ſed etiam recogitet, quòd ideo ſit obediendum, quia per obedientiam ratio, & voluntas humana ad ſuum finem diriguntur; & in illa principaliter conſiſtit ſtatus Religioſus: & ita de cæteris virtutibus procedat. Hoc enim modo judicium rationis circa virtutes acquiſitas perſpicacius fit, cùm majori attentione actus eliciuntur, majorem quoque perfectionem conſequuntur. 120

Deducitur tertiò: quamvis ex 121

repeti-

repetitis actibus virtutum naſcatur conſuetudo eos eliciendi, non tamen exercendos eſſe ex conſuetudine præcisè, ac perfunctoriè; quia talibus actibus, utut ex conſuetudine repetitis, non augeretur habitus, utpote cùm vel ſine intentione, vel attentione ad ipſum opus, vel non ex motivo ipſius virtutis fierent, remiſſi eſſent tantùm actus, quibus non intenderetur habitus; uti docuimus. Ejusmodi monſtroſa mala prævidens S. Bernardus aſſeruit, *nonnullos, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione vel neceſſitate, vel conſuetudine, ſed ad hac agenda nulla alacritate moveri.* Propter hoc ſæpe contingit ſenſim degenerare virtutem in vitium, ac infructuoſa, utpote ſine merito, fieri opera, quibus animadverſis à maligno ſpiritu ſuggeruntur difficultates, horror devotionis, fuga virtutis &c. Aut ab eodem ſpiritu miræ fiunt illuſiones, ut Religioſus virtutem aſſecutum ſe fuiſſe reputet; cùm tamen longè adhuc ab ea ſit. Hæc tria deducta Tyrones bene notent, & obſervent; ne pro virtute acquirenda incaſsùm laborent, & à fine ſuo recedant.

EXEMPLAR VIRTUTIS.

UT pro incœpto more noſtro protinus pergamus, placet virtutis Theatrum aperire in venerabili Joanne Rusbrochio Canonici Ordinis inſigni Reformatore in ſanctitate conſpicuo viro: cujus brevem vitæ periodum hìc complectimur; virtutes enim religioſiſſimi viri aſcetica opera typis impreſſa, velut effectus ſuam cauſam, continent, ut propterea omnes neutiquam adducere his pagellis velimus, aut poſſimus. Natus is Anno Chriſti 1293. in Belgio Buysbroëkii ſeptem adhuc dierum infans, cùm à nutrice in pelvi lavandus eſſet, nullo niſi inuſitato Divinæ gratiæ fultus adminiculo, erectus in ea ſtetit, non ſine præſagio futurarum ſuarum, humanas vires excedentium, de rebus Divinis contemplationum, ac mentis aſcenſionum. Abſolutis eximio cum fructu ſtudiis ordinatus Presbyter Eccleſiæ S. Gudilæ in urbe Bruxelenſi, dum Neomyſta ad aram litavit, primô illô ſacrificiô Matrem ſuam flammis piacularibus, ubi jam diu detinebatur, exemit. Contemplationi in ſæculo adhuc vivens etiam poſt ſuſceptum ſacerdotium adeò fuerat addictus, ut turbas, & hominum conſortia maximè declinaret. Tam ſancta vita, inter curas & negotia ſæcularia protracta, ſollicitæ labores Marthæ penè faſtidiebat, hinc contemplantis ad pedes Domini Mariæ otium ſacrum appetens, eò virum ſpiritu

Divino repletum adduxit, ut jam ſexageſimum ætatis annum agens, *Viridem Vallem* in ſilva Sonia, ſive Zonienſi aut Zonia prope Bruxellas acceſſerit: ubi in recèns excitato Canonicorum Regularium Collegio ſuſceptus, poſt emiſſa Religioſi hominis vota, Eccleſiæ illius Decanus ſeu Prior ſub Francone Præpoſito, atque poſtmodum reformati per Belgium Ordinis noſtri auctor fuit. Illius famâ virtutum, & ſanctimoniæ laude illectus Gerardus Magnus Inſtitutor Clericorum in commune viventium (quem poſtea Venerabilis Bartholomæus Holzhauſer Anno 1640. p. t. Epiſcopi Chiemenſis Vicarius, & in Leoggenthal Decanus, communis Clericalis vitæ inter ſæculares Sacerdotes piiſſimus Inſtitutor, ſecutus fuiſſe videtur) Beatum virum in *valle viridi* inviſit, quem Rusbrochius antea nunquam viſum proprio compellavit nomine, humaniſſiméque exceptum unàcum ſocio in Collegium ſuum introduxit, ac cum eo aliquot dies in ſanctis colloquiis tranſegit. Alii quoque viri haud vulgaris exiſtimationis ac dignitatis tum ex Flandria, tum Alſatia, & præſertim ex inferiori Germania ad illum inviſendum confluxerunt, ejus in rebus arduis conſilia expetentes, aut ſanctioris vitæ negotia pertractantes. Nec quiſquam ab eo receſſit, qui non ob eximiam eruditionem, & ſanctitatem Joannis ſummam in ſe de illo conceperit venerationem. Neque mirum, ſi virtutes ejus vel obiter ſpectentur. Inter alia S. colloquia dicere ſæpius ſolebat, ſe ex animo paratum eſſe ad omnia perferenda, quæ Chriſtus JESUS Dominus ipſi accidere vellet, ſive mors eſſet, ſive vita, ſive intolerabiles etiam ipſius inferni cruciatus: neque quidquam jucundius aut ſalubrius judicabat, & expetebat, quàm ut amantiſſimus JESUS promptum ipſum atque paratum ſemper ad omnia inveniret juxta arbitrium ſuæ voluntatis.

Humilitatis virtutem ſummopere ubique, & quacunque ſeſe offerente occaſione, exercuit: & licet excellentiſſimæ eſſet contemplationis, otiúmque potiùs ac quietem vita myſtica exigere videretur; ipſe tamen nihil ſibi tribuens, quo minùs cæteris eſſet exemplo, in regularibus exercitiis alios prævenit, in manuum labore, vigiliis quoque & jejuniis (non attentis ſenio ac laboris moleſtiâ) primus fuit, atque, cum cæteros officii dignitate antecelleret, vilius ſemper, & abjectius, quod alii abhorrebant, elegit. Roſarium B. V. M. frequentiſſimè deferre manu conſuevit eo fine, ut ne inter laborandum quidem à jugi oratione deſiſteret. Propterea R. P. Albertus Brandanus S. Ord. Prædicatorum in faſciculo Roſarum ſelectarum *fol.* 95. ſcribere non dubitavit, quòd ob frequentem ac devotiſſimam S. Roſarii Mariani

riani recitationem, & ſanctiſſimæ vitæ, ac Paſſionis JESU Chriſti, ejúsque S. Matris Myſteriorum in illo contentorum conſiderationem Joannes Rusbrochius ſcientiam quandam habere infuſam fuerit à DEO promeritus. Cæterùm quidquid veritatis ſubſit in hoc, certum tamen eſt, Joannem altiſſimæ donum contemplationis obtinuiſſe, ut perinde inter laborandum atque in ſolitudine, quoties vellet, Divinæ ſe contemplationi poſſet impendere. Unde pro incitamento ad virtutes Canonicis ſuis crebrò teſtabatur, minore ſe negotio animum ſurſum ad DEUM per contemplationem, quàm manum ad caput levare.

Ex raro iſthoc orationis munere reliquarum comitatus virtutum ſequebatur; nam in vultu ipſius relucebat gratia DEI, in verbis modeſtia, in actionibus pietas, in geſtibus ſubmiſſio, in cunctis denique moribus non affectata gravitas, ſed ſuavis integritas, ac cultus; ut adeò non exiguam Canonici ex illius præſentia, & colloquio caperent conſolationem etiam in eorum animis dulcedine quadam redundantem. Miræ fuit abſtinentiæ, ſuis tamen in victu nihil deeſſe patiebatur. Erga omnes usque adeò plena compaſſionis viſcera habebat, ut nedum ratione præditis, ſed & brutis animantibus condoleret, opémque, ſi opus foret, impenderet. Graviſſimas interea ab hoſte virtutum inſenſiſſimo paſſus fuit tentationes, quarum victoria ſuaviſſimas peperit conſolationes in generoſo pugilis animo, ut non ſemel præſentem ſibi videre Chriſtum Salvatorem ſit meritus. Quadam vice cum ſacratiſſima Matre ſua, aliisque cœlitibus comitantibus ad ipſum inviſendum venit hiſce eum verbis compellans: *tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Atque inter amplexus Joannis ita Matrem ac præſentes affatus eſt: *ecce puer meus dilectus!* Eximios ejusmodi favores Numinis ſæpius ſub S. Miſſæ Sacrificio acceperat; ubi gratiarum abundantiâ in tantum ejus ſpiritus liquefactus eſt, ſenſibus exterioribus deficientibus, ut aliquoties Divinum officium ægrè peregerit. Contigit verò ejusmodi debilitas eidem in ultima ſenectute, viribus corporalibus deſtitutâ, quæ tamen ſenem ſeptem & octoginta annorum prohibere non poterat, ut abſtineret à quotidiana ſacratiſſimi hujus Sacrificii celebratione. Cùm quadam vice peractio hujus S. Sacramenti ob reverentiam, illi ſummè debitam, interdicta fuiſſet à ſuo Præpoſito, non ſine lacrymis imperium ſuſcepit, & Superiorem ad revocationem mandati permovit in hæc verba humillimè deprecatus: *Ne quæſo Pater propter hanc cauſam S. aris adſtare me probibeas; qui enim defectus ex ſenio accidere videtur, ex Divina potiùs gratia evenire ſolet,*

maxi-

Digitized by Google

maximè cum etiam hac vice Servator meus Chriſtus blandiſſimis me affatus ſit verbis : tu es meus , & ego ſum tuus.

Plurimos, eósque penè Divinos conſcripſit libros ; in quibus non vulgari, ſed miranda prorſus methodo eſt uſus : Divinis quippe gratiæ ſplendoribus ſe illuſtratum ſentiens, ſolus ſine arbitro in abdita ſylvæ Collegio adjacentis ſeceſſit; ubi inter arbores ac fontes foliorum & aquarum murmure invitatus laudabat DEUM, quem creaturæ, etiam linguâ deſtitutæ, pro modulo ſuo diu noctúque collaudant, atque dictante Spiritu ſancto ea, quæ ſibi occurrerunt, in tabula ſcripto commendabat, & ſecum domum aſportabat.

Refert auctor vitæ *c.10.* Joannem die quodam, pro more ſuo ex inſtinctu Divino ad ſylvam properantem, ſub arbore quadam conſediſſe ; ubi raptum mentis paſſus diutiùs, quàm ſolebat, eo in loco permanſit. Quare Canonici de abſentia illius multùm ſoliciti, cùm nuſpiam intra ſepta Collegii reperiſſent, per ambages nemoris attentarunt quærere. Quidam igitur illorum viro ſancto familiarior ſtudioſius inveſtigans procul arborem, quandam igne undique cinctam, velut Moyſes rubum ardentem, conſpexit. Ad quam dum propiùs accedit, Rusbrochium necdum ſenſibus reſtitutum ſub ea reſidere, ac magno Divinæ contemplationis nectare perfuſum deprehendit.

Octogeſimum octavum ætatis annum attingens viribus deſtitui cæpit; &, cùm jam pridem à ſua Matre per viſionem quandam obitûs ſui diem intellexiſſet, magna cum devotione ad mortem ſibi optatiſſimam devotiſſimis affectibus & iterata S. Sacramentorum ſuſceptione ſeſe diſpoſuit, illud S. Pauli frequenter ingeminans: *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto !* atque id regii Pſaltis : *ſitivit anima mea ad DEUM fontem vivum : quando veniam, & apparebo ante faciem DEI mei ?* Ingraveſcentibus denique febri, & dyſenteriâ, cùm 15. dies lecto decubuiſſet, Canonicos adſtantes & orantes devotè DEO commendans ſana mente, ac renidente facie ſuaviter & cum ingenti gaudio ſpiritum piiſſimum exhalavit 2. Decembris Anno 1381. ætatis 88. Sacerdotii verò 64. Poſt obitum Decano cuidam Dieſtenſi, ſibíque in vivis perquam familiari apparuit. Hic enim, cùm noctu ad corpus defuncti cum Canonicis vigilias ageret, levi ſomno correptus vidit ſanctum Priorem Sacerdotalibus veſtibus indutum tanto cum ornatu ac decore, ut fari vix queat, ad aram accedere. Corpus B. viri, cùm quinque annis ſub terra delituiſſet, tam integrum ac illæſum repertum eſt, ut nec veſtes ſacerdotales quidem, quibus poſt diſceſſum indutus erat, nec quidquam à vermibus

Digitized by Google

bus læſæ, aut corroſæ fuerint, extremam partem naſi ſi excipias, tenui quadam corruptione infectam. Expoſitũ ſubinde illud fuerat à Canonicis in cœnobii ambitu, triduum populo ſpectandum; unde tanta odoris fragrantia ex eodem S. corpore emanavit, ac ſi recens multis aromatibus eſſet conditum. Triduo elapſo juſſu Epiſcopi Cameracenſis ad aliud ſepulchrum in Eccleſia honorificè translatum fuit; ubi etiamnum hodie conditum jacet. Quæ ſacra oſſa tamen teſte Auberto Myreo in Chronico rerum Belgicarum ad annum 1621. à Jacobo Archi-Epiſcopo Mechlinienſi die 8. Novembris anni prædicti è terra elevata, ac capſæ ligneæ decenter à ſe incluſa digniori loco repoſita ſunt. Sereniſſima poſtea Domina Iſabella Clara Eugenia Hiſpaniarum Infans aliud ei ſepulchrum magnificum & ſumptuoſum fieri, atque ornari præcepit. Eo ipſo verò loco, quo denſas inter ſylvas haud procul à ſeptis Collegii olim Rusbrochius Divinæ contemplationi vacare, & cœleſtes ſuos conceptus literis conſignare eſt ſolitus, etiamnum annoſa viſitur Tilia arbor, quæ cùm ante annos plùs minùs 30. frondibus ac ramis penè nudata, & præ vetuſtate nimia excavata, ſolo ferè cortice conſtaret, pòſt, redditâ quaſi juventute, à paucis iterum annis (quod ipſum ſuis oculis vidiſſe, ac aſſulas quaſdam in tanti viri memoriam cum aliis ſe decorticâſſe ſcribit Reverendiſſimus Abbas, Præmonſtratenſis Ordinis Canoniæ Tongerloenſis, Auguſtinus Wichmans in ſua Brabantia Mariana *lib. 3. cap. 46.*) magna omnium admiratione reviruit, ac revixit, ramiſque ac frondibus onuſta omnium oculos modò recreat, absque omni ariditatis ſeu vetuſtatis veſtigio. Circumcircà dictam arborem prælaudata Sereniſſima Iſabella fieri curavit ſepimentum reverentiæ causâ; & ne arboris rami diſcerperentur à peregrinis, devotionis ergò eo confluentibus, uti ſæpius factum. Jacta quoque eodem in loco anno 1622. menſe Novembri ab eadem Principe fundamenta novi ſacelli in honorem B. Virginis Lauretanæ: lapidis autem fundamentalis hæc erat inſcriptio Chronographica.

æterno Deo
et
B. MarIæ VIrgInI
LaVretanæ
ELIſabetha Infans
posVIt.

Scripſit Joan. Rusbrochius Commentaria in Exodum, Leviticum, Numeros, Summam totius vitæ Spiritualis, Speculum ſalutis æternæ in Tabernaculum Moyſis, Tractatum de virtutibus, de fide, & indicio, de 4. tentationibus, de 7. cuſtodiis, de 7. gradibus amoris, & alia multa opera Coloniæ edita; ex quibus vitam illius, operibus iſtis præfixam, deduximus, & aliis Auctoribus ſuprà allegatis.

O ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.
De Virtute Humilitatis.

SUMMARIUM.

122. *Prævia articuli præſentis diſpoſitio.*
123. *Definitio, & expoſitio humilitatis.*
124. *Cauſæ hujus virtutis enumerantur, inter quas 1. eſt ex vi ſtatûs Religioſi, & tendentiâ ad perfectionem in illo.*
125. *2. Quia in Religione ſunt multa certamina cum mundo, carne, diabolò.*
126. *3.tia provenit ab obedientia voto.*
127. *4.ta eſt, quòd ſpiritualis profectus ab illa dependeat.*
128. *5.ta Quòd ſtatui pœnitentiæ & reconciliationis conveniat.*
129. *Variæ auctorum opiniones de gradibus humilitatis proferuntur.*
130. *Aſſignantur modò duodecim à S. Benedicto.*
131. *Modò 6. à S. Laurentio Juſtiniano.*
132. *Primus eorum conſiſtit in cognitione propriæ debilitatis, ſex modis ferè deſcripta, & explicata:*
133. *At in nihilo hominis tum phyſico, tum morali fundata.*
134. *Probatur 5. ab exemplo Chriſti, B. Virginis, Sanctorum in Cœlo, juſtorum viventium, & peccatorum.*
135. *Probatur 6. à SS. Patribus, &*
136. *7. à Sanctorum exemplis ſpecialibus.*
137. *Objectiones afferuntur, & ſolvuntur.*
138. *2.dus humilitatis gradus eſt ſincera peccatorum Confeſſio.*
139. *3.tius conſiſtit in enarratione aliis ſuorum defectuum.*
140. *Objectio ex ſententia S. Aug. diluitur.*
141. *Alteri objectioni etiam ſatisfit.*
142. *4.tus gradus habet, ut alii etiam credant mala de ſe narrata, & hinc vilipendant.*
143. *Proponuntur 4. modi negativi ſe exercendi in hoc 4 to gradu. Sed reprobantur modi poſitivi*
144. *Sine diſcretione & approbatione Superioris.*
145. *Quomodo liceat bonam famam procurare, &*
146. *DEI dona propalare, docetur.*
147. *5.tus gradus eſt, extinctum eſſe in ore hominum.*
148. *6.tus Exultare in opprobriis &c.*
149. *7. Omnia dona liberalitati DEI tantùm adſcribere.*
150. *Objectio ſolvitur.*
151. *Cognoſcere in ſe DEI dona, non eſt contra humilitatem.*
152. *Aſſignantur humiliationis praxes.*

Cùm

122 Cùm ſanctis Patribus nihil magis commune ſit, quàm virtutem humilitatis *fundamentum primum* omnium virtutum, *fulcimentum ſanctitatis* appellare; quin etiam S. Chryſoſtomo *hom. 30. in acta, ipſa mater ſit, ac radix & altrix, & fulcimentum, & vinculum bonorum*: hinc paulò plura de ea conſideranda,&Tyronibus prælegenda cenſui, ut huic virtuti cum aſcetico fundamento addiſcendæ incumberent,doctam animo imprimerent,& impreſſam exactè ac conſtanter ſervarent. Igitur dicenda veniunt,quid ſit virt⁹ humilitatis? cur Religioſis apprimè commendetur? de ejus perfectionibus, ſeu gradibus, cum fuſiore addita explicatione, & an repugnet humilitati, propalare DEI dona &c. de quibus omnibus, ac pertinentibus ad humilitatem, atque de modis eam exercendi, & humiliationes quærendi nunc agemus. Ut autem in prolixiori articulo iſto ordinatiùs procedamus, diſtinguemus eum in quoſdam paragraphos: quod legentium commodo magis fore etiam videtur. Sit proin

§. I.

Quid ſit humilitas, & cur Religioſis apprimè neceſſaria?

123 Dicendum cum S. Thoma 2. 2. q. 61. *quòd virtus humilitatis temperet, & refrænet animum, ne immoderatè tendat in excelſa*; ita in *corp. art.* 1. *& eodem ad* 2. humilitas *importat quandam laudabilem dejectionem in ima*: quæ debet fieri ſecundùm interiorem motum animæ; ſi enim tantùm fieret ſecundùm exteriora ſigna ſine interiore ſubjectione ſuiipſius, magna eſſet ſuperbia,teſte S. Auguſtino. Unde juxta Iſidorum *L. Etymolog.* humilis dicitur, *quaſi humi aclivis, id eſt, imis inhærens*, referente S. Thoma. *a.* 1. *ad* 1.

Summa igitur humilitatis videtur conſiſtere in reverentia, qua homo DEO ſubjicitur, & ſeipſum omnibus hominibus propter Deum ſubjicit, omnémque jactantiam per humilitatem reprimit: qui enim ſuam ſervilem conditionem conſiderat, nihileitatem & fragilitatem propriam agnoſcit, facilè vilipenſionem ſuiipſius introducet, coram Divina Majeſtate humillimè ſe inclinabit, & totam ſubjiciet animam, nullíque hominum ſe ſuperbè præferet. Ex iſto autem propriæ vilipenſionis appetitu naſcitur habitus ſemper ad vilem ſui exiſtimationem inclinans, quæ ob varias rationes continuò magis ad inferiora tendit, & quaſi gradus quoſdam ad ima efficit.

Digitized by Google

124 Cauſæ autem neceſſitatis apud Religioſos hujus virtutis ſunt ſequentes: & quidem

Prima; quia Religioſi ex vi ſui ſtatus debent tendere ad perfectionem, quæ conſiſtit in connexione, & cumulo omnium virtutum, quibus ſtabiliter conſervatur gratia ſanctificans, & amicitia Divina; ut infrà dicetur: atqui humilitas eſt fundamentum, radix, ac parens omnium virtutum, docente nos S. P. N. de verbis Domini: *cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Plus S. Chryſoſt. aſſerit *hom. 35. in Geneſ. bonis operibus noſtris humilitatem quaſi fundamentum, & baſim ſubſtruamus, ut securè virtutes ſuperexſtruere valeamus; virtus enim non eſt, niſi conjunctam habeat humilitatem &c.* Patet ergo ex his, ſi humilitas prærequiratur bonis noſtris operibus, hæc ad alias virtutes, virtutes ad perfectionem & ſanctitatem vitæ; ergo humilitas ſummè neceſſaria eſt tendentibus ad perfectionem in ſtatu Religioſo. Qua verò ratione ſit primum fundamentum virtutum humilitas, fundamentaliter explicat S. Th. *cit. q. a. 5. ad 2.* dicens, *quòd virtutes verè infundantur à DEO, unde primum in acquiſitione virtutum poteſt accipi dupliciter, uno modo per modum removentis prohibens; & ſic humilitas primum locum tenet, in quantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui DEUS reſiſtit, & præbet hominem ſubditum, & patulam ad ſuſcipiendum influxum Divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem ſuperbiæ.* Sequitur itaque, humilitatem eſſe neceſſariam ad Religioſam perfectionem, & aſpirantibus ad iſtam.

Secunda cauſa eſt: quia in S. 125
Religione multa ſunt ſubeunda certamina cum carne, mundo, diabolo, amore proprio, humanis reſpectibus, paſſionibus, & repugnantiis, malis habitibus corruptæ, & forſan in ſæculo multùm depravatæ naturæ; quæ omnia ſuperare oportet, ſi ſolidam vitæ Religioſæ perfectionem adipiſci cupiamus: atqui hæc ſola humilitas ſuperat, & præcipua eſt victrix vitiorum; cùm *ſine humilitate nullius penitus vitii poterit triumphus acquiri,* teſte Caſſiano *l. 6. de inſtit. cœnob. c. 5.* quia S. Antonius mundum laqueis vitiorum plenum conſpiciens, & quomodo evadere poſſet, præ anguſtia ſpiritûs neſciens, audivit divinitùs: *humilitate.*

Ratio autem horum eſt; quia nemo perfectè prædicta vincet, & in ſeipſum inſurget, niſi adjutus Divinâ gratiâ; hanc verò humilitas impetrat, cùm *DEUS ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam*, & cum gratia & ſui, & vitiorum & omnium inimicorum victoriam. Eadem de cauſa, *Magna myſteria, fratres!* declamat S. P. N. *in pſ. 33. DEUS ſuper omnia eſt: erigis te, & non illum tangis*, (multò minùs gratiam

tiam accipis) *humilias te*, *& ipſe ad te deſcendit*, ac tecum contra hoſtes tuos pugnat.

Deinde humilitas ſecundùm doctrinam Angelici Doctoris impedimenta tollit, uti ſunt cupido vanæ gloriæ, honorum ambitio, voluntas propria, elatio animi, & proprium judicium; quibûs gratiæ S. Spiritûs obſtaculîs ſublatîs per humilitatem, ſuavis fit pugna, & labores in via virtutum dulcorantur; prout Chriſtus revelavit S. Birgittæ *l.4. revel. c.97.* Non tantùm autem victoriam contra inimicos & vitia, ſed etiam præter ſuavitatem internam (ablatis virtutum & gratiæ impedimentis) robur, conſtantiam, & in bonis firmitatem animæ tribuit, utpote quæ nunquam in ſuis viribus ex conſideratione propriæ infirmitatis, ſed ſolùm Divino auxilio confidit, à quo nunquam deſeritur; quia DEUS reſpicit humilia in cœlo, & in terra.

126 Tertia cauſa eſt; quòd in S. Religione maximè ſervanda ſit obedientia, utpote juxta S. Thomam magìs eſſentialis Religionis ſtatui, quàm paupertas & Caſtitas: atqui ſine humilitate non poteſt ſtare perfecta obedientia, quæ conſiſtit in prompta executione omnium, quæ à Superioribus præcipiuntur; ſiquis enim per humilitatem priùs ſe Deo, & propter DEUM homini non ſubjecerit, quomodo promptè exequetur ab homine mandata ſibi? *prima ergo debet eſſe cura*, qui perfectam in ſe cupit habere obedientiam, *ut ſe humilitatis ope DEO, Superioribúsque ad omnem virtutis formam reddat tractabilem*; ut benè docet Lairv. in ſuo Cathec. fol. 340. Unde etiam S. Bern. *ſerm de converſ. ad Cler. c. 30.* aſſerit, *nihil humilibus arduum reperiri, quibus & gratia fert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium.* Hanc veritatem optimè etiam expreſſit S. P. N. *l. 14. de Civit. c. 13.* dicens: *obedientia non niſi humilium eſſe poteſt.* Et ita humilitatem inſeparabilem eſſe ab obedientia, ipſe DEUS S. Catharinam Senenſem docuit in *Dial. cap. 154.* Obedientia ab humilitate, tanquam nutrice, quotidie nutritur: unde tantùm eſt aliquis obediens, quantum eſt humilis; & tantùm eſt humilis, quantùm eſt obediens. Ergo humilitas perneceſſaria eſt, ſicut obedientia Religioſis, qui nunquam erunt verè obedientes, niſi fuerint humiles: experientia enim conſtat, proprii judicii plus æquo tenaces Superiorum, æqualium, & inferiorum contemptores, ſuas dotes aliis præferentes, ſeipſos amantes, Superioribus eſſe inobedientes, refractarios, & nunquam, niſi ex timore pœnæ, mandata exequentes, atque ſæpe ex defectu ſubjectionis propriæ fore incorrigibiles, in ruinam & Religionis & animæ ſuæ. Palpabilis ſanè eſt hæc veritas, Superioribus apprimè nota.

Quarta cauſa eſt; quòd ſpi- 127

ritualis profectus, & menſura ſanctitatis ab humilitate dependeat; in tantum enim quis proficit in vita Religioſa, & in tantum quis ſanctior fit, in quantum promptiùs obedit, ac ſibi ipſi vim inferens repugnantias ſuæ naturæ hoſtes tentantes generosè vincit, & cum gratia ſanctificante virtutes omnes ſupernaturales conſervat in gradu intenſo: ſed Divinæ gratiæ & virtutum, multiplicis ex ſpirituali cum hoſtibus certamine victoriæ, ac perfectæ obedientiæ principium, fundamentum, ac radix eſt humilitas: ergo etiam dependet ſpiritualis profectus, & Religioſa ſanctitas ab humilitate. Veritatem hanc, præter factas hucusque probationes à ſanctis Patribus, etiam confirmat S. P. N. Auguſtinus *Epiſt. 56. poſt med. t. 2.* ubi ait: *eſt prima, ſecunda, & tertia humilitas; omnia, quacunque bene facimus, & pracedit, & comitatur, & conſequitur:* ergo docet S. P. quòd omnem virtutem, quam facimus, præcedat, comitetur, & conſequatur humilitas; quæ ſi non præcedat, nulla virtus emerget: ſi non comitetur, vanitate gloriæ involuta reſtinguetur: & niſi conſequatur, virtus nulla conſervabitur, nec unquam ſpiritualis profectus inchoabitur.

128 Quinta cauſa eſt: quia ſtatui Religioſo maximè convenit humilitas; cùm ſit ſtatus pœnitentiæ, & reconciliationis cum DEO; uti *c. 1.* docuimus: atque ipſi Religioſi ex intentione placendi DEO, imitandi Chriſti vitam, eúmque arctiùs, quocunque ierit, ſequendi, & ſancta paſſionis ſuæ veſtigia premendi, ſtatum Religioſum amplexati ſint. Quin etiam ad hunc finem ſtatus Religioſus à Chriſto inſtitutus, & Apoſtolis commendatus fuit. Si totam vitam Chriſti inſpiciamus, eam non niſi continuum humilitatis exercitium fuiſſe deprehendemus, usque dum inclinato capite in Cruce emiſit ſpiritum. Id etiam, quod reipſa tenuit, verbis frequentioribus docuit ſuos diſcipulos: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Math.* 11. Ac variis parabolis eos ad humilitatem inducere voluit, uti *Luca* 14. ſub accubitu menſæ in ultimo loco, ac in perſona ſeſe humiliantis in templo publicani, qui nolebat oculos ſuos levare in cœlum, & acceptâ gratiâ juſtificatus deſcendit in domum ſuam, *Luca* 18. *& Math.* 23. Docuit eos expreſsè humilitatem, jubens, ne magiſtri vocari patiantur: qualium exemplorum, & parabolarum plena ſunt S. Evangelia. Atque hinc mirum non eſt, Religioſos nunquam in ſuo ſtatu proficere, cùm vel nunquam, vel rarò ad ſtatûs ſui finem reſpicientes humilitatem negligant, confuſiones cane pejus & angue abhorreant, & humilem Chriſtum, ducem, & Magiſtrum ſuum imitari nolint: cùm tamen hæ quinque cauſæ verè oſten-

oſtendant, quàm neceſſaria ſit humilitas Religioſis, & ſtatûs Religioſi fini inſeparabiliter ſit annexa. Has cauſas fusè explicat ad Societatis ſuæ finem P. Nicol. Lanc. *opuſc.* 8. *L.* 1. *c.* 2. *p. totum.*

§. II.

Recenſentur, & explicantur gradus humilitatis, & præcipuè primus.

129 IN aliis virtutibus, v. g. charitatis, fidei, caſtitatis, temperantiæ, prudentiæ &c. gradus ſunt illæ perfectiones, quibus mediantibus in ſublime feruntur; in virtute autem humilitatis gradus ſunt viles exiſtimationes ſui & aliorum de ſe, depreſſiones, & abjectiones in ima; ut cit. *q. a.* 1. *ad* 2. *S.Th.* loquitur: ita ut humilitas eò majorem nanciſcatur perfectionem, quò magis in ſuum nihilum deſcendit.

Hi autem gradus variè explicantur; uti benè monet P. Lanc. *cit. opuſc. c.* 3. & ego varios authores deſuper legens expertus ſum, ita ut poſt longas lectiones, in quem gradus explicandi modum me reſolverem, diu ancipiti ſpeculationi inhæſerim. S. Benedictus *c.* 7. *ſuæ Reg.* duodecim numerat gradus, quos humilitati convenientes explicando amplectitur S. Th. *c. q. a.* 6. quos tamen iterum aliter explicat zeloſus aſceta in fine exercitiorum ſpiritualium R. P. Danielis Pawlowski appreſſus. S. Anſelmus ſeptem; ut videre eſt apud S. Th. *c. l.* S. Laurentius Juſt. *tract. de hum. c.* 7. *in ligno vitæ* ſex numerat: quem ſequitur P. Lanc. *cap.* 3. & tamen adhuc pro complemento perfectionis ſeptimum addit. *cap.* 13. Venerabilis Petrus Forerius S. Ord. noſtri Zelator eximius, in Lotharingia Congregationis ſanctimonialium Inſtitutor Religioſiſſimus, de quo plura per decurſum Tractatûs, *l.* 2. *c.* 15. tres humilitatis gradus poſuit: ut ſuos ſtimularet ad eam, *tam operoſa res non eſt humilitas*, ajebat; *per tres modicos gradus ad illius culmen aſcendes.* 1. opus eſt, ut ſincerè te minimum omnium eſſe judices, atque te cunctis inferiorem non ſuperficie pronunties labiorum, verùm intimo cordis credas affectu. 2. Ut admodùm læteris, ſi ſocii tui illud ipſum de te judicent, atque de contrario doleas, neque alia labores ambitione, quàm ut in honore ſis apud DEUM, ſuis in judiciis nec quidquam errantem. 3. Ut modis omnibus contendas, quatenus idipſum omnes alii de te credant. Aſt quouſque hi gradus in perfectione humi-

humilitatis ſe extendant, ex ſequentibus videre erit.

S. Bernardus *tract. de grad. hum.* cum S. Bened 12. gradus amplectitur *cap.* 2. aſt ſequentibus 4. capitibus tres addit gradus, quibus homo in cognitionem propriæ miſeriæ & infirmitatis, ex hac cognitione in compaſſionem miſeriæ proximi, & tandem in puram contemplationem cœleſtium & Divinorum, ac mediantibus his tribus gradibus ad veritatis agnitionem pervenire poſſit. Id etiam explicat *ſerm.* 20. *de verb. Domini* D. Dionyſ. Carth. *L.* directorio vitæ Nob. *a.* 4. *fol.* 770. præcipuè ſex modos humilitatis acquirendæ, tanquam totidem gradibus correſpondentes, conſiderandos præbet Tyronibus.

Reverendiſſimus Lair. in ſuo cathechiſ. *Lect.* 45. ponit 24. regulas humilitatis, & perfectionum. Nos in hac varietate ſpeculationum, antequam ad practicam reſolutionem convertamur, zeloſum aſcetam de grad. à S. Bened. poſitis audiamus, qui ita ſcribit, & motiva addit.

130 Primus gradus eſt, deſpicere ſeipſum ob propriam miſeriam, fragilitatem, & in peccata labilitatem, ac quia ex nihilo eſt.

2. Diffidere ſibi ipſi ob easdem rationes.
3. Reputare ſe Divinis donis indignum.
4. Se omnium minimum æſtimare.
5. Nolle honorari.
6. Cupere ab aliis contemni.
7. Nolle laudari.
8. Defectus proprios libenter detegere.
9. DEO ſe ſubjicere.
10. Subjicere ſe omnibus.
11. Humilia officia appetere.
12. Se omnino inutilem reputare.

Singulis his gradibus efficacia motiva adjecta ſunt, quæ brevitatis cauſa hìc omitto.

Quamvis prædicti gradus ſuam 131 perfectionem in ſe contineant, quia tamen aliqui vel ad unam ſpeciem referri poſſunt, & vel parùm inter ſe differunt, Tyronibus humilitatis ſtudioſis primùm quidem eos gradus aſcendere non prohibetur: majoris verò perfectionis cupidis rigoroſiores exhibentur; quos à S. Laurentio Juſtiniano mutuatos explicat, & amplectitur P. Nicolaus Lanc. *opuſ. de hum. c.* 3. ubi diſtinctis capitibus de iis tractat. Ego ad Tyronum capacitatem reſpiciens breviter agam, & ſub ſingulari numero ſingulos explicabo. Igitur ſit

Primus gradus. *Cognoſcere ſe* 132 *peccatorem, & contemptibilem eſſe ob animi deformitatem, peccandi pronitatem, caſûs frequentiam, omniúmque vitiorum ſomitem.* Ad hunc igitur gradum ſpectat, omnium hominum ſe minimum cenſere, & etiam graviſſimis, quos certò ſciret, peccatoribus poſtponere, quomodo autem hoc fieri poſſit, explicat S. P. N.

Digitized by Google

S. P. N. Auguſtinus *in l.* 83. *qq. q.* 71. ſuper id: *Superiores ſibi invicem arbitrantes &c.* ubi ait: *verè exiſtimemus poſſe eſſe aliquid occultum in alio, quo nobis ſuperior ſit, etiamſi bonum noſtrum, quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum.* Ita etiam S. Th. 2. 2 *q.* 161. *a.* 3. *ad* 2. oſtendit modum omnibus hominibus, etiam graviſſimis peccatoribus, nos poſthabendi, ſi nempe *præſemmus id, quod eſt DEI in proximo, ei, quod eſt proprium in nobis.* Qua ratione ait S. D. non incurritur ulla falſitas, etiamſi Superior ſe inferiori ſubjiciat.

Secundô modô poteſt ſe poſtponere aliis, ſi conſideret dona DEI aliis collata, ſibi verò deeſſe. Ita docuit S. Greg. Mag. *hom.* 10. *in Ezech.*

Tertiô modô; ſi quantumcunque ſcelerato homini DEUS tanta dona, quanta ſibi, contuliſſet, longè magis ille alter ipſi ſerviiſſet, eique gratior fuiſſet. Hôc modô S. Franciſcus ſibi videbatur maximus peccator, *c.* 6 *ejus vitæ*; & S. Magd. de Pazzis omnibus ſe pejorem judicabat, in ejus vita *cap.* 133. *&* 134.

Quartus modus eſt, omni ſceleratiſſimo homini ſe poſtponere, ſi peccata ipſius ſeparentur à donis à DEO acceptis; nemo enim ſine aliqua ſaltem virtute erit, in qua alium, utut aliàs piiſſimum, & ſanctum, ſuperare non poſſit; ac propterea meritò, ſeparatis in noſtra cognitione defectibus, ſibi anteponendus ſit. Ita docuit S. Anſelmus *L. de ſimilit. c.* 109. S. Bern. *ſerm.* 42. *in cant.* S. Thom. *cit. q. a.* 3.

Quintus modus habetur pro gravibus præſertim peccatoribus, ſi propria peccata conferantur cum alienis, quæ vel non cum tanta intenſione, malitia, odio in DEUM, vel ob fragilitatem, animi levitatem, magnitudinem tentationis patrata fuêre; propria verò cum malitia ſibi notâ commiſſa fuerint. Item aliena à DEO forſan remiſſa, propria nondum, ſufficiens motivum eſſe poſſunt ſe alteri ſubjiciendi, & pejorem exiſtimandi. Id docuit Venerabilis noſter Thomas Kempenſis, probatiſſimus humilitatis Doctor, *L.* 1. *c.* 2. *de imit.* ubi quaſi ingreſſum facturus ſanctitati per humile ſentire ſuiipſius inquit: *ſi videres alium apertè peccare, vel aliqua gravia perpetrare, non deberes te tamen meliorem æſtimare, quia neſcis, quamdiu poſſis in bono ſtatu permanere.*

Sextum modum omnibus ſe poſtponendi tradit S. Bern. *ſerm.* 37. *in cant.* ubi ait: *cùm nemo ſciat, ſi dignus ſit amore vel odio* (adeóque in gratia apud DEUM conſtitutus) *juſtiùs tutiúsque profectò eſt, ſi juxta ipſius veritatis conſilium, noviſſimum nobis locum eligimus.* Hic tamen aliis pejorem ſe judicandi modus non ſubſiſteret apud eum, cui revelaretur à DEO, ſe eſſe in gratia, alterum verò in gravibus peccatis,

P & præ-

Digitized by Google

& præſertim, ſi hic ab iſtis nollet diſcedere, ac impœnitens perſeveraret; ut benè notat P. Lanc. *l. c.* in fine *cap.* 3.

133 Iſti ſex modi primum gradū quidem, at non perfectè, ſufficienter, & (ut ſcholaſtici loquuntur) *eſſentialiter* explicant: itaque alius & ſeptimus ab Aſcetis inventus eſt modus, qui poſt alios ſequendo approbantes & mihi valdè placet, utpote Philoſophicè, Theologicè, & Aſceticè fundatus, conſiſtens in hoc, quòd homo voluntatem DEI volentis nos humiliari, in S. Scripturis revelatam, & exemplum Chriſti ſe humiliantis cognoſcens captivato intellectu, & proprio judicio rationis ſeipſum contemnat, omnes alios ſibi ſuperiores, ſe ſervum inutilem, omni depreſſione dignum, & *nihil ex ſe eſſe*, verè ſe judicet: cùm enim intimè in ſe perſpicit ſuum *nihilum phyſicum*, quòd unicè ex beneplacito & miſeratione Divina quoad animam creatus, quoad corpus ex potentialitate eductus ſit, qui priùs prorſus nihil erat, ob hoc nulla re, æſtimatione, honore apud DEUM, & homines dignum ſeſe reputat. Cùm verò *nihilum morale* in ſe conſiderat, id eſt, peccabilitatem, ſeu peccandi pronitatem, aut ipſum peccatum, ut vocat S. P. N. Auguſtinus, poſitivè ſe omni prorſus bono naturali & ſupernaturali indignum, & èontra omni malorum & pœnarum, etiam infinitarum, genere dignum ſe exiſtimat, ac propterea infra omnes ſe collocat. Ut paucis dicam; ideo humilis ſe vilipendit, ſpernit, peccatorem, & omnibus pejorem ſe habet, quia ob duplicem nihilitatem ſuam defectibilis eſt, & voluntas DEI ex Scriptura eſt, ut defectibilitatem ſuam agnoſcens ſe perfectè humiliet, & contemptibilem cenſeat. Tam ſancta autem humilitas, quam etiam Chriſtus tenuit, & docuit, ita inclinat ſemper ad vilipenſiones proprias voluntatem humanam, & captivat intellectum, ut non minùs ſe verè contemptibilem judicet, ac aliàs per habitum firmiſſimæ fidei DEUM Incarnatum fuiſſe credit.

Atque iſte ſe humiliandi, & 134
omnibus ſe ſubjiciendi modus Chriſto, B. V. Mariæ, Beatis, juſtis, & peccatoribus convenit: ergo eſſentiam humilitatis ſatîs declarat.

Probatur 1. de Chriſto, qui licèt ut DEUS per ſuam Divinitatem nulli potuit ſubjici, ratione tamen humanitatis aſſumptæ agnoſcens hanc etiam ex nihilo, & animam illius creatam fuiſſe, & à DEO in perfectione infinito modo diſtare, DEO & hominibus propter DEUM ſe ſubjecit, & erat ſubditus illis; qui, cum in forma DEI eſſet, & æqualis DEO, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens &c. *ad Philip.* 2. 3. Eandem doctrinam exhibuit ſuis Reverendiſſimus Alanus *l.* 3. *c.* 22. cùm de humanitate Chriſti loqueretur, humilitatem

Digitized by Google

tem Dei-Hominis aſſerens, duplici ex fonte profluxiſſe; unum fuiſſe conſiderationem ſui nihili, in quantum homo erat; quia ut talis omnibus malis & infirmitatibus humanis ſubjiciebatur, fortaſſis pejor ipsô Judâ futurus, ſi Verbum Divinum Sacram Humanitatem deſeruiſſet; ea propter ex veriſſima ſui nihili apprehenſione ad ſcelerati proditoris iſtius pedes ſe abjeciſſe: alterum fuiſſe ſummam Attributorum, & perfectionum Divinarum cognitionem, reſpectu quarum creaturæ nihil omnino ſunt. Quæ Doctrina, tanto Magiſtro digna, pondus probationi addit.

Probatur 2. de B. V. Maria, quæ, licèt in Matrem DEI electa & gratiis plena proximè acceſſiſſet DEO, ac omnes Angelos dignitate ſua ſuperâſſet, tamen hæc omnia DEO, nihilque ſibi attribuens, ancillam ſe tantùm appellavit; quia viliorem æſtimationem de ſe habere, & abjectiorem titulum ſibi adſcribere neſcivit.

Quamvis autem Chriſtus ratione Divinitatis cum ſua humanitate conjunctæ, & B. V. Maria ex ſpeciali DEI dono, uti & Beati in cœlo propter viſionem beatificam peccare non potuiſſent, & propter *nihilum morale* ſe humiliare; quia tamen ſecluſa Divinitate ab humanitate, gratiâ à B. V., viſione à Beatis, id fieri potuiſſet, ſicut in Beatis priùs in ſtatu viæ factum fuit, & quia propter nihilum phyſicum corruptibiles fuerunt, ob hunc reſpectum coram DEO ſe humiliare, vilitatem ſuam, & ratione creationis eſſentialem ſervitutem ſuam agnoſcere debuerunt. De quibus Theologi.

Probatur 3. de beatis argumento à Chriſto apud Thomam Kempenſem *l.* 3. *c.*58. facto: *omnes ſancti* (inquit Divinus Magiſter) *quantò altiores in gloria, tantò humiliores in ſeipſis, & mihi viciniores & dilectiores exiſtunt; ideóque habes ſcriptum, quia mittebant coronas ſuas ante DEUM, & ceciderunt in facies ſuas coram Agno, & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum &c.* atqui Beati non poſſunt ſe humiliare, & vilipendere, niſi ratione ſui nihili, ac quia DEO placet ejuſmodi humilitatis obſequium.

Probatur 4. de juſtis, & innocentibus, qui ob inſignia & rariſſima dona divinitùs accepta maximè ſe humiliare poſſunt, quòd DEUS eorum nihilo tantas gratias conferre dignatus ſit, ut adeò ſe propterea indigniſſimos credant, & propter DEUM omnibus ſe poſtponere, ac ratione nihili ſui penitus ſpernere ſe poſſint, utpote ex ſe nihil, omnia autem ex DEI gratia habentes, quæcunque habent in ſe. In hoc ſenſu S. P. N. Aug. in *pſal.* 85. monet, *agnoſce*, inquiens, *ex te nihil habere, ut nec ſuperbus ſis & ingratus.*

Probatur 5. à fortiori de gravibus

vibus peccatoribus, qui per peccata ſua deficientes à DEO in morale nihilum ceciderunt; *omnis* enim *defectus tendit in nihilum*, teſte S. P. N. Aug. *de immort. anima c.* 7. Hi igitur ſola ſe miſeratione Divina adhuc ſubſiſtere mirentur, propter utrumque nihilum ſe omnibus contemptibiliores credant, & cum humillimo Auguſtino *ſup. pſ.* 58. Deo confiteantur: *quid attuli boni, ut mei misereréris, & me juſtificares? quid in me inveniſti, niſi ſola peccata? tuum nihil aliud, niſi naturam, quam creâſti, cætera mala mea, quæ deleviſti?* Exemplum hujus exhibet S. Scriptura in Publicano humiliante ſe in templo, ut nec oculos auderet attollere præ concepta peccatorum ſuorum confuſione.

135 Probatur 6. tradita hucusque doctrina à SS. PP. primò quidem à Magno P. N. Auguſtino in *pſal.* 70. ubi ait: *hæc eſt tota ſcientia magna hominis, ſcire, quia ipſe per ſe nihil eſt, & quoniam, quidquid eſt, à DEO eſt, & propter DEUM eſt.*

S. Greg. Magn. *l.* 25. *moral. c.* 4. de anima rationali inquit: *quia ergo ex nihilo eſt condita, ex ſe infra ſe tendit, niſi ad boni deſiderij ſtatum artificis manu teneatur; ex eo itaque, quòd creatura eſt, deorſum ire debet, id eſt, humiliari.*

S. Laurentius Juſtinianus, Canonicum Ordinem noſtrum profeſſus, quatuor annis rara humilitate, cæteríſque virtutibus conſpicuus, poſtea Congregationis S. Georgii in Alga illuſtriſſimum ſydus, *L. de caſto connubio c.* 20. iſtum humilitatis gradum, ac explicandi modum docet: *in hoc lumine* (ſeu illuſtratione ſuperna, quam DEUS humilitatem quærentibus cum petita gratia, ac ſuavitate ſolet immittere) *ſapientiæ, & nihilitatis propriæ, perfectæ habitus perficitur humilitatis, quæ eſt certa Divinæ eſſentiæ, ſuæq; non exiſtentiæ notitia; eò námque mens humilior eſt, quò in hoc ſapientiæ radio exercitatior eſt.* Maxima nempe ſapientia hominis eſt, reverà ſe nihil reputare, propter Deum ſe nemini anteponere, per contemptum ſui infra dæmones & damnatos in inferno ſe collocare, in poſſeſſione cœleſtium donorum egentiſſimum peccatorem ſe credere.

Probatur 7. Sanctorum exemplis: ſic S. Apoſtolus Paulus Vas electionis Divinæ omnes Apoſtolos ſibi prætulit, *nihil* ſe *eſſe, & minimum Apoſtolorum* dicebat; cùm tamen *abundantiùs illis omnibus laboraverit*: *ad Corinth.* 15. S. Philippus Nerius maximum ſe totius mundi peccatorem ajebat cum ſimili ac quotidiana proteſtatione hac: *Domine, cave à me hodie, nam te prodam, & omnia ſcelera patrabo, ni me cuſtodias.* S. M. Magd. de Paz. exiſtimabat ſe *ſimilem dæmonibus indignam omni gratia & dono cœleſti, indignam communione credentium &c.* S. Ignatius Loiola pejorem ſe omnibus judicabat, *cui nemo, niſi ipſe ſibi diſplicebat.* S. Franc. Borgias 136

gias infra Judæ proditoris pedes ſe collocabat. S. Gertrudis *omnes homines, quoscunque vidit, ſibi præferebat, melioréſque ſe judicabat, & putabat alios ſola cogitatione plus mereri, quàm ipſa omnibus exercitiis ſuis &c.* mira etiam fuit humilitas venerabilis Petri Forerii, quam ipſe in ſuis conſtitutionibus *ſalutis noſtræ Matrem* appellavit; ut habetur *l.2. vitæ c.15.* Relucebat ea ex *fronte* ipſius, ex *oculis* nunquam non humum versùs dejectis, ex *ore* nunquam ad ſuas laudes aperto, ex *habitu*, cæteríſque, ut dubium fuerit, veriùs ne foret dicere, Petrum *humilitate* veſtitum eſſe, vel *humilitatem*, ut in terris appereret, Patris Mataincurienſis Perſonam induiſſe. Mirabatur, quî fieret, quòd in mundo toleraretur, ſe indignum arbitratus tum hominis nomine, tum humana conſuetudine; hinc, ne foret alicui moleſtus, aliorum, quantùm poterat, aſpectum declinabat, vicos magìs ſolitarios obambulans, & ſuo frequenter involutus pallio, quaſi pudefieret, quòd diurnæ lucis, & ſolis radiorum particeps eſſet. Locum illum, ubi Muſiponti capitis rei ultimo ſupplicio afficiuntur, cum alterius Ordinis Religioſo ſemel prætergrediens, in uberes lacrymas ſolutus eſt, ac Religioſo comiti triſtitiæ cauſam percontanti reſpondit: *ploro, quia neſcio, cui me DEus ſupplicio reſervet; quandoquidem permiſit, ut iſti homines infami ſu-ſpendio fuerint enecti, me verò reliquerit in vivis, quamtumvis citrà comparationem iis ſceleratiorem.*

Ita etiam Nicolaus à Cuſa, ſive Cuſanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Can. Reg. Præpoſitus Vartenbergenſis Archidiaconus Leodienſis, Prothonotarius Apoſtolicus, & Epiſcopus Brixinenſis, vir magnarum virtutum, & inter has majoris humilitatis, cùm aliquando feſtivam Incarnati Verbi, ejúſque Matris ab Angelo ſalutatæ memoriam digno peragere cultu cogitaret, atque ſuo in cubiculo humi proſtratus lachrymis & precibus modum à DEO flagitaret, humilitatem ſuam probavit. Humilis enim Ancilla Domini Beatiſſima cœlitum Regina ei apparuit, quæ Nicolaum ſequentibus allocuta eſt verbis: *Noli timere. Ego ſum Mater humilis, Mater miſericordiæ, Mater tua, & omnium hæredum Regni, cohæredum Chriſti &c.* at reſponſum tulit à Nicolao non niſi humile, & fracta voce: *recede à me Mater Regis Cælorum, peccator ego ſum, homo omnium hominum ſordidiſſimus. Domus hæc tota immunda propter peccata mea.* Sed repoſuit humilianti ſe Nicolao Beatiſſima Virgo: *quia te immundum cognoſcis, gratiâ non cares, & quantò te immundiorem eſſe reſpicis, tantò te meliùs cognoſcis &c.* Magìs ad hæc Nicolaus humilis ſervus infra ſe deſcendit, & minùs quidquam Divinæ Matris laude dignum meditari, vel proferre ſe poſſe

reſpondit. Brevî tamen à Virgine B. edoctus acquievit. Colloquii totius periodum alibi dabimus. Plura adducere exempla humilitatis non vacat, quæ paſſim in vitis Sanctorum apud Surium, Rosweydum in vitis Patrum, in Prato ſpirituali, in Catechiſmo Novit. Reverendiſſimi Lairvelz. *in opuſc.* Lanc. & fuſiſſimè in laudatiſſimis actis SS. apud Bollandum, ejúſque continuatores videri poſſunt, à quibus hìc abſtinemus, ne articulum in libellum transferamus. Ex P. Lanc. *l. c.* verò id noto, quòd illi, qui primum iſtum humilitatis gradum cum perfectione obtinuerint, nullâ ampliùs vanâ gloriâ extolli queant; imò ſenſibilem & poſitivam repugnantiam ac moralem impoſſibilitatem ad eam acceptandam potiùs in ſe habeant: & quò plura & valde rara in ſe vident DEI dona, eò altiùs de DEO, ac minùs de ſe ſentiant; qui eſt inſignis ille effectus humilitatis à Divina gratia *cum lumine ſapientiæ* proveniens; ùt ſupra locutus eſt S. Laur. Juſt.

137 Dices. Catholicus non poteſt ſe inferiorem æſtimare Ethnico, qui lumine fidei imbutus non eſt, ſine qua nemo DEO placere poteſt, *Hebr.* 10. 2. Qui ex confeſſionali notitiâ alium graviorem peccatorem, incorrigibilem & impœnitentem ſciret. Item 3. Qui ex revelatione DEI alterum ob ſua peccata damnandum, ſe verò prædeſtinatum à DEO eſſe ad gloriam, infallibiliter ſciret, talis non poſſet alium meliorem ſe ipſo cenſere: ergo non poſſet etiam primum aſſignatum humilitatis gradum habere. 4. Si conſideretur in aliis ratio nihilitatis, omnes creaturæ ſunt æquales, quia omnes à DEO ex nihilo conditæ ſunt: ergo ratione hujus non poteſt quis altero ſe contemptiliorem ac inferiorem judicare.

Reſp. Catholicum quoad donum fidei non poſſe nec debere ſe Ethnico inferiorem, ſicut prædeſtinatum quoad donum gloriæ damnato pejorem ſe judicare, poſſe tamen utrumque ſe contemptibiliorem, & inferiorem reputare quoad omnia cætera, quæ in ejusmodi hominibus ſunt: quin etiam ſine conſideratione propriorum defectuum, vel gratiarum à DEO gratìs acceptarum abſolutè nullus alteri ſe præferre poterit; ſicut enim lapis in ſublimi loco repoſitus non habet cauſam ſuperbiendi, & ſe præferendi lapidi in via objecto, prætereuntium pedibus contrito, vel ad nullum ſpecioſum uſum, niſi ad ignem deſtinato; cùm ille ob innatam ſuam gravitatem ad centrum terræ æquè vergat, ac iſte, & ille levi digiti unius motu è ſublimi deturbari, iſte verò pro libitu artificis in ſublimi collocari valeat: ita pariter, quòd Catholicus prædeſtinatus ſit, aliáque DEI dona habeat, per accidens, & ex mera gratia DEI habet; cùm ſecundùm S. Greg. M. quilibet *ex ſe infrà ſe tendat, niſi ad*

Digitized by Google

ad boni deſiderij ſtatum; qualis eſt *fides* in hac vita, & *lumen gloriæ* in cœleſti patria, *artificis manu teneatur*: & ita puto ſatisfieri objecto 1. & 3. ſine ullo humilitatis detrimento.

Ad 2. Reſpondeo, talem Confeſſarium non poſſe ſe meliorem exiſtimare; quia majorem de ſe habet notitiam, utpote experimentalem, cùm labilis ſit, nec ſuis viribus, ſed ſoli gratiæ Divinæ confidere poſſit, quæ in iſtis circumſtantiis impœnitenti peccatori deeſt: hoc itaque modo, quia graviora, quàm confitens, peccata ſubtractâ ſibi gratiâ committere poteſt Confeſſarius, non poterit ſe meliorem reputare; quæ reſponſio ſufficit objectioni. P. Lanc. *op. cit. c.* 3. ait, Confeſſarium non debere uti ſacramentali notitia, ſed, eâ potiùs excluſâ, opinionem talem habere de confitente, qualem priùs de iſto habuit. Quæ reſponſio ad objectionem, quam ipſe format, ſola mihi non ſufficere videtur ad obtinendum humilitatis gradum primum, aut conſervandum, niſi propria experimentalis defectuum, labilitatis, & è nihilo procedentis vilipenſionis agnitio accedat: certum quippe eſt, Confeſſarium in ipſo Confeſſionis actu non poſſe ejusmodi abſtractionem facere: ergo pro tunc non poſſet habere iſtum humilitatis gradum; bene tamen ſi illa acceſſerit cognitio.

Ad 4. tum Reſp. non ſolùm ratio ſe contemnendi, aliiſque ſe ſubjiciendi nihili ſui conſideratio eſt, ſed & voluntas DEI, & exemplum Chriſti, qui *ſe humiliavit, factus obediens usque ad mortem*: & omnes, nullô exceptô, monet, ut *idem ſapiatis, nihil per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, ad Philip.* 2. Et hæc DEI voluntas ex S. Scriptura nobis manifeſtata, *cauſa proxima*, & ſacra eſſentia eſt nos aliis non præferendi, ſed cum vilipenſione noſtri nos humiliandi. *Cauſa verò remota, & radicalis* eſt nihilum, ex quo omnes ſumus: quod, quia in omnibus æqualiter invenitur, omnes ſine exceptione pariter humiliare nos debet. Cæterùm nihilum ſuum non debet comparari ad nihilum alterius, ſed ad dona tum naturalia tum ſupernaturalia alterius, cui magìs ex congruo merito illa à DEO donantur, quàm ſibi ratione ſui nihili. Atque hæc paulò fuſiùs propter materiæ eximiæ, ac neceſſariæ abundantiam, & verè eſſentialem humilitatis explicationem tractare volui, ne humilitatis ſtudioſo quicquam deeſſet pro virtute tanta cum fundamento acquirenda; reliquos nunc gradus explicabo, ſed breviori calamo.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Exponuntur ſecundus, & tertius humilitatis gradus.

138 SEcundus gradus humilitatis à S. Laur. Juſt. recenſetur, *peccata ſua per lumen gratiæ* (poſt bonam conſcientiæ diſcuſſionem, quæ ad Sacramentalem confeſſionem ſemper præmittenda eſt, juxta decretum S. Conc. Trid. *ſeſſ.* 14.) *in primo gradu ſuperficialiter cognita, deinde affectualiter de ſe ſentiendo vilia ob innumerabilium delictorum ſuorum molem, pectus tundere, lacrymas fundere, & per peccatorum confeſſionem aliis ea referare.* Quantumvis autem hæc confeſſio pertineat ad virtutem pœnitentiæ; poteſt tamen etiam ad humilitatem referri: & eſt verè actus humilitatis in ſecundo gradu, ſi fiat ex amore vilipenſionis noſtræ, quæ maximè ex peccatorum noſtrorum cognitione in nobis oritur; atque ſi fiat animo, & ſtudio ſerio deprimendi nos ob DEI reverentiam, & ita ſubjiciendi nos DEO, & Confeſſario: ſicut Sancti id etiam extra caſum neceſſitatis fecerunt, & adhuc plurimi piiſſimæ, ac innocentiſſimæ vitæ ejuſmodi confeſſiones ob humilitatis & conſervandæ vilipenſionis propriæ ſtudium frequentant; cùm tamen ſæpè nec peccatum veniale, ſed tantùm quaſdam ex inadvertentia commiſſas imperfectiones, & ſola peccata præterita iteratò recenſere valeant ad effectum duntaxat Sacramentalis abſolutionis conſequendum. Nolo hìc exempla plura ſanctorum, & piorum hominum ponere, paſſim in vitis SS. & in Religioſis clauſtris obvia; ubi aliqua regularis diſciplina, & humilitatis ſtudium viget. Ne tamen inſignem hunc humilitatis gradum abſque imitabili relinquamus exemplo, Venerabilis Petri Forerii peccatorum confeſſionem adducimus. Statuerat is Anno 1624. omnem ab ipſa infantia ætatem exomologeſi retexere, ut cum reformatione vix dum nata & ipſe renaſceretur. In conſcientiæ verò judicem priùs elegerat R. P. Agonellum Societatis JEſu Religioſum, cui inter tanta ſuſpiria, ſingultus & lacrymas leviſſimos etiam defectus, ac imperfectiones commiſſas humillimè aperuit, ut ipſemet conſcientiæ arbiter vix à lacrymis cohibere ſe potuerit, ac poſtea Petri Concanonicis id teſtatus ſit: *Lacrymantibus ubertim oculis* (verba ſunt R. P. Agonelli) *humi proſtratus tanto cum dolore, tótque ſuſpiriis Reverendiſſimus Pater de Mataincour confeſſus fuit, ut difficillimum mihi fuerit lacrymas continere. Nec me ſolùm commoveri, ſed etiam extraordinario quodam lumine colluſtrari ſenſi, quando leves defectus ſuos, tanquam ſcelera forent graviſſima, detexit.*

Digitized by Google

xit. *Tam vehementer metuit, ne quid obliviſceretur, ut intrà biduum confeſſionem quartùm obierit. neque hac ſolicitudine contentus reminiſcens, aliquanto poſt tempore ſe aliquid leve paulò aliter, quàm erat, dixiſſe, Lunevillâ Nancejum redierit, me moniturus, quòd in re quapiam per incogitantiam erraverit.* Atque ejuſmodi confeſſiones cum tunſione pectoris, & lacrymarum effuſione frequentiſſimas inſtituit, ſicque ſecundum humilitatis gradum perfectiſſimè obtinuit. Ex vita *L. 2. cap. 20.*

Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Alanus de Solminihac, ex Abbate Cancellatenſi Can. Reg. Epiſcopus Cadurcenſis, ſicut Regulari profeſſione, ita & humilitatis ſpiritu Venerandiſſimo Petro Forerio ſimilis, quorum uterque ſanctis operibus, & gloriæ Divinæ zelo Eccleſiam, & Ordinem Canonicum haud vulgariter illuſtrârunt elapsô ſæculô, humilitatem in hoc aſſignato gradu & docuit, & tenuit: nam ab eo tempore, quo ad Canonicam Religionem vocatus fuit, extraordinariô quôdam modô ad pœnitentiam inſtigari ſe ſenſit: unde crebras inſtituit confeſſiones, & commiſſos in ſæculo modicos defectus, qui montis inſtar ipſi videbantur, amariſſimis lacrymis deploravit: propterea quoque ab omnibus relaxationibus animum abſtraxit; inediis, vigiliis, aliiſque diſciplinis corpus variè cruciavit, palam etiam ſuis Canonicis confeſſus, *mereri ſe ab eo, quem adeò offendiſſet, planè deſtitui.* Ex vita *L. 3. c. 22.* In quadam vitæ ſuæ directione præſcripſit ſibi hæc inter alia puncta: *humilitas, & manſuetudo chara mihi virtutes erunt; quare, ut eas mihi perfectè comparem, magnam habebo curam omnis generis mediis hunc in finem accomodatis utendi. L. 3. c. 1.* De quo mox plura.

Cæterùm præter Laurentium Juſt. *L. c.* alii etiam SS. PP. hunc humilitatis gradum docuerunt apud R. P. Lanc. *cit. opuſc. c. 7.* ubi S. P. N. Auguſtinum, S. Proſperum ejus Diſcipulum, S. Benedictum, Magn. Gregorium, Bernardum, Carolum Borromæum, Ignatium, Philip. Nerium, alióſque pro confirmatione enumerat.

139 Tertius gradus eſt, *aliis narrare contra ſe, quod intus latet in corde*; nempe etiam extra Sacramentalem confeſſionem manifeſtare ſuos defectus, & commiſſa peccata ex amore noſmet humiliandi, Deóque gloriam tribuendi, ubi eam majorem fieri ex noſtri confuſione apparet. Hunc gradum S. P. N. cum tam ſublimi perfectione obtinuit, ut poſt converſionem ſuam de anteacta vita, & malitioſè admiſſis in illa peccatis publicam confeſſionem, 13. libris comprehenſam, univerſo orbi ediderit. Cùm verò in ſanctitate vitæ poſtea, & victrici contra Hæreſiarchas doctrinâ ita pro-

Digitized by Google

profeciſſet, ut ejus fama per totam Eccleſiam Catholicam divulgata creſceret, ne humilitate decreſceret, neutiquam timuit, libros retractationum conſcribere, & humilitatis ſtudio errata, in ſuis tractatibus inventa, corrigere. Hoc modo etiam S. Thereſia in vita ſua, à ſe conſcriptâ, peccata ſua exaggeravit. S. Franc. Seraphicus per alium fratrem publicè defectus ſuos argui juſſit; ùt ſcribit S. Bonavent. in vita ejus *cap.* 6. Pariter Venerabilis Petrus Forerius libentiùs nil habuit, quàm ab aliis proprios defectus audire, quos etiam ipſe ſub menſa ſuis convictoribus crebrò enarravit. Ex *c.* 15. *v. l.* 2.

Reverendiſſimus quoque Alanus ſtatim poſt acquiſitam Epiſcopalem dignitatem duos conſtituit monitores, qui defectuum ſuorum ipſum commonefacerent: eos continuè advocabat, quid in Epiſcopo corrigendum notaverint, quærens; ut habetur in vita. *L.* 2. *c.* 4. Utinam omnes ſubditi Religioſi defectuum ſuorum correctiones tam amanter acciperent à Superiorbus!

140 Dices cum S. P. N. Auguſtino *ſerm.* 49. *de diverſ. c.* 1. *to.* 10. *qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt:* ergo non licitum eſt narrare de ſe etiam propter humilitatis ſtudium, quæ famam minuunt.

Reſp. S. Patrem in dicto ſermone Clericis ſuis ejuſmodi infamationes prohibuiſſe propter ſcandalum proximorum; fama enim proximo eſt, cui in Clericali ſtatu poſiti præbere ſe deberent potiùs exemplum bonorum operum, ne apud populum contemptum incurrant ob narrata indiſcretè peccata ſua. Quòd ſi tale ſcandalum abſit, præfatum humilitatis gradum exerceri poſſe, dubium non eſt; & ipſe S.P.N. ſuarum confeſſionum exemplo præivit. Id tamen hìc pro regula ſervandum eſſe cenſeo, ne Religioſus ſuis confratribus ejuſmodi defectuum revelationes indiſcretè faciat tum propter ſcandalum aliorum, tum propter imminens revelanti perverſionis periculum; dum alii inclinationes & paſſiones revelatas à præterito ad futurum ſtatum trahere, iiſque facilè ad malum finem abuti poſſent; unde plurima & pernicioſa in S. Religionibus orirentur incommoda: & ita nunquam licitum eſſe, bonum facere cum tanto mali periculo, ſatìs apparet. Ne verò devoti, & humiles Religioſi tam ſublimi perfectionis gradu fruſtrentur, hujus optimam & tutiſſimam exercendi praxin aſſigno; ut ſuis Patribus ſpiritualibus, & præſertim Superioribus, ſuos defectus manifeſtent, & ab his potiùs vilipendi, pejúſque tractari optent; utì P. Balthaſarem Alvarez ſuis Superioribus feciſſe P. Lud. de Ponte, S. Ignatium, alióſque plurimos cum inſigni ſanctitatis fructu exercuiſſe, ſcribit P. Lanc. cit. *opuſc.* & nos ſupra de ſtudiis Novitiorum *n.* 21.

Digitized by Google

n. 21. & de ſignis eorum ſub §. 7. modum, ac humilitatis perfectionem in compendio tradidimus.

141 Dices contra traditam modò regulam. Qui coram ſuis confratribus defectus occultos aperire non debet, etiam ſe in capitulo publicè proclamare de iis non poteſt ob timorem, ne eadem ſuprà numerata mala eventura ſint: atqui hoc eſt contra regularia ſtatuta, & laudabiles conſuetudines collegiorum noſtrorum: ergo &c. Deinde ſequeretur, tales manifeſtationes in capitulo neque Prælatum in virtute obedientiæ poſſe præcipere, tanquam ſcandalo & periculo obnoxias, atque ideo malas &c.

Reſp. Quia in capitulo tanquam regulari judicio defectus ſolùm externi, & ab aliis facilè notabiles v.g. fractiones ſilentii, converſationes cum ſæcularibus ſine licentia & neceſſitate, errores commiſſi in choro, & officio Divino &c. aliæve regulares transgreſſiones ad corrigendum aſſumuntur, & à Prælato, ſpirituali judice, injunctâ priùs ſalutari pœnâ, abſolvuntur; ideo tales quoque citra præjudicium famæ ſine ullo mali eventuri periculo ibi manifeſtari poſſunt; & qui id ex amore DEI, ac ſtudio vilipenſionis ſuæ libenter agit, absque dubio humilitatem in tertio gradu exercet. Graviora verò & occulta delicta, quæ ſolùm generare ſolent ſcandalum, ſicut non pertinent ad capitulum, ſed Sacramentale Pœnitentiæ tribunal, ita nec Prælatus eorum manifeſtationem præcipere poteſt, nec Religioſus, niſi accuſatio de crimine, vel ſigna quædam externa præceſſerint, obedire tenetur; ùt colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 104. *a.* 5. *ad* 3. & docetur à Philip. à D. N. *parte* 1. *c.* 2. cum cit. à ſe auth. Patet itaque Reſp. in forma ad objectionis majorem cum diſtinctione: non debet ſe proclamare de occultis, ſcandaloſis & gravibus, conceditur; de levioribus, & facilè notabilibus, negatur &c. Hoc ſecundum eſt juxta, primū verò contra ſtatuta, & Collegiorum conſuetudines. Si autem Religioſus Superiori præcipienti, aut humilitatis ſtudiô ultrò manifeſtaret illi ſoli occulta omnia ſua, abſolutiſſimum actum obedientiæ, imò *ſuperobedientiæ*, ùt loquuntur alii apud Sanchez *L.* 6. *in Decal. c.* 1. *n.* 2. & perfectiſſimum actum humilitatis faceret; quod S. D. *cit. l.* dicit, *pertinere ad cumulum perfectionis.*

quaſdam, quibus non leviter Alani honorem oppetebant, in Regis conſilio divulgâſſent, illius amici haſce maculas diluere, & malè conceptam de eo opinionem ex aliorum animis auferre voluerunt: at oppoſuit ſtudioſiſſimus humilitatis Præſul ſe illis, aſſerens, hoc admodùm indifferens eſſe debere DEI ſervo, pro ſe verò deſiderandum, ut ab omnibus tanquam anathema haberetur. *L. 3. c. 1. vitæ.*

2. Si quis præſens ad aliorum laudes & ſui commendationes taceat, & eas non impediat, ſed potiùs libenter ſe audire eas vultu ſereno fingat; ſic enim ab imperfectis amator propriæ laudis habebitur.

3. Si omnia extraordinaria fugiat, & ſolùm communem ſequatur regulam, nihílque ſingulare præſeferat exteriùs: ſit lætus in conviviis, & exhilaretur in converſatione licita: utì S. P. N. Auguſtinum feciſſe ſcribitur, qui etiam in gratiam hoſpitum vinô utebatur, & carne veſcebatur. Ita S. Franciſcum Seraphicum extrinſecos actus, orationes extraordinarias inter fratres devitâſſe, & ſummoperè ſtuduiſſe, ut cæteris ſe conformaret. S. Franciſcum Saleſium pariter, & Xaverium in converſatione & conviviis cum ſæcularibus pro lucrandis animabus lætos fuiſſe, & hoc modo ſanctitatem ſuam, ac ſpecialia DEI dona abſcondiſſe legitur in eorum vitis. Hujus exempla millena, quin & domeſtica, adduci poſſent, ſi foliorum anguſtiæ paterentur.

4. Si ſpecialiora DEI dona in ſe occultet, nec unquam patefaciat; *ſanctorum* enim *virorum eſt, bona, quæ fecerint, occultare*, teſte M. Greg. *l. 19. mor. c. 14.* Atque hi quatuor humiliandi modi in quarto gradu vocantur ab Aſcetis *negativi*, id eſt, dum hîs modîs nihil ſingulare pietatis in homine notatur, ſed virtus abſconditur, ceſſat aliorum de tali homine bona opinio, & ita eidem abnegatur honor, qui aliàs index eſt bonæ opinionis.

Cæterùm talia, *poſitivum* apud 144
alios ſui contemptum inducentia, facere, quæ meritò alios ſcandalizare, quæque nec in bono ſenſu accipi, nec in bonam partem trahi poſſunt, longè debent abeſſe à Religioſo. Qualia exempla ab antiquis Monachis cum laude deducit Climacus gradu 25. & 26. ubi refert, fuiſſe quoſdam, qui humilitatis ſtudiô ignominiis affecti, animi tranquillitatem ut occultarent, *iratos*, alii cum aviditate & ſine appetitu edentes, *voraces*, alii primos in menſa accubitus appetentes, *ambitioſos*, alii cum mulieribus urbem ingreſſi publicè, & infames proſtibulis domos repetentes, *fornicarios*, alii mirabili lacernâ humeris injectâ, aut veſte mutata civitatem obeuntes *ſtultos* ſeſe finxerunt: alii demum apud Caſſianum *l. 5. c. 37. & 39.* ſibi certa peccata

per mendacium affinxerunt, ut apud alios bonam de ſe opinionem extinguerent, & humilitatem in quarto gradu aut acquirerent, aut acquiſitam dictô modô conſervarent. Talia, inquam, exempla, utpote raro ſine proximi offenſione, vel ſcandalo fieri ſolita, adeóque indiſcreta, ab integritate Clericalis S. Ordinis noſtri, ad exemplum vitæ Chriſti, & Apoſtolorum ſe conformare ſatagentis, longè abeſſe debent, etſi à Sanctis etiam uſitata fuerint: quod uti in illis verti non debet vitio; ita in nobis id facere, eſſet ſpiritus peregrinus à Clericali Apoſtolico abhorrens, & magis eremitico conveniens, quàm ei ſtatui, qui communi via Sanctorum ſuam, & proximorum perfectionem quærere debet, & habet regulam à ſancto ſuo Reſtauratore, ſapientiſſimo Doctore Eccleſiæ, Canonicis ſuis traditam, expreſsè prohibentem *cap.* 4. ut *in inceſſu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus noſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod noſtram deceat ſanctitatem.* Id ipſum ſpatioſiſſimis in voluminibus ſuis, & præſertim ubi de communi vita Clericorum ſuorum agit, centies, ut ita loquar, ſuis diſcretiſſimam & exemplarem hanc doctrinam inculcat. Eâdem proin regulâ generali hic opus eſſe, quam *n.* 140. tradidimus, nemo non videt, ut talia non præſumantur ſine præſcitu Superiorum, qui ſpirituali fervori diſcretionis modum imponent, ne cum detrimento excedatur, & virtutis locô vitium exerceatur.

Quæri hìc non ſine utilitate duo poſſunt; primò an ita optanda ſit nobis mala in cordibus aliorum de nobis opinio, ut nunquam bonam optare, aut procurare liceat? Secundò, an narrare de ſe virtutem quamdam, aut alia ſpecialia DEI dona aliis manifeſtare non ſit directè contrarium humilitati in quarto hoc gradu; & quomodo id licitum, vel forſan neceſſarium ſit. 145
Reſp. ad 1. breviter cum S. Th. 2. 2. *q.* 132. *a.* 1. *ad* 3. quòd aliquis poſſit vel bonam apud alios opinionem conſervare: 1. Ut Deus glorificetur ab hominibus videntibus exemplum bonorum operum. 2. Ut alii virtutibûs cognitîs ædificentur, & ad parem ſequelam trahantur; homines enim proſcriptæ famæ, malæve opinionis non ſolent aliis ad virtutem incitamento eſſe. 3. Ut ipſe magìs proficiat, & nunquam à virtute deſiſtat ob gloriam DEI, & aliorum bonum exemplum.

Huic tamen S. Greg. *hom.* 11. *in Evang.* doctrina addenda eſt; *ut ſic ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto &c. & per hanc, qua ſoli DEO placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.* Id ipſum & exemplô & verbô docuit nos S. P. N. Aug. *ſerm.* 49. *de diverſis*; ubi de ſe loquitur: *credo autem*

Digitized by Google

autem, ante oculos veſtros eſſe converſationem noſtram, ut & nos dicere fortuſſis audeamus, quamvis illi multùm impares (ecce humilitatem abſconſam) *qui dixit: imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: & ideo nolo, ut aliquis de nobis inveniat malè vivendi occaſionem; providemus enim bona, ut ait idem Apoſtolus, non ſolùm coram DEO, ſed etiam coram hominibus. Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis; propter vos fama noſtra non polluit, ſed pollere debet in vobis &c.* Et ſerm. mox ſequenti, nempe 50. de ſe proſequitur: *qui nos amant, quærunt, quod laudent in nobis; qui autem nos oderunt, detrahunt nobis: nos autem in utroque medio conſtituti, adjuvante Domino DEO noſtro & vitam & famam noſtram ſic cuſtodire debemus, ut non erubeſcant de detractoribus laudatores &c.*

Ex qua S. P. N. doctrina clarè apparet, illius diſcipulos in poſitis 3. caſibus non tantùm bonam famam poſſe conſervare, ſed etiam procurare debere, ſi afflictum per detractionem crimen non tantùm Canonico alicui particulari, & ſacræ Communitati, cujus ipſe membrum, & honor quoque eſt, ad gravem inhonorationem, ſed & populo ad ſcandalum taciturnitate propriâ vergere poſſet.

Ejusmodi tamen famæ bonæ procuratio cum conſilio Patris Spiritualis fiat, ne ſub ſpecie ſpiritualis boni, & ſine ſufficiente neceſſitate vana gloria potiùs quæſita ſubrepat; præſertim ſiquis in iſtam valde ſe labilem, & lapſum ſentiat: meliùs eſt in opinione vileſcere velle ſine data tamen occaſione, quàm illam etiam ſub ſpecie boni quærere, appetere, vel procurare; *ſcrutator enim viarum ſuarum ac ſtudiorum in omnibus ſemper habet ſuſpectum arrogantiæ vitium, ne ſubrepat:* ut S. Bern. *ſerm.* 54. *in cant.* monet. Univerſim privato Religioſo ſine Superiorum licentia & bono conſilio famam ſuam appetere, & bonam apud alios exiſtimationem procurare, vanam ſapit gloriam, & eſt contra humilitatis virtutem in hoc quarto gradu.

Reſp. ad 2. DEI dona, & ſpe- 146
ciales gratias ſibi collatas aliis narrare, & manifeſtare ob ſuperbiam, vanam gloriam, & commendationem ſui, & aliorum contemptum, vel ſi periculum labendi (etſi venialiter) contra humilitatem adſit, nunquam licitum eſſe, omnium SS. PP. & Theologorum unanimis ſententia eſt, nec probare hìc vacat, aut indiget.

Ea verò manifeſtare Confeſſario vel Superiori, aut alteri in ſpiritualibus exercitato ad petendum conſilium, ad ſpiritûs diſcretionem diſcendam, aut ad pleniorem ſui manifeſtationem ex humilitate & regula ſub *n.* 20. Superiori faciendam, non modò peccatum non eſt, ſed etiam neceſſarium; & ſi omittatur, malum, & periculoſum eſt,

ne

ne proprii judicii tenacitas, amor, & complacentia propria, elatio ſuper alios lateat, & non niſi illuſiones in virtutibus fraude diabolica fiant; ita P. Lanc. in ſuis laudatiſſimis opuſculis ſpiritualibus *opuſc.* 8. *c.* 10. citans SS. PP. ex Nigronio, qui *tract.* 1. *c.* 2. *ratione undecima*, ducis & Magiſtri neceſſitatem in ſpiritualibus ex multis cauſis, ad noſtrum propoſitum huc ſpectantibus, dilucidè probat: quò plura cupientem remitto. Cæterùm extra vanæ gloriæ quæſitionem ob cauſas à S. Thom. priùs aſſignatas, nempe gloriam DEI, & ſalutem proximi, ut is in tribulatione ſolatium, & in tentatione referat auxilium, ad abigendum puſillanimitatis, & deſperationis ſpiritum, ſi alios tantîs à DEO donîs cumulari videat, & audiat, & pro incitamento alicujus ad fervorem, virtutes, & gratias DEI narrando manifeſtare, licitum eſſe, Chriſtus Magiſter omnium noſtrum exemplîs & verbîs in Evangelio comprobat, jubétque legatis apud *Matth.* 11. *renuntiate Joanni, quæ vidiſtis, & audiſtis; cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur &c.* Ob hanc quoque rationem ſuæ ſcilicet & Patris æterni gloriæ tres in monte Tabor diſcipulos teſtes eſſe voluit viſionis Divinæ, & glorificationis ſuæ.

Sic S. David ſæpiſſimè in ſuis pſalmis ſe viam mandatorum cucurriſſe, in iis ambulâſſe, ſecundùm cor DEI vixiſſe, gloriatur.

Sic Sanctiſſimus P. N. ut plurima relinquam exempla, de communi vita Clericorum ſuorum tractans, ſe vivum iis exemplar, & vitam ſuam aliis vivendi normam narrando præbebat.

Sic S. Gertrudis, Thereſia, Catharina Senenſis, M. Magdalena de Pazzis, Clara de monte Falco, Birgitta, & Mechtildis, vitam, revelationes, lumina, ſpeciales à DEO acceptas gratias &c. manifeſtârunt, & etiam ſcriptô reliquerunt.

Atque horum omnium ratio eſt; quòd ſicut omnes virtutes cæteræ, ita & humilitas ſubſit Charitati, quæ pro DEO & proximo ejusmodi manifeſtationes exigendo jubet, quin detrimentum fiat humilitatis; imo duo lucrantur per illas humiles: *primum* eſt, quòd ſentiant moleſtiam & triſtitiam ob honores propterea ſibi delatos, & auctam apud alios bonam opinionem, illô ſolùm contenti auxiliô Divinô, quòd ſine peccato potuerint, & debuerint ſua dona revelare: *alterum* eſt, quòd ideò graves cenſuras, criminationes, aliáſque injurias ab aliis patiantur, & pro devotulis, ſuperbis, phantaſticis, ac à Dæmone illuſis habeantur &c. quæ duo humilibus uberrimam humiliandi, & patiendi præbent materiam.

§. V.

§. V.

Cæteri tres gradus, atque humiliationis modi practici referuntur.

147 QUintus gradus eſt; *deſiderare, ut in ore hominum extinctus ſit, ut à cunctis dicantur errata ſua, & quidquid in ſe deprehenderit vitioſum &c.* Latior eſt iſte gradus priore; prior enim optat mala à ſe narrata ab aliis credi, hic verò ad omnes homines ſine ulla exceptione ſe extendit, omnem ſui memoriam apud omnes, & honorabilitatem eradicatam cupit. Quod quidem magis heroicum eſt cæteris; cùm in ſe involvat deſiderium oblivionis, & poſitivi neglectûs ſui ipſius apud omnes: unde generoſi animi, ſi eorum facta, doctrinæ, rerum agendarum experientiæ, virtutes ab hominibus penitus taceantur, & oblivioni tradantur, nec memorentur ampliùs, graviùs & pejùs id ferunt, ac ſi mala quævis de illis narrentur. Hujus exemplis omnes Sanctorum vitæ ſcatent, qui non modò apud homines, ſed etiam apud DEUM, quantum eſt ad ipſius gloriam, in nulla eſſe memoria cupiebant, atque cum patientiſſimo Jobo in inferno protegi, & abſcondi, cum mitiſſimo Moyſe è libro vitæ deleri, cum Apoſtolo omnium peripſema & anathema fieri poſitivè optabant. Id S. Laur Juſt. apud Lanc. confirmat; *plus eſt enim*, inquit, *ut malè affici negligas, quàm ut bene affici non cupias.*

Sextus gradus eſt, *toto conamine, & magnitudine deſiderii eſurire Chriſti convitia, & exultare in opprobriis & contumeliis, deriſionibus & infamiis, & cuncta, pro quibus commendabilis videri poſſit, abhorrere; quidquid applaudit, fugere; omne, quod abjectum eſt, gratanter ſuſcipere, & venerari, & nihil, quod foris eſt, appetere, vel timere &c.* 148

Hunc gradum, ut cætera relinquamus exempla, perfectè poſſedit Illuſtriſſimus Alanus, qui in Epiſcopatu ſuo graviſſimas calumnias, contradictiones, & injurias perpeſſus eſt; & tamen gaviſus, citra detrimentum tum honoris Divini, tum ſalutis animarum, quòd pro DEI gloria pati poſſit, gratanter ſuſtinuit. In tantum etiam malorum odium, & perſecutio efferbuit, ut, ſicut olim S. Carolum Borom. procuratorio nomine in judicio malitioſa turba accuſavit, ita pejùs propriô ſtudiô Carducenſem Epiſcopum apud Regem, ejúſque Senatum, in generalibus Cleri Gallicani comitiis deferre, & univerſim illius famam per totam Franciam proſcindere, omnéſque ejus actiones damnare fuerint auſi. Aſt nihili duxit orci machinationes vir ſan-

ſanctus, libentiùs contemni, & pro nihilo haberi coram mundo peroptans; ut habetur in vita *l.* 2. *c.* 21. & *l.* 3. *c.* 1. DEO tamen providente malitia adverſariorum paulò poſt rejecta, & Alani innocentia detecta fuit.

Ex hoc ſublimi gradu ſequentes naſcuntur effectus, qui quidem aliarum virtutum etiam eſſe poſſunt, hìc autem humilitatis ſunt; cùm ex ejus motivo proveniant, & eliciantur.

1. Patientia in adverſis omnis generis tolerandis.

2. Gaudium, & animi tranquillitas in iis.

3. Quin & deſiderium ea pro Chriſto patiendi.

4. Et ultrà etiam occaſiones tales quærere.

5. Fuga eorum, quibus apud alios commendari aut honorari poſſemus.

6. Suſceptio gratæ abjectionis noſtræ ab omnibus.

7. Veneratio, & honoratio à nobis facta iis, qui nos opprobriis ſatiant, & quibusvis injuriis, contumeliísve afficiunt, quibus tali honoris exhibitione bonum pro malo recompenſamus.

8. Nulla æſtimatio eorum, quæ à foris parent hominibus, quæque ab his, tanquam glorioſa, appetuntur, & quæruntur.

9. Excluſio omnis timoris humani, qui apud homines mundanos aliàs provenire ſolet; timent enim hi, ſi famam, & bonam opinionem apud alios perdant, ne ſimul gratiâ excidant, gravémque jacturam temporalium incurrant: qualem timorem foràs mittere, & penitus excludere humiles docet perfecta charitas; ex qua pro Chriſto omnia hæc ſuſtinemus, nihil ab aliis formidantes, quàm ſeparationem noſtram à charitate DEI per ſuperbam elationem, vanámque complacentiam, dum ab aliis laude extollimur: cui proin malo bene præcavetur per ſitim opprobriorum, ac humilem patientiam in adverſis.

Septimus gradus pro comple- 149
mento perfectæ humilitatis aſſignatur à P. Lanc. l. c. poſt 6. priores acquiſitos, nihil ſibi adſcribere, & veraciter exiſtimare, omnia DEI dona non propter ſua merita, & cooperationem, ſed ſola DEI liberalitate, miſericordiâ, & gratiâ ſibi fuiſſe collata: ut adeò vel pro ſe, vel pro aliis, non effectum ſuarum precum, virtutum, ac meritorum, ſed gratuitum Divinum donum reputet ſine intuitu meritorum.

Hunc gradum profeſſus eſt S. Paulus *Rom. 7. ſcio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum*: & Corinth. 15. *gratia DEI ſum id, quod ſum &c.* Hoc etiam modo neſcivit, ſuis ſe meritis raptum eſſe in tertium cœlum, ubi arcana DEI vidit, quæ non licebat homini loqui. Nempe quò vicinior fit umbra luci, ſuas detegit magìs tenebras:

Digitized by Google

nebras: & creatura, quò vicinior virtutum excellentiâ DEO Creatori ſuo accedit, eò perſpicaciùs perſpicit ſuum nihilum, ex quo ſolâ DEI creantis, & miſerentis gratiâ emerſit.

150 Dices. David ſæpè in ſuis pſalmis à DEO ſe exauditum eſſe memorat, aliorúmque Sanctorum preces petitum effectum à DEO accepiſſe, paſſim in vitis eorum legitur, ſinè humilitatis detrimento: ergo etiam precibus, & propriis virtutibus quidquam adſcribere, non videtur repugnare huic gradui &c.

Reſp. Davidem ex revelatione DEI certò ſciviſſe, & ita preces ſuas exauditas fuiſſe, meritò commemorare potuiſſe: qualem gratiam exauditionis Divinæ cùm alii certò neſciant, eam conſequenter de ſe jactare nequeunt, tutiùs proin facientes, ſi nihil ſibi, omnia verò Divinæ bonitati adſcribant. Aliter etiam cum fundamento reſponderi poteſt, Davidis, aliorúmque Sanctorum, juſtorum, vel etiam peccatorum preces conditionem, ſinè qua non, ſeu occaſionem tantùm, non verò motivum fuiſſe DEO, ut eas exaudiêrit, & petitum effectum conceſſerit: ſicut mera gratia & liberalitas DEI fuit, quòd promiſerit Sauli, Davidi, Salomoni, & ſucceſſoribus Regibus Iſrael, ſe velle eorum regium ſolium in ſempiternum firmare, adjecta conditione; *ſi in mandatis ejus ambulaverint, & præcepta cuſtodierint.* Qua conditione dein adimpletâ per fidelem eorum obſervantiam, utique non tam ſe exauditos ob proprias virtutes, quàm occaſione harum gratiam ex mera liberalitate (ſinè intuitu præcedentis meriti promiſſam) adeptos ſe eſſe humiliter gloriari potuerunt. Ita pariter, quòd DEUS noſtras preces, virtutes &c. tanquàm occaſionem nobis dandæ à ſe gratiæ ponere voluerit, noſtris non precibus & virtutibus, ſed liberalitati Divinæ ſoli adſcribere debemus: & ita cum fundamento ſalvamus humilitatem quoad 7. gradum, prorſus nihil nobis imputantes.

Si ulteriùs dicas. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis meruêre primam gratiam; ergo hanc ſuo proprio merito adſcribere poterant; ſi hoc &c. pariter nos adſcribere poſſumus precibus noſtris acceptas à DEO gratias. Reſp. quia hoc ipſum, quòd primam gratiam mereri potuerint, mera & maxima DEI gratia, ac pura liberalitas fuit, nihil proprio ſuo merito, ſed ſoli gratiæ DEI illud Angeli adſcripſerunt: quod & nos facere oportet, niſi cum ſuperbo Lucifero cadere velimus &c. de quibus Theologi plura tractant: Tyronibus hæc ad captum ſufficiant.

Quæres, an in ſe cognoſcere certa & ſpecialia DEI dona, ac de iis per piam ruminationem, ſeu rememorationem gaudere, non ſit contra humilitatem. Reſp. neutiquam contrariari humilitati, imò 151

magìs per hoc promoveri; quò magìs enim Dei beneficia recolimus, eò magìs Deum amamus, ei gratias agimus, nóſque propterea humiliamus, tanquam indigni tantarum gratiarum. Talem donorum Divinorum cognitionem ſine humilitatis detrimento omnes Sancti habuerunt: ita S. P. N. paſſim in ſuis Confeſſionibus poſt enumerationem *l.* 1. *c.*20. exclamat: *iſta omnia DEI mei dona ſunt, non mihi ego dedi hac &c.* & paulò inferiùs: *gratias tibi dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea, DEUS meus! gratias tibi de donis tuis, ſed tu mihi ea ſerva: ita enim ſervabis me, & augebuntur, & perficientur, quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum, quia & ut ſim, dediſti mihi.* Sic S. Thereſia in vita ſua ſæpiùs exclamans petiit à DEO, *beneficiis in ſe Divinis modum imponi &c.* ergo perfectè cognovit beneficia &c. Sic etiam Chriſtus ex ſcientia Divina, beata & infuſa perfectiori longè modo omnia ſua dona in ſua S. Humanitate cognoſcebat; & tamen erat humillimus: ſic B. V. Maria gratias cœleſtes, & donum ſanctiſſimæ Maternitatis in ſe perfectiſſimè ſciebat; & tamen præ humilitate *ancillam* Domini tantùm ſe nominabat. Sequitur ergo ex his, piam beneficiorum DEI recollectionem, rememorationem & cognitionem tantùm abeſſe, ut humilitati noceat, quin potiùs eam cauſet in comparatione illorum cum infirmitatibus noſtris.

Praxis ſeu modus in omnibus aſſignatis gradibus exercendi humilitatem conſiſtit in ſequentibus; quæ Religioſus diligenter obſervet: 152

1. *In ferventi deſiderio* quotidie, & ſæpiùs renovato, ut aliquis contemnatur à Superioribus, & poſtponatur aliis; neque id grave ferat, ſi ſupprimatur. Hoc deſiderium ſeſe quotidie in diverſis gradibus humiliandi ingens eſt praxis acquirendi, conſervandi, & actu exercendi humilitatem ſaltem in corde.

2. *In ferventi meditatione*, & conſideratione peccatorum, infirmitatum animæ, & corporis, quibus implicatur aliquis; conſidera v. g. de te, quòd ſis inſipientior, & ineptior brutis, inſenſibilibus creaturis, quæ ſorte ſua contentæ ad finem naturaliter à DEO ſibi præſcriptum tendentes, atque adeò eum laudantes in ſe glorificant. Tu verò, cum ſis intellectualis, ad excellentiorem finem creatus, non tantùm gloriam DEI negligis, ſed peccatis tuis obfuſcas &c. His & ſimilibus motivis inducitur aliquis contemptus ſui, & ſucceſſivè ad majores gradus evecta humilitas creſcit.

3. *In exercitatione ſeu mortificatione* noſtra quotidiana circa humilitatem, ita, ut nulla dies abeat, quin actus aliquis eliciatur: qui ſunt in triplici differentia, cordis, oris, & operis.

HU-

Digitized by Google

HUMILITATEM CORDIS EXERCET:

1. Qui ſe conſpectu DEI v. g. in choro, oratione, aliiſve ſpiritualibus exercitiis, aut conſortio hominum, ac cœtu ſuorum Confratrum in menſa, recreatione, converſatione &c. indignum reputat.

2. Quoties peccata ſua cogitans confunditur intra ſe, ſéque infra damnatos, omnes creaturas, & in ſuo ſe nihilo collocat; præſertim hujus actûs tempus eſſe poterit, dum vel ſub Sacro, vel in Completorio, aut ante confeſſionem recitat *Confiteor &c.*

3. Quoties de proprio contemptu, & in depreſſione ſua gaudet, de honore ab aliis exhibito, aut bona æſtimatione triſtatur.

4. Quoties ſe odio proſequitur, ut jumentum ad laborem ſe excitat, vilia amplectitur, ſpecioſitates fugit, ſibi ipſi in nulla re confidit, ſe ſuſpectum habet ubique, ne peccando DEUM offendat &c.

HUMILITATEM ORIS EXERCET:

1. Qui ſilentium diligenter obſervat, aut interrogatus ſubmiſſa voce loquitur tanquam indignus.

2. Qui data occaſione bonam apud alios opinionem acquirendi, ſcientiam, rerum gerendarum experientiam, aliaque ſua dona ab humanis laudibus abſcondit; imo viliter potiùs de ſe loquitur.

3. Qui à querelis, & contradictionibus abſtinet, bene de omnibus ſentit, & loquitur, injurias & calumnias aliorum laude compenſat.

4. Quoties ſe Superioribus manifeſtat, latentes defectus accuſat, & libenter confitetur ex amore vilipenſionis propriæ; ut dictum eſt.

5. Quoties etiam ſe nominibus abjectis compellat, quod præſertim fieri poterit, ſi ſit ſolus in cubiculo, & ſuperbiâ aliquâ tentetur &c.

HUMILITATEM OPERIS EXERCET:

1. Qui ſe mitem, obſequentem, tractabilémque exhibet omnibus; ſuos præſertim Confratres, Superiores, & inferiores honore prævenit.

2. Quoties inferiorem locum eligit, officia humilia, & ab aliis rejecta obit, & in minimis exercitiis ſibi demandatis diligentiam, ac minimorum etiam curam habet.

3. Superioribus ad nutum, relictîs omnibûs, obedit, nullámque iis difficultatem circa ſe creat.

Digitized by Google

4. Qui ex affectu latendi rarò, & non niſi neceſſariò, è cubiculo exit, commoditates corporales renuit, recreationes ſibi denegat tanquam indigno, cilicio, flagellis, pectoris percuſſionibus, orando expanſis brachiis, flexis genibus, humi cubando, ſe mortificat, vel aliud ſibi valde contrarium cum licentia Superioris peragit; ut heroicè repugnantem naturam, ſuperbam voluntatem, & judicium proprium, vincat, penitus expugnet, & humilitatem cum quadam vi introducat in ſe.

Plures humiliandi modos ſanctus Spiritus docebit ſuos diſcipulos, qui virtutem avidè quærent, & Magiſtris ſpiritualibus obſequentes ſe præbebunt; facientibus enim, quod eſt in ſe, illius gratia nunquam deerit.

Quàm profundam per omnes gradus humilitatem à DEO impetraverit V. Petrus Forerius, patet ex una, quam coronidis loco adducimus, occaſione.

Contigit enim, Nobilem quamdam de Bois Nanceii à maligno infeſſam genio ab Epiſcopo per Eccleſiaſticos exorciſmos probari: iis etiam intereſſe juſſus Petrus ex humilitate, qua quosvis ejusmodi actus publicos, ex quibus aliqua ipſi ab hominibus gloria & exiſtimatio ob præcellentem virtutem enaſci poterat, cautè, imò viribus omnibus declinabat, vix adigi poterat, ſed Epiſcopi mandato ea vice obtemperavit, prout humilem decet ſubditum, quem ſeſe profitebatur. Quare ad Eccleſiam ſe contulit, atque mox, ut templi limen attigit, diabolus, qui vehementer appropinquantem Petrum formidare cæperat, & ſub fictæ jactationis larvâ ſuum occultare timorem volens, convitia, milléque contumelioſa in eum verba congeſſit: quæ ſunt Inferorum ſermocinatio. Ille tamen nihil territus accedit audacter, DEUM orat, & jubente Epiſcopo in ſella conſidet. Ad quæ mox Diabolus altùm vociferatur: an non bene dixi, te hypocritam eſſe? debetur ſcilicet Domino ſella; væ! tu egregius es Sanctus. Ut quid non in ſacræ iconis loculo illum collocatis? bene habet: ſedem occupas periſtromate ornatam; at ſcito, me longè aliam in inferno tibi præparare, & quidem in loco profundiſſimo ad Luciferi pedes, quòd ita mundum decipias. Pater in ſeipſo collectus, & in abyſſo nihili ſui planè abſorptus, è cordis meditullio duo hæc verba protraxit: *verè mereor. Aſſignas mihi locum infra damnatos omnes tanquam omnium facinoroſiſſimo, verè dicis, verè mereor, ita eſt, ſic tractari mereor, & infra Cainum collocari, qui fratrem ſuum occidit; infra Judam, qui Dominum ſuum vendidit; infra Luciferum, qui Divinitatis Jura uſurpare tentavit: verè mereor, fateor iſtis eſſe me longè deteriorem.* Vix effatus erat Petrus

hæc

hæc duo verba: *verè mereor:* cùm ecce! rebellis Spiritus proſtratus altum tenuit ſilentium, & non niſi S. Exorciſmis adactus reſpondit, propter humilitatis gloriam retraxiſſe ſeſe, & ſi non occultâ quadam Divinæ Providentiæ vi fuiſſet detentus, turpiter aufugiſſe &c. Cæterùm licèt mendaces ſint dæmones, ab Eccleſia tamen ad veritatem adſtruendam compelli poſſe, ſine injuria fidei illata negari nequit, ſi bonum inde Divinæ gloriæ, vel Eccleſiæ, vel alicujus Sancti, aut animarum ſalus proveniat: prout in hoc caſu accidit; nec ullum ſecutum fuit malum à teſtimonio infernali.

SAPIENTIA ABSCONSA, & THESAURUS INVISUS.

QUæ utilitas in utriſque? Sapientiſſimus Eccleſiaſt. *cap.* 20. *v.* 32. quærit. At humilis Idiota reſpondet, ac quæſtionem reſolvit ex primis principiis cœleſtis ſapientiæ: *melius eſt celare inſipientiam ſuam, quàm abſcondere ſapientiam.* Sed verè humilis non recognoſcit in ſe, niſi inſipientiam ſuam: ergò eam celare longè melius eſt humili. Reipſa quàm profundæ humilitatis fuerit Raymundus Jordani, conjicere facilè eſt vel ex eo, quòd ſingularis prorſus ſubmiſſionis ergò ſub ſordido *Idiota* nomine (ſuppreſſo proprio) mundum latere, aut non alio titulo ei innoteſcere voluerit: cùm tamen omnium ſapientum teſtimoniô vir fuerit non minùs pietate, quàm altioribus ſcientiis planè conſpicuus; uti teſtantur præclara illius opera. Fuit autem Raymundus Jordani Canonicus Regularis, ac Uticenſis primùm Præpoſitus, dein Abbas Cellenſis. Puriſſimæ Virginis Mariæ immaculatam Conceptionem præclaro calamo defendit, & contra adverſarios devotiſſimo tutatus eſt affectu; prout aſſeruerunt Ferdinandus Salazzarius S. J. *l. de Concept. Deip. c.* 42. *ſec.* 10. hiſce verbis: *Idiota vir ſapientiſſimus, inter præcipuos puræ Conceptionis Vindices, & aſſertores meritò cenſeri debet &c.* & Ægydius à Præſent. Ord. Erem. S. Aug. *l.* 3. *de Præſerv. à pecc. q.* 4. *a.* 3. §. 1. ubi eum appellat *Sanctiſſimum, ac vetuſtiſſimum Idiotam (hoc enim nomine, humilitatis gratia, proprio ſuppreſſo, appellari voluit) cùm tamen ejus eruditio ſimul cum ſanctitate tanta fuerit, ut & Hæreticis formidini, & Catholicis admirationi habeatur, & inter SS. Patres meritò referatur.*

Id etiam Hyppolitus Maracius in Biblioth. Mariana V. *Raymundus Jordani*

Jordani aſſerit. Quô annô in terris eſſe deſierit, non ſatìs conſtat. Plura vide apud Theophilum Raynaudum S. J. qui Idiotæ opera typis èdidit Pariſiis An. 1654. atque hîs præſens de humilitate articulus concluditur ad majorem DEI gloriam.

ARTICULUS III.

De virtute charitatis, & gaudii oppoſiti Invidiæ.

SUMMARIUM.

153. *Charitas opponitur inordinatæ triſtitiæ.*

154. *Neceſſaria eſt ad opera meritoria, & triplex.*

155. *Amor in DEUM, ejúsque actus afferuntur.*

156. *Charitas in proximum; ac varius exercendi modus.*

157. *Ordinata ſui ipſius dilectio in quo conſiſtat. Breviter oſtenditur, & annectuntur Charitatis exempla.*

153 SIcut humilitas opponitur ſuperbiæ; ita charitas, & ex hac proficiſcens gaudium, militat contra invidioſam triſtitiam. Sicut ergo ſuperbia fons eſt & origo omnium vitiorum, in quibus per generalem influxum ſuum redundat; ùt ſuprà diximus *n.* 50. & 52. ita pariter humilitas tanquam univerſalis canalis ómnes alias virtutes contrahit, & in ſe complectitur, præſertim charitatem. Hanc enim ſine humilitate ſubſiſtere non poſſe, ex hoc ſatìs patet, quòd charitas in DEUM maximè habeatur per appretiationem ipſius ſuper omnes creaturas; appretiatio autem tam ſublimis eſſe nequit ſine depretiatione ſui ipſius ſuper omnia, quæ eſt ipſamet humilitas: ergo ſine humilitate nequit perfecta charitas in homine ſubſiſtere. Breviter itaque de iſta humilitatis pediſequa hìc agimus, infrà, ubi de perfectione, plura de ea tractaturi.

Neceſſitatem charitatis ad omnia noſtra bona opera ſatìs Apoſt. 154
1. ad Corinth. cap. 13. explicat; ubi virtutes angelicas, prophetiam & ſcientiam, fidem & miſericordiam, omnémque ſui ipſius mortificationem nihil eſſe, & prodeſſe ſine charitate ait. Unde SS. PP. eam *virtutum radicem* cum S. Laur. Juſt. ſupra *n.* 105. & *virtutum formam* cum S. Ambroſio *L.* 2. *in Lucam* appellant; *quoniam*, uti loquitur hic Sanctus, *illis vitam, ut motum in vitam æternam impertit.* Aſcetæ verò eam tanquam *virtutum, & religioſæ perfectionis* finem conſiderant, quò omnia virtutum opera, & Religioſa exercitia tendunt, ut DEO per amorem in hac vita uniamur, ac per

Digitized by Google

per peccatum nunquam ab eo ſeparemur. Triplex autem eſt hæc charitas; erga DEUM, proximum, & erga ſe ipſum; atque ſecundùm ipſas differentias, ſeu potiùs adverſas conſiderationes ſuo ordine diſtinctos actus habet.

155 Charitas in DEUM eſt virtus, qua ſine ulla ſpe mercedis, ſine formidine pœnæ, ſine intuitu ullius creaturæ amamus DEUM propter ſe ipſum, & bonitatem ſuam infinitam ſuper omnia. Unde, qui creaturam æquè, ac DEUM, v.g. patrem aut matrem, plùs quàm DEUM amaret, non eſt amore DEI dignus: *Mathæi* 10. Neque DEUM amaret, ſed creaturam, & ſe ipſum, qui DEUM diligeret ſolùm ob beneficia, non amaturus, ſi ea deſinerent. Actus & perfectionis gradus habentur: 1. opera noſtra minima, & diſparata propter amorem & gloriam DEI aggredi, & facere; ùt monet Apoſt. 1. *Corinth.* 10. *ſive manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite:* id eſt, per piam motionem & intentionem in DEUM referte. 2. Affectum ſuum transferre in DEUM, illi ſe uniendo, ſicut ferrum magneti. Praxin hujus habes, quoties ex affectu breves aſpirationes ad DEUM intimè tibi præſentem elicis, vel recreationes, colloquium, aut aliam rem, erga quam ſentis affectum, deſeris, tuúmque illum affectum in DEUM transfers pia oblatione. 3. De infinitis bonis, & perfectionibus Divinis gaudere, adorare, laudare, & glorificare DEUM; utì fecit David: *jubilate DEO omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite*: *pſal.* 97. Item huc pertinent, creaturas inſenſibiles, & bruta etiam ſtudioſè ad laudem DEI invitare, & optare ſanctificationem nominis Divini ex oratione Dominica. Praxin hujus ô! quoties habet Religioſus, dum recitat Pater noſter, legit S. Scripturam, recitat Officium Divinum, cantat, audit talia in choro. 4. Vitam præſentem, & omnia creata ex amore Domini noſtri JEſu Chriſti contemnere, dicendo cum Apoſt. *Philip.* 1. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum &c.* & 3. *omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam &c.* & *Rom.* 8. plura ex hac ferventiſſimæ charitatis perfectione numerat Apoſtolus opera. 5. Ex amore DEI dolere, & conteri de peccatis, tanquam Divino bono ſummè oppoſitis; ùt patet exemplo S. M. Magdalenæ, cui dicebatur: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: *Lucæ* 7. *v.* 47. 6. Confuſionem ſui ipſius, injurias, aliáque amori proprio contraria, libenter pati ex amore illius, qui in his exemplô præivit, Chriſtus Dominus noſter. 7. Parcere offendentibus nos, veniam indulgere, & ſtudioſè vincere in bono malum. 8. Præcepta DEI, Regulam, & ſtatuta, ac quæ à Superioribus injunguntur, perfectè ex amore

amore DEI obſervare; *hac eſt* enim *charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus*: *Epiſt. 2. Joan. 6.* 9. Voluntatem Divinam, & inſpirationes ſolicitè inveſtigare, ac diligenter exequi: cujus praxis haberi poteſt in S. meditationibus, in examinibus ordinariis; ut in iis propoſita poſtea diligenter executioni tradantur. 10. Ob honorē DEI alios ad converſionem morum, verbo aut exemplo ad emendationem vitæ, aut fidem inducere. 11. In omni gravi tentatione generoſum ſe præbere, perfectè reſiſtendo, & carnem ex DEI amore ſpiritui ſubjiciendo; in gravi enim tentatione maximè urgere præceptum charitatis Divinæ, Catholica doctrina eſt. Ac propterea Novitiis, & veteranis Religioſis ſuadendum eſt, ut, urgente tentatione, appretiativum ſuper omnia amorem erga DEUM eliciant, ac affectu ita ſint præparati, omnia potiùs perdere, quàm DEUM ſummum & amandiſſimum bonum offendere, unientes ſe tunc maximè DEO per efficacem amorem &c. Atque iſte eſt perfectiſſimus & tutiſſimus peccato reſiſtendi modus; ùt ſuprà diximus *n.* 80. *& ſequentibus.*

156 Charitas erga proximum eſt virtus, qua propter DEUM omnes, amicos, & inimicos noſtros, diligimus ex conſideratione, quòd aliquid DEI ſint, ad imaginem ipſius creati, gratiæ & gloriæ capaces; & quia voluntas DEI eſt *Deuteron. 6. & Mathæi* 22. ut diligamus proximum noſtrum, ſicut nos ipſos: ſicut enim in honoratione imaginis ſuæ honoratur Rex; ita in amore proximo exhibito amatur conditor proximi. Qui verò ob aliam conſiderationem proximum, v. g. propter conſanguinitatem, amicabilem converſationem, beneficia, vel alias dotes naturales &c. amat, naturalem tantùm habere charitatem, nec ex præcepto Divino amare, cenſendus eſt. Cenſetur autem hoc adimplere ſequentibus actibus. 1. Si bene affectus ſit erga proximum, & bona illi à DEO collata eſſe gaudeat, ac quæcúnque ſibi collata, illi pariter conferri optet. 2. Si aliorum ſalutem ſpiritualem deſideret, ac procuret; utì fecit Apoſt. *ad Philip. 1. v. 8. teſtis mihi eſt DEUS, quomodo cupiam vos omnes eſſe in viſceribus JESU Chriſti.* Aut illam proprio commodo poſtponat. 3. Si aliorum peccata defleat, DEUM pro eorum converſione roget, eos ad pœnitentiam tum verbis, tum exemplis, & conſiliis exhortetur, eorúmve peccata impedire nitatur, aut ad ea, quæ ſalutis ſunt, compellat &c. quæ ultima duo propriè ad officium Superioris quidem pertinent, priora tamen quilibet exercere valet. 4. Si in bono malum vincere, neque injurias ſibi illatas vindicare ſtudeat, juxta monitum Chriſti: *Math. 5. diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequen-*

Digitized by Google

quentibus & calumniantibus vos &c. 5. Si aliorum facta laudet, & in meliorem partem interpretetur, apud eos (intellige) qui mederi nequeunt, ita tamen, ut obſervetur hoc loco documentum *n.* 32. datum de ſignis Novitiorum. 6. Si de bonis proximi ſucceſſibus gaudeat, & adverſis triſtetur, bonos conatus promoveat, ac invidiæ malum cohibeat: quorum omnium varia eſſe poterit praxis, tum Novitiorum, tum Profeſſorum uſibus accommodata; quando confratrum ſuorum virtutem potiùs pro exemplo ſibi conſtituunt, laudant propterea DEUM, apud alios commendant magìs, quàm riſui, calumniis, averſioni, malæve interpretationi exponunt. Quod ultimum ſi in S. Religionibus nunquam fieret, ſancta pax & quies, ſancta diſciplina majori cum fructu in ſenioribus florerent, in junioribus magìs excolerentur, ac in novellis Religioſis fructuoſiùs implantarentur; qui, ſicut arundines vento agitatæ, ejusmodi ſcandalo facilè ſucciduntur, à virtute abſterrentur, & præ timore in piis conatibus langueſcunt, in deteſtandam animæ & Religionis perniciem; cùm novelli in primo vigore ſuppreſſi, ac à virtute Religioſa degenerantes, non niſi ſimiles fructus contra fraternam & Divinam charitatatem producere, ac in iis ſeneſcentes rurſus malô exemplô ad alios ſucceſſuros transplantare poſſint. Videatur deſuper S. Bonav. *l. de profectu Religioſorum c.* 2. per totum. Proin, ut huic malo tempeſtivè occurratur, ſtudeant Tyrones in aſſignatis tum Divinæ, tum fraternæ charitatis actibus ſeſe frequenter exercere; quibus ab omnipotente DEO abundantem in charitate gratiam quàm ferventiſſimè efflagito. Unde ex hac exercita charitate in cordibus eorum ſpirituale naſcetur gaudium, animæ tranquillitas, & ſincera concordia, ut excluſa omni invidentia *proximi bona*, ſua per gaudium, *proximi mala*, ſua per condolentiam ac bonam triſtitiam faciant. Atque hæc pauca de charitate, & ex hac promanante gaudio ſpirituali ſint ſatìs.

157 Quia Divinus Legislator præcepit diligere proximum, ſicut nosipſos, ſciamus oportet, qualiter amor erga ſe ipſum conſtituatur, ut ab hoc amorem erga proximum dimetiamur. Charitas itaque erga ſe eſt virtus, qua quis propter DEUM, Creatorem & ultimum finem noſtrum, omnipotentiâ omnia creata fortiter conſervantem, ac ſuaviter gubernantem, ordinatè ſeipſum amat, ut ſummô, ad quod creatus eſt, bonô poſt bonam vitam aliquando frui poſſit. Dicitur, *ordinatè*, non nimìs & delicatè; quia hoc genus ſe amandi ad exceſſum, & eo ipſo ad peccatum pertinet. Unde contra hanc charitatem agit, qui mortale committit peccatum, & ita à ſuo fine ultimo diſcedit. A contrario verò ordinatam in ſe exercet

ercet charitatem, qui præceptis Divinis & Eccleſiaſticis adimplendis eſt ſemper intentus. Secundò, quoties opera pœnitentiæ ſuſcipit, habitus vitioſos corrigit, à peccatis abſtinet ex timore vindicis Numinis, corpus & animam in gehennam ignis perdere potentis. Tertiò, qui ſtudet carnem ſuam ſubjicere ſpiritui, & illam flagellis, cilicio, aliíſque ſimilibus mortificationibus moderatè afficit, & in ſervitutem redigit. Quartò, toties tandē charitatem in ſe quis exercet, quoties de ſalute animæ ſuæ agit, eam bonis operibus intendit, & inclinat cor ſuum ad faciendas juſtificationes etiam propter retributionem æternæ gloriæ; quæ eſt maximum hominis bonum, utpote qui ad hunc finem creatus eſt, ut Dominum DEUM ſuum laudet, ac revereatur, eíque ſerviens tandem ſalvus fiat &c. ut ait S. Ignat. *in fund. Exerc.* Cæterùm ordinatè etiam corpus diligere, à morbis præſervare, aliáque damna avertere, ad charitatem erga ſe pertinet. Quando verò caro concupiſcit adversùs ſpiritum, oportet eam duris in ſervitutem redigere caſtigando, coërcendo, ac odiô habendo; quia *qui* hoc modo *odit animam ſuam*, dum corpori non condeſcendit, *in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam: Joan.* 12. quod propriè charitatis eſt erga ſeipſum; ut explicat S. P. N. Aug. *tract.* 51. *in Joan. ſi bene oderis, tunc amâſti; felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.*

FOCUS SEMPER ARDENS.

CHaritas DEI maximè elucet ex charitate proximi; prout Divinus Magiſter docuit *Joan.* 13. In hac eximius fuit D. Hieronymus Strozza Mantuanus Italus ex Congregatione Lateranenſi, cujus totum ſtudium in veræ ſanctitatis inveniendis, ſequendis, ac terendis ſemitis per ſummam ſui deſpicientiam pérque omnimodam corporis caſtigationem ponebatur. Hinc, licèt peregregio ingenio, multiplicíque eruditione inſtructus eſſet, ejus tamen oſtentandæ omnem occaſionem declinavit, ne elationis ſpiritu impeteretur. Innatam felicitatem ad aptè loquendum de unaquaque re ſuaptè reticuit, ut deliteſceret abjectus in domo Domini, ne aliis prædicans ipſe reprobus efficeretur. Quoniam verò id genus vitæ otii cujuspiam ſpecimen exprimeret, proximorum ſaluti, ſacras ipſorum confeſſiones excipiendo, ſeſe totum addixit. In hoc vitæ negotio quæ præſtitit, innumera planè ſunt: ardens quippe pectoris flamma in peccatoribus con-

convertendis, & ad meliora dirigendis ita erumpebat, ut nullus omninò ab illius pede abſcederet, niſi plenè conſolatus in Deo. Porrò emicuit in eo præ aliis ardor zeli, & dexteritas prudentiæ in extricandis inimicitiarum inteſtinis nodis, in diſſidiis tollendis, in fœdere ac pace jungendis Magnatibus, ínque Regum, Principúmque animis ad Religionis vota componendis. Floruit decimo quinto ſæculo; quo die verò ac anno fato functus ſit, non indicat Author Lycei Lateranenſis: videtur tamen probabile, illum anno ſalutis 1520. obiîſſe.

Flagrantiſſimæ quoque charitatis tum in DEUM, tum in proximum fuit B. Franciſchinus de Caſali Italus ex Congregatione Lateranenſi. Is ſtaturâ corporis puſillus licèt fuerit, vitâ tamen, ac ſanctimoniâ verè magnus extitit. Ob animi demiſſionem ſacrum Diaconatûs gradum, S. Franciſcum Aſſiſium imitatus, nunquam tranſcendere voluit; quàm ſanctè verò in Ordine noſtro Canonico in ſenectam usque ætatem vixerit, Italiæ incolis perſpicuum eſt. In Monaſterio Mortarienſi, ubi degebat, januæ cuſtodiam ferè ſemper habuit. Admirabantur eò venientes prima facie, videntes hominem veneranda canitie, aſpectu angelico, moribus ac ſermone humillimum; & quamvis ſanctitatem præ animi modeſtia celare niteretur, ea tamen magis ſeſe prodebat: multos enim variis languoribus ac morbis detentos oratione ſua priſtinæ ſanitati reſtituit. Spiritu futura prædicendi à DEO donatus plurimis, diversîs calamitatibûs oppreſſis, ac penè deſperatis futuram proſperitatem prædixit. Elucebant omnes quidem in eo virtutes, maximè verò pietas, amor, atque in pauperes miſericordia; hinc *Pater pauperum* fuit appellatus. Porrò multoties orationi vacans extra ſe ponebatur; unde fertur, eum quadam nocte, Chriſto nato ſacrâ, eundem faſciis involutum, ſibi ab ejusdem ſanctiſſima Matre oblatum, perdulciter amplexatum fuiſſe. Conſtans quoque fama eſt, Franciſchinum vivum adhuc miraculis claruiſſe. Ex pluribus unum retuliſſe ſufficiat, quod recenſet D. Joannes Philippus Novarienſis noſter *l.* 7. *c.* 13. Petiit is à cœnobii S. Crucis Mortarienſis tum Præpoſito D. Andrea de Biliis, ſibi dari pro pauperibus illud modicum vini, quod in vaſe, in quo pro Canonicorum uſu vinum ad refectorium ferri ſolebat, reſiduum foret. Annuit benignè poſtulatis Superior; tum Franciſchinus pro ſua in DEUM fiducia per integros ſex menſes de vino illo ſuperſtite largiter in pauperes diſtribuit, ſtupentibûs haud immeritò illîs, quibus res iſta inſolita innotuit, & alterum Eliſæum illum proclamantibûs. *Ex Gabriele Pennotto l.* 3. *c.* 51. *n.* 3. *& aliis.*

B. Fulgentius Cremonenſis chari-

charitate in DEUM, & proximum admirabilis fuit. De eo ſcribitur in catalogo Epiſcoporum Cremonenſium iſtis verbis: *Beatus Fulgentius Cremonenſis Ordinis Canonicorum Regularium clarus habetur.* Joan. Philipp. in Chronica *l. 6. c. 38.* de illo teſtatur apud Pennottum *l. 3. c. 51.* quòd fuerit Spiritu ſancto totus ignitus, & per civitates & caſtella verbum DEI continuò diſſeminârit, ac concurſus populorum ad eum frequens factus ſit propter ſanctitatem vitæ, & mirabilia, quæ circa illum Dominus operabatur. Hic vir DEI Venetiis intravit ex inſtinctu S. Spiritûs carcerem, ubi ad mortem adjudicatum, ſed impœnitentem, ac deſperatum, mutato habitu, liberum abire fecit, ſe ſéque occidendum expoſuit. Ferrariæ peſte laboranti magna ſuccurrit charitate, dum lue infectis ubique inſerviebat, & per compita civitatis ſparſa paſſim cadavera inquirebat, & ſepulturæ mandari ſtudioſiſſimè curabat. Hæc inter charitatis opera Divinâ præſervatus ope, nilque læſus fuit à contagione peſtifera. Senectute tandem & meritis plenus circa Annum 1470. ſanctè obiit, antidotum nobis univerſale relinquens contra peſtes animæ, *charitatem in proximos.* De eo, ſicut & de aliis Canonici Ordinis Sanctis (DEO dante) alibi tractabimus. Ne autem patriæ noſtræ exempla prætereamus, in medium ea quoque adducemus ſtrictô calamô, ut in partibus noſtris virtutis defectus neutiquam credatur.

Joannes Rothuet Bojus, celeberrimi Collegii Undenſis Prælatus digniſſimus, zeli eximii vir, nondum clavo ſui Collegii admotus, jam à Principe Bavaro conſtitutus fuit Collegiorum ſuæ Provinciæ Viſitator: cui non tantùm Ordinis noſtri domicilia, uti S. Crucis, & S. Georgii Auguſtæ Vindelicorum, Dieſſenſe, Rorenſe, Dietramicellenſe &c. verùm etiam quædam S. Patriarchæ Benedicti in Boiaria Monaſteria morum mutationem debent. Ut dignitate cæteros præceſſit, ita virtute, quâ nullâ carebat (inquit compilator Chronici Undenſis) aliis facem prætulit. Rudi veſtiebatur amictu, contentus una tunica, & ſuperpelliceo. Utebatur triginta omnino annis uno cingulo ac toga, verus Religioſæ paupertatis amator. Verùm non ita paupertatem in ſe amavit, quin pauperum inopiæ plurimùm ſubveniret, in quos largas eleemoſynas erogabat. Corpus ſuum jejuniis exhauſtum, cilicio, atque nodoſo flagro, acubus immixtis horrido, magis ac magis domabat, de nocte verò duro aſſeri indormiebat, ſomni parciſſimus, multùm verò orationi addictus. Albertus Bavariæ Dux, cui Joannis virtus atque prudentia probè perſpecta erat, eundem, licèt ob animi modeſtiam reluctantem, in conſcientiæ ſuæ Arbitrum, atque intimum conſiliarium elegit.

elegit. Is verò, ne muneri ſuo deeſſet, non verebatur Ducem ipſum, alióſque Primates erratorum ſuorum admonere, imò, ſi opus erat, acribus etiam verbis redarguere. Ut verò & cœnobio ſuo Undenſi conſuleret, collapſam ibi Canonicam diſciplinam reſtituit conſcriptis ſaluberrimis conſtitutionibus, quas poſtmodum Apoſtolicæ authoritatis robore confirmari fecit. Eas etiam alia in Patria noſtra Collegia non ſine ingenti Regularis diſciplinæ emolumento ſervandas poſtea acceptârunt. Fatali morbo correptus Religioſos ſuos Canonicos, ad ſe vocatos, ad fraternam charitatem, Regulæ, ac Conſtitutionum exactam obſervantiam adhortatus eſt: tum Sacris ritè munitus triduo pòſt, nullô interim ampliùs prolatô verbô, Chriſti è Cruce pendentis effigiem manu tenens piè deceſſit ſub Angelicæ ſalutationis pulſu 9. Novembris Anno 1470. ætatis 88. Religionis 57. Petiit, dum viveret, ut demortui corpus ſine faſtu, aut alio ſolemni ritu in communi cœmeterio cum pauperibus terræ mandaretur. *Ex Chronico Collegii Undenſis.*

ARTICULUS IV.

De virtute Patientiæ in adverſis.

SUMMARIUM.

158. *Patientia eſt ſuſtinentia malorum: quæ*
159. *Sunt in duplici differentia: quædam poſitivi, quædam negativi generis.*
160. *Tres modi, & gradus patientiæ exponuntur.*
161. *Adverſitatum cauſæ ſunt Deus, homo, res naturales, & fraus dæmonum.*
162. *In iſtis quomodo gerere nos oportet erga DEUM.*
163. *Erga homines.*
164. *Erga res etiam inanimatas, & fraudes diabolicas.*
165. *Tria potiſſimùm notanda in omni adverſitate.*
166. *Quatuor virtutem patientiæ acquirendi rationes.*
167. *Motiva ad hanc virtutem inducentia.*
168. *Amor proprius, & amor Crucis militant invicem.*
169. *Praxes variæ patientiæ.*
170. *Quando licet ſe defendere contra adverſariorum calumnias?*
171. *Regulæ tres limitantes.*
172. *Objectio contra dicta ſolvitur.*

Recen-

158 RECenſuimus ſupra *n.* 112. triſtitiam, & dolorem, ex adverſis provenientes, pertinere ad appetitum concupiſcibilem; cùm quivis ita à natura ſit comparatus, ut naturaliter cupiat, appetat, & laboret id omne à ſe depellere, quod triſtitiæ malum ſecum invexit: ac propterea juxta Ariſtotelem: *nemo poteſt diu permanere in triſtitia ſine delectatione*: qua unde demum quæſitâ illam excutiat, ſéque liberum reddat. Experientiâ autem conſtat, nihil magìs damnoſum eſſe Religioſis, & præſertim Novellis, quàm inordinatam triſtitiam, quæ difficultatis metum ingerit, virtutem in exercitio ſuo ſuffocat, prohibitas delectationes quærere docet, & ſi quæſitîs, ut in S. Religione decet, fruſtratur, in perniciosiſſima mala, ac in ultimam animæ ruinam deſperatione deducit. His proin malis avertendis virtus patientiæ opponitur: *per quam bonum rationis conſervatur contra triſtitiam, ne ſcilicet ratio triſtitiæ ſuccumbat*: ut docet S. Thom. *2. 2. q.* 136. *a.* 1. *in corp.* Unde patiens dicitur ex hoc, quòd laudabiliter ſe habeat in patiendo, quæ præſentialiter nocent, ut ſcilicet non inordinatè ex eis triſtetur; S. Th. *a.* 4. *hic ad* 2. ubi patientia dicitur pars fortitudinis, cujus eſt regere timorem & audaciam, pericula etiam mortis propter DEUM, aut proximum non metuere, in graviſſimis difficultatibus ab incœpto non deſiſtere, & mala futura non fugere &c. Patientia verò cùm S. Thom. *a.* 4. *ad* 1. propriè eſt *ſuſtinentia quorumcùnque malorum*, quæ ſolent homini triſtitiæ cauſa eſſe.

Pro hac autem virtute, Tyronibus cum vero fundamento addiſcenda, ac ordinatè tradendâ, notandum eſt 1. res illas, quæ in nobis triſtitiam cauſant, eſſe in duplici differentia: aliquæ enim diſplicent amori noſtro, & immediatè corpus moleſtiâ & dolore afficiunt, quibûs perceptîs etiam animus tandem affligitur: tales res ſunt morbi, dolores in aliqua corporis parte, morſus pulicum, durities lecti, vigiliæ, fatigationes, aëris inclementia, frigus & æſtus, fames & ſitis, aſperitas veſtium, cubiculi incommoditas, & univerſim ea omnia, quæ immediatè corpori moleſtiam afferunt. Aliquæ verò diſplicent amori proprio, & immediatè mentem noſtram affligunt, & acerbè cruciant; quales aut ſunt *poſitiva*, uti ſiniſtra aliorum judicia, & opiniones de ingenio, prudentia, arte, ſcientia, & aptitudine noſtra ad certas functiones, officia; item accuſationes noſtri ſive veræ, ſive falſæ, temerariæ, & calumnioſæ malevolentiæ, verbîs aut ſignîs apertîs oſtenſæ, doloſæ machinationes aliorum circa nos, ſubtili & artificioſo pallio, at à no- 159

Digitized by Google

à nobis animadverſæ, aut cum quadam noſtri ruina perceptæ, publicæ & privatæ detractiones, infamiæ, vituperationes, defectuum parvorum exaggerationes, aſperæ Superiorum correctiones, tentationes, ſcrupuli, ſpirituales animæ deſolationes, itémque mali ſucceſſus in noſtris occupationibus, officiis, virtutibus, ſtudiis &c. Aut *negativa*; ſi non ad officia applicemur, ſi negligamur, ſi à Superioribus, & æqualibus nulla amoris, benevolentiæ, ac fraternæ compaſſionis ſigna percipiamus, ſi in nullo veram confidentiam ponere poſſimus, à nullo in neceſſitate auxilium, defenſionem, vel commodum habeamus, derelicti, abjecti, & facti tanquam purgamenta hujus mundi &c. quæ omnia mirè ſolent mentem noſtram affligere, amori proprio immediatè diſplicere, & acrem in animo generare triſtitiam.

160 Notandum 2. tres eſſe modos, prædicta vel ſimilia nobis adverſa æquô ferendi animô, nempe *patienter*, *libenter*, *ardenter*; prout expreſſit S. Bern. *ſer.* 1. *de S. Andrea*: quos tres modos DEUS Pater etiam docuit S. Cathar. Senenſ. *dialog. c.* 96. *patienter*, *libenter*, & *cum ſummo gaudio*, *vilipendendo omnem recreationem* (in comparatione ferendæ crucis adverſantis) *undecunque ſibi provenire poſſit*, *anxiè deſiderans habere conformitatem cum unigenito Filio meo JESU Chriſto crucifixo &c.* Atque iſti modi, qui etiam patientiæ gradus & perfectiones vocantur, tunc exercentur, ſeu potiùs ipſa patientia ſecundùm tres aſſignatos modos exercetur 1. quando durante adverſitate aliquis DEUM, aut proximum non offendit aliquâ impatientiâ, inordinato affectu, verbo, facto, aut ſigno expreſsâ; quod eſt *patienter* ferre. 2. quando adverſa non tantùm ſinè DEI offenſa, patienter tolerat, ſed etiam libenter, & quaſi obviis brachiis acceptat, dicens cum Davide: *bonum mihi Domine*, *quia humiliaſti me*: quod eſt *libenter* ferre. 3. quando inſuper cum gaudio, & ſpirituali lætitia ſuſcipit ultrò patiendi occaſiones, velut quaſdam animæ delitias quærit, ac iis conſolatur cum Apoſtolis gaudentibus, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati. Quali in adverſis ſenſu S. P. N. Aug. à Numine petiit, ut hìc ureret, hìc ſecaret, modò æternùm parceret. Et S. Franciſc. Xaver. exclamâſſe dicitur: *amplius Domine*, *amplius*. Et hoc eſt perfectiſſimæ patientiæ ſignum, ferre *ardenter*.

Primus gradus eſt incipientium & Tyronum, qui ſtudeant in ſuis adverſis, tentationibus & probationibus, correctionibus, & injunctis ſibi pœnis DEUM non offendere, Superioribus ſuis propterea non malè cupere, ſed omnia patienter ſuſtinere, juxta regulas *n.* 21. & 23. datas. Secundus gradus eſt proficientium: & tertius

eſt perfectionem ſpiritualis vitæ aſſequentium.

161 Notandum 3. tres eſſe cauſas præcipuas adverſitatum noſtrarum; aut enim DEUS ad probationem, ſicut Jobo, immittit; vel permittit eas non impediendo; aut eæ proveniunt ab hominibus, aut ab ipſis rebus, naturaliter vel fraude diabolica incidentibus. Quæ itaque in triſtitia à tribus his cauſis promanante obſervanda, & qualiter etiam noſipſos circa illam habere debeamus, breviter ſecutura monita ſunt capianda.

162 Erga DEUM, dum adverſitates, calamitates, ac deſolationes nos exagitant, ita bene ſimus affecti, ut non modò non offendamus, ſed ei pro illis, tanquam pro beneficiis, gratias agamus; ſicut fecerunt tres pueri in fornace Babilonica, S. Job, nomen Domini benedicens, omnéſque Sancti virtute patientiæ inſignes: *Chriſtianorum enim propria virtus eſt, etiam in his, quæ adverſa putantur, gratias agere Creatori*: ita S. Hieronymus in *c. 5. Ephes.* Secundò: majores ab ipſo inſuper petere, ac deſiderare debemus; & quò majores afflictiones ſentiamus, eò feliciores nos, tanquam Beneficiis DEI copioſioribus ditatos, credamus; prout S. Franc. Xaver. feciſſe, ſuprà conſtat. Quòd ſi hoc durum videtur, petamus ſaltem ab ipſo auxilium, patienter tolerandi adverſa, & piis cogitationibus, neceſſitatem & utilitatem crucis repræſentantibus, nos corroboremus. Tertiò: non conqueramur apud ipſum de immiſſis, & à proximo cauſatis malis, ſed pro perſecutoribus noſtris orare ex toto corde debemus DEUM; ſicut ipſe nos docuit *Math. 5. orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Nunquam autem petere ab ipſo debemus, ut ab adverſis, quibus premimur, nos liberet, aut miriora reddat, præſertim ſi ſoli patiamur, & non alii, ac etiam vires ſufficientes æquô animô ſufferendi per gratiam DEI in nobis ſentiamus; hoc enim eſſet beneficiorum cœleſtium fontem ſiſtere, ne tam copioſè nobis influat: quod Tyronibus æquè, ac Veteranis bene notandum eſt.

Erga homines, qui nos quomodolibet affligunt, conſervandus 163
eſt animus liber ab omni inordinato affectu; & iſtum verbis, factis, vel ſignis odii, iræ &c. nunquam oſtendere debemus: ſed potius retinendum eſt cor intra limites manſuetudinis. 2. Sincero mentis affectu diligendi ſunt ſive amici, ſive inimici, qui nobis adverſa cauſant. 3. Inſuper amor noſter externus demonſtrandus eſt, bene de adverſariis noſtris loquendo, ſignîs honorificîs data occaſione, imò & beneficiîs eos afficiendo, ſecundùm exemplum Chriſti id facientis, & nos commonentis *Math. 5. diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Unde S. Chryſoſt. *hom. 22. in Epiſt. ad Rom.* eos, *qui nos*

Digitized by Google

nos inſectantur, nominat *præmiorum nobis procuratores.*

164 Erga ipſas res inanimatas, ſupra *n.*59. explicatas, ita ſimus comparati, ut eas pro injuria non habeamus, & magis æquiparemus cum noſtris quotidianis peccatis, licèt venialibus, quæ longè graviùs DEUM infinitum bonum offendunt, quàm noſtrum corpus adverſæ res. 2. Æſtimandæ ſunt, tanquam Divina beneficia, proinde æquô ferendæ animô. Ita P. Balthaſ. Alvarez adverſitates vocabat grandinem auream è cœlo cadentem &c. & vehementer locupletantem eos, qui ſciunt eſſe patientes; uti refert P. Lanc. *opuſc. de* 4. *F. ſ. mihi* 221. 3. Non ſunt à nobis declinandæ, aut avertendæ, dum ingruunt, ſed ante invaſionem eas tanquam adventuras prævideamus, nóſque ad fortem patientiam obarmemus; *minus enim jacula feriunt*, teſte S. Greg. *hom.* 17. *in Ev. quæ prævidentur*, *& nos tolerabiliùs mundi mala ſuſcipimus*, *ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur.* Poſt actualem verò earum ingreſſum, habeamus nos fortiter, id eſt, *patienter*, *libenter*, & *ardenter*; ut ait S. Bern. etſi dein à Diabolo eſſent excitatæ; cùm ab impio medico ſalutare poculum, ab inimico theſaurus non eſſet reſpuendus, ita ab illo cauſatæ adverſitates ſunt recipiendæ: de quo etiam ſupra *num.* 7. doctrinam dedimus.

165 Porro circa nos in adverſis tria potiſſimùm obſervanda ſunt; & quidem 1. non cadam⁹ animô, dum etiam tempeſtatis adinſtar cadunt ſuper nos adverſitates, ſed ad generoſam tolerantiam erigamus mentem noſtram judicio DEI, innocentiæ conſcii, &, ſi inſontes patiamur, dicamus cum S. Paulo: *ſi DEUS nobiſcum, quis contra nos*? Si verò nocentes ſimus ob peccata noſtra, dicamus cum fratribus Joſeph: *meritò hæc patimur*, *quia peccavimus in fratrem noſtrum*, vel in DEUM &c. *idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio*: *Gen.*42. aut cum Latrone converſo: *digna factis recipimus*, *Luc.* 23. *&c.* à bene cœptis non deſiſtamus, dum premunt adverſa, ſed pias conſuetudines, devotiones, ordinarias occupationes non deſeramus; hoc enim patientiæ proprium eſt, non recedere à bono virtutis propter adverſa juxta S. Th. *q. c. a.* 4. *ad* 2. 3. Ex adverſis patienter toleratis meliores, & in vita Religioſa perfectiores fiamus; ſicut adverſante vento majores in terram radices agunt arbores.

Rurſus, cùm perfectio conſiſtat in virtutibus intenſis, ſeu valde auctis per frequentes actus, quatuor animadvertat ſtudioſus patientiæ Tyro. *Primò* quotidie roget à DEO auxilium ſuæ gratiæ, ſine qua non dari veram patientiam docet S. Th. *q. c. a.* 3. 2. Se præparet, tum ab aliis, tum à ſuis domeſticis, ac confratribus tentan- 166

 dum

dum circa virtutem patientiæ etiam in levioribus. 3. Tempore adverſitatum priores tres regulas in actum redigat; nempe, *non cadat animô*, *non deſiſtat à bono*, *æquanimiter ferat*; ſic enim fiet melior. 4. Pias adhibeat conſiderationes, quibûs ſe corroboret, ac bonam ſemper faciat intentionem ſuſtinendi propter Deum; ſine tali enim intentione nullum fieri opus bonum ſupernaturale, ac meritorium, certum eſt: de quibus & nos ſuprà de virtutibus in genere ſatìs egimus.

167 Motiva verò ſeu incitamenta ad patientiam fuſiùs alii Aſcetæ explicant; quæ hìc breviſſimè ex P. Lanc. *opuſc. de* 4. *F. c. 6.* tranſpono pro conſideratione in concurſu tribulationis, ſine difficiliori ratiocinio cuilibet aptanda. 1. Igitur cogitet tempore adverſitatis, quòd ſit fatalis vitæ humanæ, & mutabilis neceſſitas, ex qua virtutem facere, & neceſſitatem vertere oportet in voluntatem: velis enim, nolis, patieris; felicior certè, ſi velis, quàm nolis. 2. Peccata ſunt flagella noſtra, quæ quotidie meremur: illa ſunt quodammodo infinita, cùm offendant DEUM bonum infinitum; hæc, ſcilicet adverſa, ſunt limitata, finita. 3. Eſt ſtatus Religioſus, ſtatus afflictionis, crucis, & pœnitentiæ; ut in *cap.* 1. *a.* 1. patet. 4. Per adverſitates purgatur anima juſti à culpa peccatorum, & ab his præſervatur; pœnæ etiam peccatis debitæ, in purgatorio igne exſolvendæ, remittuntur, & delentur. 5. Adverſa patienter tolerata ſunt vera DEI beneficia; quia animam ditant, meritorum theſauros eximios conferunt, augent in hac vita, & cœleſtem gloriam in altera. 6. Per adverſa citiùs ad heroicam pervenitur virtutem, & eximiam in vita Religioſa perfectionem; & ſunt inſtar *velocium poſtarum* (ut ajebat P. Balt. Alvarez) & inſtar ignis, *paleam* imperfectionis *in cinerem vertentis*, & *auro* virtutis *ſordes tollentis*, teſte S. P. N. Aug. *in Pſal.* 21. S. quoque Greg. *L. 5. mor. c.* 13. *in Job* 4. aſſerit apertè; *quia perfectio de patientia naſcitur.* 7. Sunt ſignum Divini in nos amoris; quem enim diligit Dominus, caſtigat: *flagellat autem omnem filium, quem recipit: Hebr.* 12. 8. Sunt inſuper ſignum ſolidi & veri noſtri in DEUM amoris; amicum enim adverſa probant. 9. Malum ſignum eſt, ſine adverſitatibus vivere; bonum autem, ſi illæ adſint: quia avellunt animum à terrenis cupiditatibus, & convertunt ad DEUM, ac cœleſtia. Ita multi vocati per adverſa ad ſtatum Religioſum raram dein ſanctitatem conſecuti ſunt: pertinere etiam illa ad ordinariam vocationem *cap.* 1. probavimus. 10. Per adverſa piè tolerata ſimiliores Chriſto efficimur, diabolum tentantem, & homines affligentes vincimus, ad orationem

mens

Digitized by Google

mens noſtra magìs diſponitur; uti ait S. Laur. Juſt. *de orat. c. 5. affe-ctuoſiſſima* enim, *& defæcatæ preces ad DEUM effunduntur ab afflictis*: eósque conſtanti orationis dono Divinitùs confortare, & ſolatiis cœleſtibus recreare ſolet DEUS. O ſancta patientia! quis te non ſuſcipiat, quis cruces non ambiat, quis adverſa omnia patienter, libenter, & ardenter non ferat? dum ita accumulas merita, quis non clamet in cœlum? amplius Domine, amplius! Hîc ure, hìc ſeca, modò æternùm parcas!

168 Cùm ad perfectam virtutem patientiæ ardens crucis amor pertineat, ſeu appetitus quidam adverſitatum, ac ſpiritualis in illis guſtus, amor verò crucis ſe extendat etiam ad ſubtrahenda omnia ſolatia jucunda amori proprio (cui amor crucis directè opponitur) ideo, quidquid *amor proprius* adinvenire ſolet pro avertenda, impedienda, & minuenda cruce ſibi moleſtâ, *amor crucis* contrario labore ſemper nititur, ne adverſa, & moleſta minuantur, & ne unquam ſubtrahatur patiendi materia. Ut autem hoc ritè præſtetur, præter illos modos, qualiter nos in adverſis circa DEUM, circa homines, circa nosipſos, & circa res ipſas habere debeamus, ſequentes adhuc aſſignant Aſcetæ, quos ſuccinctè majoris perfectionis cupido Tyroni ad piam praxin trado.

169 Primò itaque adverſariis tuis, te perſequentibus, non reſiſte, aſperô verbô non reſponde; ſed tace. 2. Si ſentis adverſitatem, aut illatam injuriam, noli inquirere illius authorem, vel cooperatorem, neque quomodo dictum, vel cur factum de te ſit in illa re, quæ te affligit; tali enim inquiſitione diſponitur homo in actu primo ad inordinatos affectus erga adverſarios ſuos, nutritur amor proprius, & cor ad impatientiam laceſſitur. 3. Noli te excuſare, & repugnare, ſi à Superioribus etiam inauditus condemnaris: ubi verò legitimè ab iis interrogatus fueris, id præcisè reſponde, quod ad interrogationem ſufficit, omiſsîs circumſtantiîs tuam innocentiam, & adverſarii culpam magìs declarantibûs. Si verò Superior exigeret pleniorem rei notitiam, ſtudiô obedientiæ, ſinè cupiditate vindictæ, aut levandæ crucis, omnia ſunt aperienda. 4. Nec etiam te purga coram illis, quos te accuſâſſe, aut injurâſſe ſcis, aut ſuſpicaris; ſed diſſimula, & oſtende te etiam neſcire illorum contra te dicta & facta. 5. Nec etiam te purga coram iis, qui ſunt addicti adverſariis tuis, qui ſcientes innocentiam tuam defenderent te. 6. Nec te purga etiam coram iis, qui non ſunt addicti adverſariis tuis; quia hi compaterentur ſaltem tibi, & compaſſione ſua tuum lenirent dolorem. 7. Noli etiam nuda narratione in genere aut in ſpecie manifeſtare crucem tuam

aliis, aut fletu oſtendere internum dolorem, ſed potiùs hilarem geras vultum; quia hac ratione animæ intentio ad exteriora diſgregatur, & ſic dolor minuitur interior; ut docet S. Th. 1. 2. *q.* 38. *a.* 2. ſtudioſus autem crucis Chriſti amator ex nulla parte crucem ſibi debet diminuere. 8. Adverſarios tuos coram aliis nunquam manifeſta, honorificè de iis loquere, nullam indignationem ſermone, aut aliis geſtibus præferas; imò, quantùm potes, obſequiis & beneficiis affice. 9. Neque à DEO tui defenſionem & levamen tribulationis pete, ſed potiùs ex amore Chriſti crucifixi, ut te hâc viâ ob peccata tua magìs atterat, premat, & purificet. 10. Ob acceptas injurias & infamiam etiam in mortis articulo noli te purgare, aut innocentiam detegere exemplô Chriſti, qui non deſcendit de cruce, & caſtiſſimæ Suſannæ, ad infamem mortem deſtinatæ, quæ à DEO liberari non petiit, ſed inimicos ſuos tacendo vicit; ut inquit S. Aug. *ſer.* 18. *de temp.* 11. Noli coram DEO in ſecreto crucem tuam commemorare, lacrymîs deplorare aliorum malitiam, tuam innocentiam prætendere; ſed potiùs age gratias, quòd patiaris aliquid pro eo; etſi in agendo gratias magnam in parte inferiori ſentias repugnantiam, nullam dulcedinem, aut ſpiritualem conſolationem. 12. Aliorum inurbanos mores, & antipaticam tuorum confratrum naturam, tuæ naturæ valde contrariam, eorum actiones, v. g. ſi vicinus in cubiculo frequenter obambulando, fores cum impetu claudendo, in menſa majores partes ſibi aſſumendo, minores & deteriores tibi relinquendo, inquietè ſedendo, voraciter edendo, gulosè bibendo, in choro remiſsè cantando, negligenter pſallendo, nimìs properando ſine pauſa, verba minutatim proferendo, quædam omittendo, vagabundè circumſpiciendo, errando, frequenter exſpuendo, luminaria choralia non tempeſtivè præparando, & accendendo, ſerò veniendo &c. moleſtiam tibi creet, ita patienter feras, ut nunquam de illo conquereris apud alios, qui ipſum deſuper admoneant; in quibus tamen regula ſecunda infra *n.* 171. obſervanda eſt. Tales enim moleſtiæ, etſi leves, propter frequentiam & zelum internum tamen valde cruciant amorem proprium, dum nunquam manifeſtantur, & ſunt cauſa quotidianæ defœcatæ mortificationis, ſinè qua nullus dies Religioſo abire debet. 13. Dum ſentis aliquam indigentiam medicinæ ob morbum, vel defectum veſtium ob frigus, non ſtatim à Superioribus petas, ſed priùs patienter tolera; & tandem majore adveniente neceſſitate, exige cum conteſtatione magnæ tuæ in Superiorem fiduciæ. 14. Invaleſcente frigore nihil de ſolitis actionibus diur-

Digitized by Google

diurnis in cubiculo intermittas, nec proptetea in choro nimìs properes, & in muſæo non ſtatim ad fornacem accurràs, ſed offeras priùs Deo tuam in ferendo frigore patientiam. 15. Morum tuorum inquiſitiones, riſus aliorum, & aculeata verba, ac vexationes ſtude ſine mutato vultu portare, nec propterea te à converſatione communi ſubducas; ſignum enim id eſſet fugæ crucis, & ſuperbiæ. 16. Si ſentis moleſtiam, dum alii te laudant, noli eos impedire; duplex enim inde reportas beneficium, *patientiæ*, moleſtiam hanc cum tentatione vanæ gloriæ ferendo, & *humilitatis*, dum alii te libenter tuam laudem audire, & in ea vanè complacere, ſuperbum te credent: hoc etiam haud mediocris crux eſt, aliter te ab aliis judicari vitioſum, qualis vel in toto, vel in parte non es. 17. Si à Superioribus tuis ultra meritum reprehenſus fueris, noli manifeſtare id aliis, nec priorem affectum immuta, aut triſti vultu circumeas, ſed DEO commendando, ac id pro gratia habendo ne deficias: ſi verò reſcias, Superiorem meliùs informatum honorificè de te locutum, benigno affectu & aliquo beneficio te proſecutum fuiſſe, id rurſus nemini indica, retine apud te, & ſolatium, quod haberes aliis tuam innocentiam indicando, amori proprio ſubtrahe, ut magìs patiaris. Univerſalis tandem tibi ſit Regula; ut ex omnibus, quæ naturæ repugnant tuæ, tanquam Religioſa apicula patientiæ mel exſugas, quod ſpirituali guſtui eò ſuavius erit, quò libentior in conquirendis adverſitatum floribus, & ardentior in exercendo fuerit labor; nam *de forti* in adverſis *exivit dulcedo* ſanctæ Patientiæ.

Quæres: an non ſit contra bonum patientiæ, quandoque licitîs & honeſtîs modîs effugere adverſitates, amori proprio moleſtas, contra adverſariorum objecta nos defendere, ac innocentiam repulsâ calumniâ demonſtrare? 170 Reſpondeo, triplicis generis eſſe adverſitates: 1. aliquæ enim ſunt contra fidem, ſalutis noſtræ fundamentum; ut ſi ab adverſariis tuis tanquam Hæreticus, aut ſuſpectus de morum aut fidei doctrina, coram Superioribus accuſeris, vel apud plebejos etiam diffameris. 2. Aliquæ ſunt non uni tantùm, ſed communitati, S. Ordini, familiæ, aut pluribus innocentibus nocivæ: quales ſunt quædam diffamationes Religioſorum apud exteros. Tandem 3. aliquæ ſunt uni perſonæ ſolùm nocivæ ac moleſtæ, ut in aliorum damnum non redundent. Hîs præſuppoſitîs, ſecundùm principia Theologica certum eſt, non tantùm licere, ſed etiam debere primi generis adverſitates patientem ſe ab objectis defendere: ita feciſſe S. Antonium contra accuſationes Alexandriæ, S. Baſilium, & Cyrillum de hæreſi accuſatos, qui ſe publicis epi-

epiſtolis & orationibus ſtrenuè defendebant. Simili ratione contra Fauſtum, Secundinum, Pelagianos, & Manichæos, alióſque Hæreticos ſe ſuámque doctrinam ſtrenuè tutatus fuit S. Auguſtinus; utì ex tot integris libris, ea propter conſcriptis, patet. Ratio autem hujus eſt: quia tales adverſitates ſunt ſaluti animæ, ejus meritis, & Eccleſiæ bono nocivæ &c. Secundi generis adverſitates pariter ſunt fugiendæ defenſione, excuſatione, & quoquô modô: unde univerſalis regula eſt, injurias quaſcunque, & adverſitates à nemine poſſe patienter tolerari, ſi hæ *vergant in periculum aliorum*, *aut in detrimentum famæ alterius*; ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 73. *a.* 4. *ad* 1. *& q. priore a.* 3.

Tertii verò generis adverſitates, propriè pertinentes ad patientiam, cujuslibet arbitrio ſubſunt; & *ideo in hoc poteſt commendari ejus patientia*, *qui patienter proprias detractiones*, *injurias*, *ac amori proprio adverſa ſuſtinet*; uti *cit. a.* 4. *ad* 1. ait S.Th. Atque has non debere nos declinare, impedire, aut effugere, ad quæſitum reſpondetur, ſi virtutem patientiæ in nobis exprimere, ejúſque fructus percipere velimus; ſicut præſenti articulo oſtendimus.

171 Ne tamen ejuſmodi adverſorum moleſtias & confuſiones ſuas indiſcretè ferant Religioſi, putantes in ſua taciturnitate exercere ſe patientiam, hæc ſibi bene notentur 1. ut Superiori ſciſcitanti, vel expreſsè vel per ſigna rei ſeriem ſibi explicari cupienti, omnia, prout revera contigerunt, manifeſtent; ſilentium enim in tali caſu inobedientia aperta eſſet, & culpæ reum conſtitueret. 2. Si cauſatæ ab aliis moleſtiæ à pietatis officiis, aliíſve impedirent, virtutum & religioſæ diſciplinæ ſtudium minuerent, aut credulorum judiciô ad occupationes promovendæ majoris DEI gloriæ aliquem ineptum redderent, debet ſe is vera purgatione defendere, errorem aliorum detegere, & iniquitatem à ſe repellere: ita docuêre S. Chryſoſt. *L.* 5. *de Sacerdotio.* S. Thomas locô ſupra citatô. S. Aug. *Epiſt.* 124. *ad Alipium*, & 225. *ad Albinam.* Cujus S. P. N. diſcretam doctrinam etiam ſupra *n.* 145. ad noſtræ vitæ normam propoſuimus. Ita pariter ſuos Novitios informavit S. Bonaventura *p.* 1. *c.* 6. *de inform. Nov.* 3. Ut tamen iſta *defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ* (ut ajunt Theologi) aut ſinè peccaminoſa vindicta fiat, ferventi ad DEUM præmiſſa oratione, conſtituant ſe in quodam mentis æquilibrio, omnem erga adverſarios averſionem deponant, & potiùs ad ferendam æquô animô injuriam, quàm ad ſui defenſionem propendeant: tandem à Superiore, vel Confeſſario, vel alio ſatis ſpiritualis prudentiæ viro conſilium petant, & ita in Domino faciant,

quod

quod bonum & æquum videbitur.

Plura hac in re planè eximia, non tantùm Novitiis, ſed etiam Veteranis, tam inferioribus, quàm Superioribus aptanda, præſcripſit *opuſc. de 4. F. c. 5. & opuſc. 9.* Venerandus Pater Nicolaus Lancicius, doctrinæ, ſapientiæ aſceticæ, & ſanctitatis opinione apud Lithauanos, Polonos, & Bohemos clarus. Cæterùm hæc de patientia doctrina concordat cum illa, quam de humilitate, & ferenda noſtri confuſione, præſertim *n.* 144. & 145. ex mente S. P. N. tradidimus.

172 Dices. S. David in ſuis pſalmis frequentiſſimè ab inimicis perſequentibus, à periculis, aliiſque malis liberari petiit à DEO: ídque etiam S. Eccleſia publicis precibûs, & in Miſſis facit; ergo & nos pro avertendis adverſis DEUM precari poſſumus, quin ſit contra aſſignatum patientiæ bonum.

Reſp. S. Eccleſiam, & Davidem liberationem à malis, non uni, ſed totis communitatibus nocivis, petere; uti ſunt bella, peſtilentiæ, Hæreticorum impugnationes &c. vel etiam petere à DEO, ut adverſitates abigantur ab illis privatis, tanquam communitatis membris, & à quolibet in particulari, qui ob defectum virtutis patientiæ propter adverſa, quæ ſine peccato tolerare neſciunt, animæ periculum ſubeunt. Eos verò, qui cum Dei gratia omnia ſuſtinent, liberari à DEO non precatur S. Mater Eccleſia; imò potiùs nulla mundi adverſa formidare hortatur, & ſuîs precibûs majorem gratiam impetrare nititur ad augmentum meritorum, & ſecuturæ patientiam gloriæ; atque ita patientes pari cum Martyribus gloriâ veneratur. S. P. N. Auguſtinus *conc. 3. in pſal.* 30. alios inimicos intelligit, *contra quos orandum eſt: illi inimici ſunt diabolus, & angeli ejus: ipſi nobis invident regnum cœlorum &c. Ab his oremus erui animam noſtram.*

In forma ſcholaſtica ſi placeat Tyroni reſpondere, ita breviter diſtinguat antecedens: S. Mater Eccleſia, & S. David petunt liberari à malis, quæ pluribus & toti communitati nocent; concedat: quæ tantùm uni privato homini nocent; neget antecedens. Et hoc majoris claritatis gratiâ rurſus ſubdiſtinguat: S. Eccleſia precatur, liberari ſuos à malis, quæ etiam uni tantùm nocent in perniciem ſuæ animæ propter admiſſam impatientiam; concedat: quæ non nocent, ſed proſunt ad ſalutem & augmentum meritorum propter ſuam conſtantem patientiam; neget antecedens: tales enim tanquam genuinos filios cum Chriſto *Math.* 10. in adverſis generosè hortatur: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ad conſequentiam ℟. ergo & nos pro avertendis adverſis Deum precari poſſumus; ſi toti communitati,

aut etiam cuiquam in particulari propter ejus impatientiam noceant; concedat: ſi propter alicujus patientiam proſint, & ſolùm propter ſuam moleſtiam corpori noceant; neget conſequens, & conſequentiam. Magìs enim petere debemus à DEO auxilium, adverſa æquô ferendi animô, quàm ut ea, tanquam inſignia beneficia, ab illo à nobis avertantur; ut ſupra diximus in hoc articulo. Cæterùm inſignem iſtam virtutem plurimîs tum Sanctorum, tum aliorum pietate vitæ, ac ſanctitatis opinione clareſcentium, exemplîs illuſtrare poſſemus, niſi prolixitatem majorem evitandi mens eſſet: ſpero tamen, duobus allatis contentum fore Religioſum Lectorem.

DE FORTI DULCEDO.

Ænigma fuit, Philiſthæis à fortiſſimo Samſone propoſitum, & ab iis ſolutum hiſce: *quid dulcius melle, & fortius leone?* Exponunt quidem S. Aug. ſup. *c.* 14. *Jud.* & M. Hugo de S. Vict. *l.* 4. *c.* 16. Samſonem Chriſtum, Leonem Diabolum: Samſon de faucibus leonis extraxit favum; & Chriſtus de faucibus Diaboli genus humanum. Samſon ſtravit Allophilos, & Chriſtus ſtravit ſpirituales & corporales inimicos &c. Aſt alia jam placet interpretatio. Si quæras; *quid dulcius melle?* reſponſum accipies; *Patientia:* quod mel in ore, id patientia in corde; in hoc dulciorē favô ſuavitatem mellificat, animi quietem, plenámque mentis tranquillitatem, dum adverſa quæque ſuperantur, & patienter tolerantur. Patientia *opus perfectum habet*; *Jac.*4. ex quo maxima cordis lætitia. *Quid fortius leone?* vir fortis in adverſis. Fortis eſt, qui leonem ſuperat; fortior, qui ſe ipſum vincit, & inter ſuppreſſiones ſtat erectus: ita judex ſapientiſſimus pronuntiat *Prov.* 16. *melior eſt patiens viro forti*: ergò rectè de forti dulcedo. En! quantum excelluit incomparabilis fortitudinis, ac patientiæ virtute Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Alanus; cujus doctrina velut mel ex ore leonis conſtans *L.* 3. *vita c.* 7. hæc fuit de patientia in adverſis: „Addictiores vitæ ſpirituali non „aliunde probant, cruces nobis eſ„ſe neceſſarias, quàm ex S. Scrip„turæ textibus *act.* 17. *v.* 3. *opor„tuit Chriſtum pati &c. per multas „tribulationes oportet nos intrare in „Regnum DEI*; *act.* 14. Ratio ta„men iſta non eſt ex fundamento „petita, deſumenda videlicet ex „ipſa natura, & fine adverſitatum, „qui eſt, ut nobis ipſis moriamur, „hæc verò mors vitam beatam præ„cedat, oportet: intrare quidem para-

„ paradiſum poſſumus abſque morte naturali, non tamen ſine ſpirituali; hinc omnes Sancti eandem ſubierunt quocunque tandem modo, ſive dein eorum converſionis initio, ſive poſt illam: DEI etiam Filius videns hanc neceſſitatem, ejus amorem ſuomet exemplo in nobis plantare voluit; quod profectò miræ eſt efficacitatis, dum facit, ut rei, naturæ oppidò contrariæ, noſtrum affectum dicemus: atque in hoc apparet, quomodo gratia de natura triumphet, quando efficit, ut, quod naturam deſtruit, amemus. Priusquam filius DEI pateretur, pauciſſimi cruces amabant: at poſt illius paſſionem urbes integræ cucurrerunt ad martyrium. Pro unione, cum DEO conſequenda, magna puritate opus eſt; hinc eſt, quòd animæ, priusquam ad cœlum evolent, Deóque cum cœlitibus fruantur, purgatorium tranſeant. Cruces, afflictiones, aliæque moleſtiæ hunc effectum habent, & ſunt quoddam amoris purgatorium, in quo amici JESU Chriſti emundantur, illas cum amore & gaudio ſuſtinentes; & præterquam, quòd ſatisfaciant, ingens quoque meritum adipiſcuntur; quod in purgatorio non fieret. Unde conſequitur, cruces ingentes eſſe theſauros, & animæ piæ maximopere conducere, ſi in tolerantiis vivat, & moriatur. Perſecutiones nos purificant, & imperfectionum noſtrarum rubiginem conſumunt, ad gloriam DEI nos inflammant, mundum contemnere faciunt, atque à creaturis nos ſejungunt. Sunt illæ lydii quidam lapides, quibûs DEUS utitur ad dignoſcendum & probandum ſuos. Uſui quoque ſunt ad corroborandos juſtos, haud aliter, quàm tempeſtas continuîs ſuccuſſionibûs arbores firmiores efficiat &c.

Ex hac de ſufferendis patienter adverſitatibus doctrina, quam ſuis Canonicis crebrò, diverſóque tempore dabat optimus Præſul, ſatìs colligere eſt, quanti cruces æſtimaverit. Videamus jam opera patientiæ, quæ generoſô exercuit animô. Imprimis adeò fuit comparatus, ut ſi cunctos tum Abbatiæ, tum Epiſcopatûs proventus amiſiſſet, idcirco ne quidem minimùm conqueſtus fuiſſet. Triſte nuntium de pretioſæ etiam rei jactura æquô tulit animô, benedicens DEUM: quin tam procul ab impatientia aberat, ut diceret, bonorum temporalium jacturam nihil ſibi difficultatis faceſſere, præſertim ſi è cœlo immitteretur, velut per grandinem, aquarum exundationem &c. Aliquando maximi momenti litem pro ſuo Epiſcopatu incœptam, dictante conſcientiâ, & conſulentibus eruditis viris, cum perditam fuiſſe, & ipſum ad expenſas condemnatum,

tum, nuntiatum ei fuiſſet: *benedi-ctus ſit DEUS* (ſubjunxit) *fecimus, quod debuimus*; *DEUS illis condonet.* Et hoc erat ordinarium ejus reſponſum illis datum, qui ea de cauſa ipſi colloquebantur. In morte fideliſſimi amici ſui, qui erat Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. de Barrault, Arelatenſium Archi-Epiſcopus, nullum penitus impatientiæ ſignum edidit; ſed manus ſuas conjungens, & oculos cœlum versùs attollens, DEUM adoravit, laudavítque, dicens, Eccleſiam maximi nominis virum amiſiſſe.

Pariter in jactura honoris & famæ ſe planè heroicum præbuit. Nondum Epiſcopus periculoſam honoris ſubivit aleam, dubitans, utrum obligaretur ſuam innocentiam facere palàm: id Religioſo cuidam Santonenſi, ob virtutem atque raram in rerum ſpiritualium pertractatione prudentiam celeberrimi nominis Viro, propoſuit: hic, cùm aliquantum temporis pro re hac maturiùs ponderanda flagitaſſet, reſponſum denique dedit: *ſe defendere tam bonum eſſe, quàm ſufferre.* Ad quod Alanus: *non igitur hærendum animo*; *ſed tacendum, & ſuſtinendum*: quod etiam reipſa præſtitit ad honoranda opprobria, quêis DEI Filius impetitus fuit; atque hic modus impoſturas, ſuam contra perſonam adinventas, animosè perferendi quotidianus illi fuit. Porro in hoc genere dicere ſolebat, animam in adverſis cordatam *dignum* DEO *ſpectaculum* eſſe. Alia patientiæ inſignis opera hujus digniſſimi Præſulis ſupra *n.* 143. & 148. breviter inſerta ſunt: nobis hæc pauca ad imitationem ſufficiant.

Excelluit quoque hoc virtutum genere Reverendiſſimus & Ampliſſimus Ubaldus Mayer Archidiaconus X. Garſenſis. Natales is modicos quidem fabro parenti in Raiſtingen, Salisburgo verò in RR. PP. Benedictinorum Academia magnos progreſſus in litterarum ſtudio debuit. Inde ad Ordinem Canonicum aſpirans, eundem in celeberrimo Garſenſi Bojariæ Collegio eſt amplexus. Mirâ in B. Cœlitum Reginam devotione fuit à teneris; ita poſtea Religioſus maximè tenebatur. In Decanum illius Eccleſiæ electus materiam obtinuit patiendi ſiniſtra de ſe judicia, quin & periculum omnis perdendæ famæ ſubiit; accidit enim aliquando culpâ cujusdam è famulis, ut una ancillarum geſtaret uterum: res in eo quoque conſtituta erat, ut in ſuſpicionem delicti veniret Ubaldus. Hic autem diſſimulare omnia, intentandam injuriam pro DEI gloria præſtolari, *ardenter* & *gaudenter* crucem non levem hanc in ſe ſuſcipere, adeò ut reſolverit ſe (prout familiari cuidam & in ſpiritu ſatìs probato viro Concanonico poſtea fuit faſſus) nec quidquam contra mutire, ſi palam pro ſtupratore haberetur, ac talis deferretur,

Digitized by Google

retur, ut ſalvus eſſet honor quibuscunque. Aſt in tempore Divinum adfuit auxilium, crimen detectum, atque innocentia, quæ palmâ patientiæ non caruit, omnibus probata, ac integra fama reſtituta fuit. Ad Præpoſituram dein, & Archidiaconatum evectus, quod eſſet ad promovendum conceptæ ſine labe originali Virginis Deiparæ cultum, Religioſiſſimam impendit operam: eam pulcherrimis iconibus depingi, atque carminibus, à ſe compoſitis, & piiſſimum affectum teſtantibus, deprædicari voluit. Paupertati Religioſæ adeò fuerat addictus, ut elegantiùs elaboratum rochetum rejecerit, ſanctum Auguſtinum imitatus, de pretioſa veſte erubeſcentem. Obiit eximium patientiæ exemplar 4. Auguſt. Anno 1648. apud arcem Wilſdenwartenſem. *Ex horto ſacro A. R. D. Joan. Chryſoſt. Hager, ejusdem Collegii Can. M. S. & Georg. Gruebcr ad hunc diem.*

ARTICULUS V.

De Manſuetudine, ejúsque actibus.

SUMMARIUM.

173. *Manſuetudo eſt virtus moderatrix iræ.*
174. *Differt à pietate, miſericordia, & clementia.*
175. *Atque etiam à patientia.*
176. *Incitamenta ad hanc virtutem.*
177. *Varii illius actus aſſignantur.*
178. *Novitiatûs tempus optimum quoad manſuetudinis exercitium in Religioſis domiciliis.*

173 SIcut virtus patientiæ inordinatæ triſtitiæ, quæ ex adverſis accidentibus oritur, ita virtus manſuetudinis iræ opponitur, eam minuit, ac ſecundùm rectam rationem attemperat. Manſuetudo itaque eſt virtus, quæ ſecundùm rectam rationem moderatur iras; prout docet S. Th. 2. 2. *q.* 157. *a.* 2. *in corp.* dum enim aliquis injuriâ impetitur, aut aliô modô moleſtiam amori proprio contrariam patitur, triſtari ſolet; quæ triſtitia inordinata impatientia eſt. Dum autem ab injuriante vindictam appetit, bilem coquit, eámque verbis vel factis in adverſarium evomit, *iraſci* quis dicitur: quam iram ſi vel in toto, vel in parte minuit, non egredi ſinit, nec corde, ore & opere complet, ſed reſtinguit, *manſuetus* vocatur.

Cùm ergo manſuetudo iram minuat, & ita moderetur, ut mens in quodam æquilibrio permaneat, diximus ſupra *art.* 1. *hujus capitis n.* 111. manſuetudinem eſſe in potentia iraſcibili, ut in ſuo ſubjecto.

Digitized by Google

174 Quia verò S. P. N. *l. 1. c. 3. de ſerm. Domini in monte* dicit, *quòd mites ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt in malo; ſed vincunt in bono malum*: quod juxta S. Thomam, fidiſſimum S. Patris Achatem, *c. l. a. 4. q. 3.* videtur etiam ad miſericordiam, & pietatem pertinere: hinc affines virtutes manſuetudinis explicare non abs re erit; magnum quippe affert intellectui lumen, inter ipſas virtutes poſſe diſcernere. Proin *Pietas* eſt virtus, quæ non tantùm iram alteri nocivam cohibet; ſed etiam cupit abeſſe, & removet mala proximorum ex reverentia, quam habet ad aliquem ſuperiorem v. g. ad DEUM, vel Parentem, Magiſtros, & Superiores. *Miſericordia* eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua utique, ſi poſſemus, ſubvenire compellimur; & ſic miſericors cupit removere mala proximorum, quia eorum miſeriæ compatitur; ut habet S. Th. 2. 2. *q.* 30. *Clementia* eſt animi lenitas quoad diminutionem pœnarum, quas Superior inferiori infligere deberet. Et ita reſidet hæc virtus in Superiore, & *eſt diminutiva pœnarum ſecundùm rationem rectam, quando ſcilicet oportet, & in quibus oportet*: S. Th. 2. 2. *q.* 157. *a.* 2. *ad* 1. Omnes iſtæ virtutes quidem indirectè iram coërcent, quia cupiunt à proximis abeſſe mala, quæ aliàs ira appetit iis; ſed tamen propter diverſa motiva, v. g. *pietas* abeſſe cupit mala à proximis propter reverentiam, *miſericordia* propter miſeriam, *Clementia* propter animi lenitatem &c. At verò *manſuetudo* per ſe directè eſt diminutiva iræ, *in quantum removet iram incitantem ad vindictam*; ut habet S. Th. *l. c. a. 4. ad* 3. *& a.* 1. manſuetudo eſt animi lenitas *cujuslibet ad quemlibet* ſine perſonarum reſpectu.

Cùm autem manſuetudo, & patientia conſimiles habeant actus, 175 & eundem effectum, aut fructum, qui eſt mentis tranquillitas ac delectatio, dum ira cohibetur, & adverſa æquanimiter ſufferuntur, ſunt tamen diverſæ virtutes propter diverſas paſſiones, quas regunt, & ordinant. *Patientia* enim paſſionem triſtitiæ, ex adverſis obortæ, regit, facítque hominem accidentes moleſtias *patienter, libenter, & gaudenter* tolerare; ut conſtat ſatis ex Art. priore. *Manſuetudo* verò paſſionem iræ moderatur: unde, ſicut ex impatientia naſcitur ira ſeu appetitus vindictæ adversùs moleſtantes nos, ita ex patientia provenit manſuetudo: & certè nemo facilè patiens invenitur, qui etiam non ſit manſuetus, & mitis.

Incitamenta porro ad hanc 176 virtutem ſunt: 1. quòd humana converſatio, præſertim apud Religioſos, ſtabilitatem loci profeſſos, dura & aſpera evadat; niſi illam manſuetudo mitiget: felix planè, qui in verbo nunquam offendit; ſi autem offenderit, quàm citò ignis noxius

Digitized by Google

noxius iracundiæ, vindictæ, & inimicitiæ exardeſcet, niſi manſuetudo paſſionem refrœnet. 2. Manſuetudo pacem communem in Religioſis cœtibus conſervat, mutuam charitatem inducit; *nihil* enim *jucundius miti animâ*, teſte Chryſoſt. *hom.* 29. *ad pop. Antiochenum &c.* 3. Incredibiles animæ delicias, ſuavitatem, ac tranquillitatem cauſat; anima enim mitis hominis ſolitudini cuidam eſt ſimilis, multam habenti requiem; ſed irati mens hominis foro, & tumultui &c. uti ſub pulchra allegoriâ oſtendit mox citatus S. Doctor. 4. Manſuetudo, præſertim in homine præfervidæ aliàs naturæ & multæ bilis, ſignum eſt certiſſimum magni profectûs in virtutibus; prout teſtatur S. Baſilius: & Greg. Nazian &c. de S. Athanaſio laudat apud P. Lanc. *opuſc.* 10. *de indiciis profectûs cap.* 9. *n.* 165. ubi ait S. Bernardum ante aſſecutionem ſanctimoniæ valde immitem, & ſeverum fuiſſe, poſtquam verò maturitatem ſanctitatis fuerat aſſecutus, mitiſſimum & ſuaviſſimum fuiſſe: S. Ignatium ſuum pariter bilioſum in ſæculo, & aſperum, poſtquàm ſanctus evaſit, adeò mitem, & lenem fuiſſe, ut ipſi medici putârint, eum nequaquam bilioſum, ſed phlegmaticum fuiſſe. Unde patet, ſanctitatis & virtutis evidens eſſe ſignum manſuetudinem. 5. Per manſuetudinem aſſimilamur DEO, & maximè ejus S. doctrinam exequimur; cùm imperativô etiam modô docuerit ſuos: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* 6. Manſuetudo præ cæteris virtutibus eſt hominibus acceptiſſima: unde dicitur *proverb.* 20. *roboratur clementiâ thronus regius.* Et *Eccleſ.* 3. *fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris &c.*

177 Exercitium hujus virtutis, ſeu actus multipliciter fieri poſſunt: præſertim autem fiunt 1. dum manſuetudinis ſtudioſi injuriarum memoriam, quæ radicalis iræ cauſa eſſe ſolet, à ſe removent. 2. dum contumelioſa verba muto ore excipiunt, & æquanimiter ferunt. 3. dum mollia verba pro aſperis reddunt: ſicut enim rogum accenſum injecta aqua reſtinguit; ita & animum camino magis exordeſcentem verbum cum manſuetudine prolatum extinguit, teſte D. Chryſ. *hom.* 58. *in Geneſin.* 4. dum interiores iræ motus cohibent, præſertim dum alii ad iram irritant, & bilem ſtudioſè movent. Hoc autem, quia directè eſt per manſuetudinem iræ reſiſtere, valde in principio difficile accidet: paulatim itaque aſſueſcendum, nec deſiſtendum, etſi ſæpiſſimè labantur; ſed quaſi à caſu fortiores ſibi illud Virgilii dicant:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Noveram ego Religioſum quendam, qui eutrapelicos mores, & hone-

honeſtas convictorum ſuorum vexationes aliquamdiu ſinè nota impatientis animi ſuſtinere non poterat; quamvis frequentiſſima ſervandæ manſuetudinis & æquanimitatis propoſita ſibi ſtatuiſſet; ut ipſe poſtea fuit faſſus. Tandem quorundam in eadem Univerſitate ſtudentium Religioſorum importunâ & opportunâ induſtriâ didicit iram frangere, ac vellicatus verborum patienter ferre, ita manſuefactus, ut nulla poſthac ratione potuerit aculeatîs commoveri verbîs.

5. Tandem obſervanda ſunt ea, quæ *n.* 72. contra iram præſcripſimus, remedia; quæ in uſum redacta manſuetudinem facilè cauſabunt.

178 Quia à teneris aſſueſcere multum eſt, Religioſos Novellos adhortor, ut in exordio ſuæ converſionis huic virtuti operam dent; aptiſſimum enim tempus exercendæ, & in gradu perfectionis obtinendæ Novitiatûs tempus: ubi nullô aliô officiô occupantur, quod poſſit ad iram irritare, niſi moleſtæ correptiones, & variæ probationes, quibûs exercentur à Magiſtris. Dein nullam prorſus habent cauſam cujusdam ſeveritatis exhibendæ, ſed potius omnimodæ lenitatis: unde in praxi quoad hanc virtutem ſunt Superioribus longè feliciores, utpote quibus ſolùm ex officio incumbit, ſubditorum defectibus iraſci, pœnas infligere, & ſeveritate coërcere delinquentes. Aſt difficillimum ſanè eſt, inter diſciplinæ rigorem & animi manſuetudinem tenere medium, ita *ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta*; ſicut loquitur M. D. Greg. *l.* 19. *Moral.* A quo medii tenendi periculo, & neceſſitate manſuetudinem lædendi procul abſunt Novitli, qui plenas mititati poterunt laxare habenas: atque propterea valde commendabilis, imò multis viris perfectis ita optabilis erat Novitiatus, ut in eorum numero reponi peterent, manſuetudinem, humilitatem, aliáſque virtutes tutiùs & frequentiùs exercendi gratiâ; ſicut in vitis Patrum apud Rosweidum, & de multis doctrinâ ac rebûs geſtîs clariſſimis viris apud P. Lancicium in ſuis opuſculis ſpiritualibus, præſertim *opuſc.* 8. *l.* 2. *&* 9. paſſim videre eſt. Alia, quæ in externis ſignis, & moderata morum compoſitione comitantur hanc virtutem, infra Art. 7. de Regulis modeſtiæ quærantur: ſicut multa, etiam ſupra de humilitate, & patientia tradita, ad hanc virtutem applicata aut proximè diſponunt, aut ipſamet manſuetudo ad humilitatem, patientiam, modeſtiam, tanquam cauſa conſervata, bene comparatur.

Digitized by Google

BEATITUDO TERRESTRIS.

MAjor in terra felicitas nequit adinveniri, quàm imperturbabilis mentis & affectuum in anima tranquillitas; quam vel ſola virtus manſuetudinis introducit. Hæc per ſe præſtat, ut, qui in manſuetudine opera ſua perficit, ſuper hominum gloriam diligatur; *Eccleſ.* 3. Hæc efficit hæreditare terram, & delectari in multitudine pacis; *pſal.* 36. Quin infallibile Oraculum mitis & humilis corde Salvatoris tenet: *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: Matth.* 5. Illam credit, & exponit S. P. N. *de ſerm. D. in monte L.* 1. *c.* 1. terram, de qua dicitur: *ſpes mea es tu, portio mea in terra viventium*; *pſal.* 141. ſignificat enim quamdam ſoliditatem, & ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum tanquam locô ſuô requieſcit, ſicut corpus in terra; & inde cibô ſuô alitur, ſicut corpus ex terra. Ipſa eſt requies, & vita Sanctorum. Rixentur ergò immites, dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus; *beati autem mites, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram &c.* Iſto beatitudinis dono inſignitus S. Patriarcha Prædicatorum Dominicus, cùm adhuc Eccleſiæ Oxomenſis Regularis & Cathedralis Canonicus eſſet, mira ſemper manſuetudine cæteris exemplo fuit. Ore turbulento nunquam exſtitit, nec unquam viſus fuit vultus ejus, ac ſi æquanimitatem, vel internam animi ſerenitatem perdidiſſet: & ſi forſan maledictis impeteretur, comitate, & ad manſuetudinem compoſito aſpectu omnem contumeliam vel diſcuſſit, vel invictâ patientiâ tulit. Illud cumprimis memorandum: circa annum 1209. more Apoſtolico vicos, oppida, urbes peragrans, indigna multa pertulit; neque enim ſatis erat Hæreticis, eo prætereunte, cachinnos edere, ſcommatibûs, ac conviciîs eum laceſſere, niſi etiam ſcurras animarent, qui cœnô, mucôque illum aſpergerent, ac lapides in eum mitterent; quæ omnia invictiſſima Dominici manſuetudo eluſit. Alia vice procacior nonnemo paleas ei à tergo alligavit; quam ille contumeliam æquiſſimô ferens animô, ne quidem petulantiæ materiam ſubtraxit: quo factum, ut, qui illuſerat, vehementer obſtupeſceret tantam hominis lenitatem, ac ſeſe Orthodoxæ fidei (Hæreticus erat) rudimentis imbui faceret. Ex vita.

Eximiæ manſuetudinis exempla quoque dedit Religioſiſſimus Sebaſtianus Brœll Eberſpergenſis Bojus, Auguſtæ ad S. Crucem Subdecanus: qui vir fuit egregiîs ani-

mi dotibûs ornatus, Concionator ſervidus, adhæc Deiparæ cultui impensè addictus; verbô, nihil in eo deſiderabatur, quod hominem Religioſum deceret. Corpus aſperô ciliciô è pilis equorum horrido domare, flagellíſque caſtigare ſolemne, ac ferè quotidianum illi fuit. Mira manu propriâ ad conſcientiæ ſuæ directorem exarata reliquit.

Fervebat in eo extraordinaria animarum, maximè in agone conſtitutarum, ſitis; quibus juvandis, & ad portum æternæ beatitatis provehendis ſe totum impendit, nulli labori, induſtriæ nulli parcens. Diu noctúque lectulis ægrotantium ac moribundorum aſſiſtebat, eos quà conſolando, quà adhortando, & ad felicem animæ è corporis ergaſtulo egreſſum diſponendo &c. quem in finem libellum, ſententiîs Sanctorum Patrum & S. litterarum, nec non piiſſimîs aſpirationibûs refertum, collegit; quibûs exinde maximô animas agentium emolumentô fuit uſus. Quo in negotio ſpirituali tantam lenitatem erga omnes ſine perſonarum acceptione exhibuit, ut Auguſtanis incolis in amore, ac pretio fuerit, tantámque nominis famam apud illos ſibi conciliârit, ut omnes præſente ac cohortante Sebaſtiano mori peroptarent, nullus abſente illo animam efflare vellet. Ea propter contigit, quòd vix civium quispiam ægrotaret, quin non extemplò ad eum Sebaſtianus accitus fuerit, non tam ut ex verbis, quàm ex præſentia ſolamen caperet: quod ille prompto alacrique animo ſemper præſtitit, omnibus omnia cum Apoſtolo eſſe cupiens. Verùm, cùm huic S. operi, moribundíſque juvandis totus inſudaret, luem contraxit ab infectis, atque lethali morbo (febrim aridam vocant Medici) correptus, poſt maximos ardores, ac dolores, quos mirâ patientiâ, & in Divinam voluntatem reſignatione perpeſſus eſt, Sacramentîs ritè munitus cœlo transmiſit ſpiritum 17. Julii Anno 1650. ætatis 44. Religionis 25. *Ex Theatro virtutis Can. Reverendiſſimi D. Grueber ad hunc diem.*

Concludimus tandem iſtum articulum unô adhuc adductô raræ manſuetudinis, aliarúmque virtutum ſpectaculô, quod exhibuit Reverendiſſimus ac Ampliſſimus D. Marcus Hauſer à Weiſenſtein Brixinenſis Neocellenſis Præpoſitus. Viri hujus virtus per univerſum Tyroleos comitatum celebris fuit; quam & Principes plurimùm ſuſpexêre, in Comitiis præſertim, ut vocant, Provincialibus, Æniponti, aut alibi habitis. Diſciplinam regularem, quam Tyro, cœnobium Neocellenſe, in Comitatu Tyrolenſi prope Epiſcopalem civitatem Brixinenſem ſitum, Anno 1608. ætatis verò 20. ingreſſus, addidicit, etiam Prælatus, multîs negotiîs implicitus, ſenióque confectus,

fectus, minimè depoſuit, exactus illius obſervator. Elationis nota in eo vigebat nulla, altas nimirum radices in ejus pectore figente vera non fucata animi ſubmiſſione, quæ neminem contemnere, de omnibus bene ſentire, neque perſonarum reſpectum habere novit: hinc æqualis illius ad omnes amor ad alloquium ſuũ pauperes æquè & infimæ ſortis homines admittebat, quàm quos divitiæ, generis ſplendor, aut honorum dignitas commendabant. De omnibus bene ſenſit, ac honorifica in medium attulit. Si aliquorum verò geſta, minùs rectè facta, defendere haud poſſet, intentionem ſaltem à nævo vindicare adlaboravit. Videbatur omni prorſus bile carere; ita enim ſemper pacificus, ſemper manſuetus exiſtebat, nihil magìs odiô proſecutus, quàm lites & diſcordias.

Verbum ex ejus ore acerbum, multò minùs calumniam redolens, elabi auditum eſt nullum: ſi quæ verò corrigenda ab eo forent, ea citra aliorum morem verbis, ad manſuetudinis ac charitatis leges compoſitis, emendavit non ſine optato fructu, quem alii, limites prudentiæ ac diſcretionis in corrigendis alienis defectibus tranſilientes, perdere ſolent. Caſtitatis & temperantiæ amore à plurimis annis, uti ipſe faſſus eſt, nec quidquam cibi aut potûs extra prandii aut cœnæ tempora ſumpſit; ac in ipſa menſa temperatiſſimè vixit. Ut in patientia animam ſuam poſſideret, adverſa omnia, ultimi præſertim morbi dolores, invicto ac conſtanti animo tulit, nullius impatientiæ ſignum præſeferens. Blasphemias in DEUM jactas ac temerarias jurationes, velut inferni mala, deteſtabatur, & contra execrandum vitium iſtud frequenter è cathedra detonabat, ut auditores in ſtuporem rapuerit, & ad deteſtandum illud permoverit. Erga paſſionem D. N. JESU Chriſti mirificè affectus virili magnitudine Chriſti è cruce pendentis effigiem è ligno ſculptam in ſuo cubiculo aſſervabat. Piiſſima recordatione myſteria amaræ mortis Chriſti recolebat, húncque unicum *theſaurum ſuum* appellabat. Largam manum ſuam abundè in pauperes effudit: quam & liberaliſſimè experti ſunt ob bellicos tumultus Suecicos è domiciliis ſuis exules, & in Tyrolim ad Collegium Neocellenſe, ceu ad commune aſylum, profugi Bavariæ ac Sueviæ Canonici Religioſi; quos non unâ duntaxat ſeptimanâ, aut uno menſe, ſed integrîs annîs, & ampliùs victu & veſtitu alebat. Hos inter quoque erant è noſtro Beurbergenſi Collegio quatuor Canonici, qui per integrum ferè annum eximiam experti ſunt humanitatem; quam etiamnum gratiſſimâ recolimus memoriâ, optantes à Numine liberaliſſimo benefactoribus hìs centuplum retributionis. Horarum Canonicarum penſum devotiſſi-

votiſſimè ſemper perſolvit. Hoc verò opus S. cùm in poſtremo morbo conſtitutus ipſe præſtare ampliùs non poſſet, alicui Canonicorum Collegii ſui mandavit, ut is clara voce preces illas ex præſcripto Breviarii Romani ante lectum ſuum recitaret, aliena voce prolatum audire contentus, quod ſuâ exprimere nequiret. Virtutes priores haud parùm illuſtravit in B. Virginem pietas. Certum illi ac fixum erat, ſi domi exiſteret, officio illi, quod de glorioſa Deipara ſingulis diebus horâ ſextâ matutinâ Canonici Regulares Neo-Cellenſes decantare ſolent, magna devotione præſens adſtare. Atque, ut poſt mortem quoque de pietate ſua erga hanc Cœlitûm Reginam poſteris conſtaret, juxta aram B. Virginis in novo Sacello terræ mandari voluit: quod & factum. Obiit inter pia illa verba: *Propitius ſit mihi DEUS*: 3. Decembris Anno 1665. ætatis 77. Religionis 57. Sacerdotii 52. Præpoſituræ 44. *Ex documentis transmiſſis apud Reverendiſſimum Gruber ad hunc diem.*

ARTICULUS VI.
De Virtute Caſtitatis.

SUMMARIUM.

179. *Caſtitas duplex eſt propria, & metaphorica.*

180. *Differt ab abſtinentia, & convenit cum pudicitia & virginitate.*

181. *Honeſtas quid commune habet cum caſtitate.*

182. *Regula 20. præparandi ſe ad acquirendum caſtitatis donum.*

183. *De diſpoſitionibus & gradibus illius in genere.*

184. *Gradus* 1. *caſtitatis eſt, ne vigilans impugnatione carnali moveatur, & ſuperetur.*

185. *Gradus* 2. *ne mens turpibus cogitationibus diu immoretur.*

186. *Gradus* 3. *Ne fœmineo aſpectu ad concupiſcentiam moveatur.*

187. *Gradus* 4. *ne ullum vigilans ſentiat motum.*

188. *Gradus* 5. *etiamſi tractet expreſsè de rebus fœdis, legendo, turpes confeſſiones audiendo &c.*

189. *Gradus* 6. *quin etiam dormiens illecebroſis fœminarum phantasmatibus non illudatur. Annectitur exceptio.*

190. *Gradus* 7. *quando ex ſpecialiſſima DEI gratia natura ab omni inquinamento etiam à longè quaſito tam in vigilia, quàm in ſomno prorſus libera eſt.*

191. *Dubium ſolvitur occaſione quarti gradûs ortum.*

192. *Quomodo quis ſextum gradum habere*

Digitized by Google

habere poſſit, quin habeat tertium, oſtenditur.

193. Donum perfectæ caſtitatis eſt à DEO, & tamen à nobis etiam dependet.

194. Qualis conatus à nobis adhibendus pro ea à DEO impetranda.

179 CAſtitas ſecundùm angelicam doctrinam Doctoris Virginei *2. 2. q. 151. a. 2. q. 2.* à caſtigatione ſumitur, eò quòd appetitus delectabilis præcipuè circa tactum nobis connaturalis, ſeu innata concupiſcentia venereorum, per caſtitatem refrœnetur, & caſtigetur. Dupliciter autem à S. Th. *l. c. in corp.* accipi poteſt; unô modô propriè, ut eſt ſpecialis virtus, habens ſpecialem materiam, ſcilicet concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis; & ideò circa ejusmodi concupiſcentias *antonomaſticè* dicitur *caſtitas*. Aliô modô accipitur metaphoricè, dum mens noſtra retrahitur ab omnibus delectabilibus, & conjungitur DEO: quæ eſt Spiritualis quædam caſtitas, & generalis virtus; quia per quamlibet virtutem retrahitur mens humana, ne rebus illicitis delectabiliter conjungatur. In quo ſenſu metaphorico S. Paulus, virgineæ caſtitatis Paranymphus, Corinthios ſuos 2. 11. *deſpondit uni viro virginem caſtam* (ideſt, mentem) *exhibere Chriſto.* Econtra verò, qui DEUM peccando derelinquunt, ſpiritualiter à DEO fornicari dicuntur *pſal. 72. perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te*: & *Jeremiæ* 3. accuſatur anima, quæ DEUM reliquit, & terrenis rebus adhæſit: *tu autem fornicata es cum amatoribus multis &c.*

Ad diſtinguendas virtutes, 180
quæ caſtitatem concomitantur, aut quandam cum ea connexionem habent, notanda ſunt hæc. 1. Quòd *Caſtitas* & *abſtinentia* inter ſe differant; *Caſtitas* enim eſt circa delectationes venereorum, à quibus abſtinet; *abſtinentia* verò circa delectationes ciborum, quibûs moderatè utitur, aut penitus abſtinet ſecundùm valetudinis rationem: S. Th. hìc. *a. 3. in C.* 2. *Pudicitia* propriè pertinet ad caſtitatem, & eſt circa ea, de quibus homines verecundantur, & pudore ſuffunduntur; maximè autem verecundantur homines de actibus venereis: qui enim adeò perfrictæ eſſet frontis, ut neutiquam abhorreret ab impudicis motibus, aſpectibus, oſculis, tactibus, quæ ſunt præcipua venereorum ſigna, juxta S. Th. *a. 4. in C.* nullô modô etiam caſtus dici poſſet. 3. *Virginitas* à virore deſumpta eſt; ſicut enim illud dicitur virens, & in virore ſuo perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat, quòd perſona, cui ineſt, immunis ſit à concupiſcentiæ aduſtione;

ſtione; quæ eſſe videtur in conſummatione maximæ delectationis corporalis. Unde, quia ſecundùm S. P. N. Auguſt. *L. de virginit. c. 8. & 13. virginitas eſt continentia, quâ integritas ipſi Creatori animæ & carnis vovetur, conſecratur, ſervatur &c.* Quocunque modo contaminatur caro libero & voluntario motu venereo ad extra, *angelica hæc portio*, ut eam vocat S. P. N. deperditur. Plura de his cum S. Th. 2. 2. q. 152. agunt Theologi. Nos, hôc fundamentô poſitô, ad aſcetica principia convertimur, ut virtutem celebratiſſimam (*ſine qua nec opus bonum aliquod eſt*, teſte M. Greg. *hom. 3. in Evangelia*) cum omni perfectione diſcamus, in animam noſtram inducamus, & perpetuò conſervemus.

181 Igitur quisquis angelicam portionem in ſe conſervare, aut caſtimoniæ puritatem acquirere nititur, ante omnia tanto caſtitatis acquirendæ deſiderio, & amore inflametur, ſicut qui pecuniarum, magnorum honorum, aut intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur; uti monet Abbas apud Caſſianum *coll. 12. c. 4.* Porro *honeſtati* in omnibus ſtudeat; quæ conſiſtit in exteriore ſenſuum & membrorum noſtri corporis decenti compoſitione, procedente ex interna animi caſtimonia, & puritate: quam honeſtatem Divinæ Majeſtati adeò in B. Virgine placitam fuiſſe, ut inter quinque virtutes, ob quas ſuper Angelos fuit exaltata, primum locum obtinuerit *honeſtas Illius*; uti conſtat ex revelatione à Chriſto S. Birgittæ facta *L. 1. revel. c. 51.* Eam etiam pulchrè deſcribendo, ceu vivîs coloribûs exprimendo de *virg. l. 2.* S. Ambroſius in B. Virgine deprædicat, ac noſtræ honeſtatis exemplar ad imitationem exhibet. Ejusmodi honeſtatis ſtudio, & caſtæ puritatis deſiderio inſtructus Religioſus ita per gratiam DEI incipiat, & pergat.

§. I.
Obſervanda neceſſaria pro obtinenda caſtitate.

182 Primò ſtudeat, ſenſus ſuos & cogitationes ab omni impuritate quàm longiſſimè removere, & caveat, ne non tantùm mortale, ſed etiam venialia peccata, caſtitati contraria, committat: ad quod neceſſarium eſt, ſenſus cuſtodire, curioſitatem oculorum præſcindere, occaſiones devitare, & Divinum auxilium quotidie ferventer implorare.

2. Nunquam, quantùm quidem fieri poteſt, etiam in neceſſitate, immediatè tangat eas corporis partes, quas pudor tegit.

3. Verecundus adeò ſit, ut ad

ad ſatisfaciendum naturæ neceſſitati, etiam uno vel à longè vidente, nunquam vadat; quantùm rurſus fieri poteſt ſine nocumento ſanitatis.

4. In ſecretiſſimis etiam locis ſui reverentiam habeat ita, ut *nunquam ſe talem ſecretus aſpiciat, qualis videri ab hominibus erubeſcit*: prout Abbas Chæremon apud Caſſ. *coll.* 12. *c.* 8. monet.

5. A fœdarum rerum odoratu curioſo omninò abſtineat, nec utatur balſami odoribus, aliiſque ſive bene ſive malè olentibus liquoribus.

6. Non tantùm à pudore tectis corporis partibus, ſed etiam ab aſpectu tum propriarum, tum alienarum manuum oculos avertat.

7. Quin etiam alienorum vultuum intuitus nimiùm blandus & tener erga adoleſcentes elegantulos, & floridam ætatem, præſertim omnis fœminarum aſpectus, ſummè eſt vitandus: etſi enim S.P.N. *Reg. c.* 5. *fœminas videre non probibeat, ſed appetere, & appeti velle &c.*; ſatis tamen innuit §. 4. periculum, & reſpondet tacitè forſan objicientibus: *nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos.* Cujus reſponſionis ſuæ rationem ſtatim adjungit: *quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius.* Dein *cap.* 6. fœminarum aſpectum vocat *oculi petulantiam* accuſandam, admonitione, & correptione dignam; & à ſuis Clericis procul arcendam præcipit.

8. Ab omni effœminato ſermone, vocis inflexione, ac affectato ſono caſtum cor abhorret; ſimiliter à blandis verbis, epithetis, ſive linguâ ſive epiſtolâ expreſsîs, abſtinendum: ita docuêre S. Ambroſ. *in antilog. l.* 2. *c.* 19. S. Hieron. *Epiſt.* 2. *ad Nep.* & S. Bernardus *ſerm.* 42. *in Cant.* jubet ſuos, *non fractis & remiſſis vocibus, muliebre quidpiam, balba de nare ſonantes, ſed virili, ut dignum eſt, ſonitu, & affectu voces ſancti Spiritûs depromere &c.*

9. In ipſo verò inceſſu effœminatam progreſſionem, mollem & totius corporis agitationem, item in veſtitu nimium ornatum, venuſtatem, oriſque compoſitionem devitet; prout præcipit S. P. N. *Reg. c.* 4. *in inceſſu, in ſtatu, in babitu, in omnibus motibus veſtris nibil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum &c.* Et quamvìs iſta ad compoſitionem morum ſpectari ſolùm videantur; bene tamen, & ſine quæſita analogia, ad illam *boneſtatem* à caſtimonia, & puritate provenientem (ut paulò ſupra patet,) referri poterunt: & à S. Patre tunc, dum S. Regulam ſcribebat, maximo caſtitatis æmulatore, intenta fuiſſe cenſenda ex eo ſunt, quòd mox ſequenti capite de continentia oculorum, propriè ad caſtitatem pertinente, agat. Ita mihi aſcetica verborum illorum interpretatio,

Digitized by Google

ad caſtitatem referenda, placet, ſalvo tamen omni meliori Expoſitorum Hugonis, & Umberti, & aliorum judicio; quibus nihil præjudicare intendo. Et ecce! hanc de honeſtate in S. Reg. ad caſtimoniam per interpretationem à me relata, opinionem ita confirmat M. Hugo de S. Victore *to. 2. de expoſ. S Reg. cap. 6. tunc enim religiosè vivimus, ſi illicitos motus ſub diſciplina coërcemus, ſi membra & ſenſus noſtros ſtudeamus reſtringere, ut non poſſint laſcivia & levitati deſervire &c.*

10. Caveat etiam à riſu conjuncto cum delicatulo ſono, cachinnorum teneritudine, ac muliebri vocis inflexione, item ab artificioſo manuum & digitorum motu, & compoſito geſtu; quia in his mollities cordis, & animi teneritudo muliebris ſe prodere ſolent.

11. Dum ſe ad dormiendum componit, nulla pars corporis nuda appareat, ſed lecto bene tegatur, aut induſio; ut *ſemper talis inveniatur in nocte, qualis in die, talis in lecto, qualis in oratione*; ut monetur apud Caſſian. *coll. 12. c. 8.*

12. Ita ſe exuat, & induat, ac ſi præſens eſſet magnæ authoritatis hoſpes, cogitans DEI, & Angeli tutelaris præſentiam.

13. Situs jacentis in lecto talis ſit, qualem in præſentia gravium virorum; ſi neceſſariò eſſet jacendum, non erubeſceret; non divaricandi, attollendi, inflectendi pedes, non prono, aut ſupino capite cubandum, ſed dextro, vel ſiniſtro lateri incumbendum, omnéſque tegendæ ſunt corporis jacentis partes: conſtat enim ex vita S. Dominici apud Surium *L. 2. c. 13.* Fratrem quemdam nudè ex inadvertentia dormientem à B. Virgine, cubicula ſingulorum viſitante, non fuiſſe aqua luſtrali, & crucis ſigno conſignatum; cùm tamen cæteri decenter cooperti eam benedictionis Marianæ gratiam acceperint.

14. Dum ad ſtudia, lectionem, chorum, aut menſam ſedendum eſt, ſedeat ſine divaricatione crurum; ſine alterutra ſuperjectione pedum, ſine extenſione vel agitatione tibiarum, ſine alterna accubatione laterum &c.; uti ſuos Novitios in *inſtit. c. 12. circa lit. E. to. 2. fol. 35.* docuit ſapientiſſimus Magiſter Hugo de S. Victore.

15. Quemlibet puritatis amatorem pudeat brachia & collum denudare coram aliis ſine neceſſitate magna; qualis non ſtatim cenſeatur, ſi aliquo ſolis æſtu uratur, aut ſudore moleſtetur &c.

16. Similiter puritatis ſtudioſus in tenebris, & in locis, ab aliorum aſpectibus remotis, vel ſolus, vel cum uno ſocio non ambulet, ſed amet potiùs lucem, tanquam filius lucis. Unde in Regula, ab Angelo dictatâ, ſuis Monachis præſcripſit B. Pachomius; *ut nemo in tenebris alteri loquatur &c.*

17. Ipſam etiam devotionem

erga Chriſtum infantem, B.V.Mariam in certa imagine pulchriore, erga alios Sanctos, vel Sanctas propenſionem, & tanquam Patronos, aut Patronas colendi ſtudium diligenter examinet, an non ex venuſtate cujusdam picturæ, ex ſimilitudine nominis, quod amicus aut amica terreſtris habet, vel ex quodam ſenſibili affectu proveniat non usquequaque ſancto. Delicata certè hæc eſt tentatio Sathanæ, qui pietatis ac devotionis palliô non raro ſe transfigurat in Angelum lucis. Cæterùm non ſtatim rejiciendam, aut damnandam, ſed diligenter examinandam eſſe ejusmodi devotionem, intelligunt Aſcetæ; ex acceptis enim beneficiis ab uno aut una Sancta adeò increſcit ſæpe multorum gratus affectus erga eos, ut ſenſibilis ex ſuavitate devotionis evadere videatur. Optimum in hoc puncto erit & tutiſſimum, non ſuæ fidere devotioni, ſed Confeſſarii aut Patris Spiritualis conſilium inquirere.

18. In converſatione, etiſi cum piis perſonis, ex quarum conſuetudine profectus ſpiritualis etiam ſentitur, puritati ſtudeat, ne quidquam ei contrarium ſe immiſceat, & ipſa converſatio ſpiritualis in ſenſualem, aut adhuc pejorem, degeneret. Neque hoc mirum videatur; quia etiam ipſi Apoſtoli Spiritu S. repleri nequiverant, dum carni Dominicæ, etſi ſanctæ, inhærebant; ut ait S. Bernardus *ſerm.* 3. & 6. *de aſcenſ.* & *hom.* 10. *in Cant.* non quidem, quòd affectus impurus (abſit enim hoc de Apoſtolo cogitare) ſed humanus nimiùm, & ſenſualis fuerit. Unde etiam ob iſtas rationes in primo capite n. 24. Novitium docuimus, omnem fugere particularem amicitiam cum confratribus, & periculoſam familiaritatem.

19. Ita cuſtodiat os ſuum, ut de rebus fœdis, licèt naturalibus, neque indirectè etiam loquatur; uti tales res ſunt connubia, hiſtoriæ Sanctorum, impura quædam vitia continentes, verba impuritatem exprimentia &c. monet enim Apoſtolus, ut *fornicatio neque nominetur in vobis &c.*

20. Omni denique munditiæ interiori in cogitationibus, exteriori in corpore, in veſtitu, & ſupellectili ſtudeat, ne quidquam contra caſtam puritatem fiat. Unde angelicæ puritatis amantes non tantùm horrent manifeſtos impudicitiæ actus, ſed etiam omnia ea, quæ illos irritant; qualia ſunt nimii, etiam frigidæ aquæ, potus, cibi calidi, vel indigeſtibiles; ut ſupra *n.*81. adduximus; & Galenus ſcriptum reliquit, quòd *aqua profuſè potata fluctuationes excitet, & in flatum mutetur*: omnia verò flatuoſa irritant libidinem; ac propterea caſtis Religioſis ſummè devitanda ſunt. Hæc de Caſtitate acquirenda quaſi in genere ſint dicta:

nunc

Digitized by Google

nunc ad ejus ſpecialem perfectionē ac gradus animum intendimus: digna ſanè eſt virtus, quæ pluribûs, non paucîs, & obiter tantùm pertractetur.

§. II.

De gradibus Caſtitatis in genere, & de tribus primis in ſpecie.

183 Antequam gradus caſtiſſimæ virtutis aggrediamur, præmittendum eſt primò, quòd hìc non agamus de caſtitate, ceu dono ſupernaturali, gratìs à DEO dato, atque miraculoſo; quale aliquibus Sanctis absque prævia ulla temporis longi præparatione, vel actuum frequentatione, aut propria diſpoſitione diuturniori, fuit conceſſum; ſed de ea caſtitatis perfectione, quam DEUS poſt plurimas mortificationes internas & externas, ac poſt multam exercitationem illis elargiri ſolet, qui ſibi, & paſſionibus ſuis penitus mortui arctiſſimam ſenſuum ſuorum tenent cuſtodiam; atque adeò ſe præparant ad recipiendam DEI gratiam, & obtinendam ſupernaturalem caſtimoniam. Nam hoc caſtitatis donum à DEO dependere, certum eſt, nec ſine gratia ſpeciali obtineri poſſe, ex S. Scriptura, & teſtimonio Patrum Catholicum dogma eſt; de quo *n.* 193. inferiùs.

Præmittendum 2. quòd ex traditis hucusque regulis, dum ſervatur munditia corporalis, & in rebus externis, quæ hominem vel *immediatè* (uti ſunt aſpectus, & tactus) vel *mediatè* (uti ſunt veſtes, cubiculum, lectus, aliáque externa) afficiunt, ſatis ſe quisque præparare, & ad caſtitatis donum diſponere poſſit: docet enim S. Th. 1. 2. *q.* 50. *a.* 1. *operationes, quæ ſunt ab anima per corpus, principaliter quidem eſſe ipſius animæ, ſecundariò verò ipſius corporis.* Et paulò inferiùs: *ideo diſpoſitiones ad tales operationes principaliter ſunt in anima, in corpore verò poſſunt eſſe ſecundariò, in quantum ſcilicet corpus diſponitur, & habilitatur ad promptè deſerviendum operationibus animæ.* Quod totum aptandum huc eſt ad caſtitatem, ad quam prædictæ diſpoſitiones in corpore, principaliter autem in anima, requiruntur.

Præmittendum 3. quòd, cùm à noſtra diſpoſitione ſpecialis hæc gratia dependeat; nam in animam malevolam non introibit S. Spiritus, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: *Sap.* 1. laborandum nobis ſit, ut gradatim, juxta monitum *n.* 106. datum, excelſum virtutis hujus verticem attingamus. Sunt au-

tem

tem gradus caſtitatis perfectiones, ſeu perfectiores & perfectiſſimæ operationes noſtræ circa materiam illius. In explicatione graduum iſtorum, ſicut in aliis virtutibus, quoad illam non conveniunt aſcetici Authores; ita hìc etiam diſcrepant, communicantes tamen invicem ſubſtantiam virtutis. S. Bonaventura *To. 2. opuſc. proceſſu Relig. 6. cap.* 40. tres tantùm videtur ſtatuere caſtitatis gradus: aſt in his, præſertim in tertio, totam perfectionis ſummam ſimul comprehendit. S. Laurentius Juſtinianus *in ligno vitæ de continentia c.* 6. ſex gradus complexus eſt. Similiter 6. gradus caſtitatis enumerat Abbas Chæremon apud Caſſ. *col.* 12. R. P. Lancicius, ſublimis aſceſeos vir, *op. de hum. paſſ. Dom. c.*14. *n.*126. recenſitis 6. caſtitatis gradibus ſeptimum addit. Inter varias opiniones, quæ forſan facili negotio conciliari, & ad certum graduum numerum reduci poſſent, præplacet hic S. Laurentii Juſtiniani de cœlo inſtillata doctrina, quam cum Caſſiano amplectitur in *Lig. V. de contin. c. 6.*

184 Primus ergò gradus caſtitatis talis eſt; *ne evigilantis mens impugnatione carnali moveatur, & illidatur*: ideſt; quamvìs ſæpiſſimè carnalibus tentationibus quiſquam impetatur, ne unquam tamen vel cogitatione in fœdum carnis peccatum conſentiat, illúdve opere perpetret. Primum itaque hunc caſtimoniæ gradum obtinent, qui vigilantes, hoc eſt, interdiu uſum rationis plenum habentes, *fœdos* quidem *carnis motus* ſentiunt, iis tamen per gratiam DEI ſemper reſiſtunt. Dixi, *fœdos carnis motus*; ut intelligat Religioſus, caſtitatis zelator, tres eſſe præcipuas motuum carnalium cauſas. Prima eſt ab ipſa natura ex naturali humorum effluxu, ſanguinis ac ſpirituum abundantiâ, unde naturaliter ſequitur commotio carnis, ſeu fœdus motus naturalis: quam naturæ lapſæ miſeriam haud parùm conqueſtus fuit S. Paulus *Ep. ad Rom.* 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* 2. Cauſa provenit à cibo & potu copioſo, qui animales ſpiritus excitant, ſanguinem ebullire faciunt, & corpus inflammant: hinc à SS. Patribus, & Aſcetis cibus & potus nimius ad carnis motus comparantur, ſicut ſtupa & oleum ad ignem. Commune quoque fert adagium: *ſine Baccho, & Cerere friget Venus.* 3. Cauſa aſſignatur communis generis humani hoſtis diabolus tentans, qui ſemper circuit, quærens, quem devoret; prout docet S. Thom. 1. *p. q.* 111. *a.* 3. 2. 2. *q.* 154. *a.* 5. & 3. *p. q.* 80. *a.* 7. Ita caſtum Electionis Vas S. Paulus ingenuè, humilliméque fatetur, ſibi datum eſſe ſtimulum carnis, & angelum Sathanæ, qui ipſum ter quotidie colaphizet: 2. *ad Corinth.* 12. Licèt igitur iſtos motus carnis à natura, à

Digitized by Google

cibo & potu, atque à maligno ſpiritu provenientes quisquam in ſe ſentiat, dummodo non conſentit, hunc primum caſtitatis obtinet gradum: quem S. Bonaventura *l.c.* vocat *continentiam ab actu carnali cum propoſito manendi, & omnibus illicitis motibus conſenſum negandi.*

Deduces tamen ex his, ne primum quidem caſtitatis gradum poſſideri ab eo, qui ſolummodo ad tempus aliquod tentationibus ejusmodi reſiſtit, ac in ſe perceptos motus generosô reprimit animô; aſt opportuna occaſione à ſuo cadit propoſito, & menſe, aut aliquibûs ſeptimanîs vix elapsîs, denuo miserè vincitur: quia talis non habet *propoſitum*, ſaltem efficax, *manendi, & omnibus illicitis motibus conſenſum negandi*; prout requiritur à S. Bonav. ad primum caſtitatis gradum. Ratio hujus ulterior eſt; quòd talis necdum teneat caſtitatis habitum, qui eſt *qualitas de difficili mobilis*, ſecundùm Ariſt. *de prædic.* & S. Thomam 1. 2. *q.* 49. *a.* 1. cùm tamen hìc de gradibus caſtitatis habitualis agatur.

185 Secundus gradus eſt; *ne mens voluptariis, & turpibus cogitationibus immoretur*: hoc eſt; ne turpibus cogitationibus diu, frequenter, & moleſtè infeſtetur, aut eis inhæreat: unde hunc gradum nondum in ſe habet, qui frequentes, valdéque turpes cogitationes, longas & moleſtas ſuggeſtiones in ſe experitur ita, ut diu iis quaſi auſcultando immoretur; licèt poſt pleniorem turpitudinis advertentiam ſtatim reſiſtat, diſſentiat, atque animô expellere nitatur, & directè contra agat; ſicut ſupra *n.* 79. doctrina, in caſtitatis prælio obſervanda, exhibet. Gradum hunc pariter 2. locô poſuit S. Bonav. & poſitivè expreſſit, inquiens, *ſecundum eſſe gradum, cùm maceratione carnis, & per alia ſtudia ſpiritualia affectus ita mundatur, & caro ita ſpiritui ſubjugatur, ut rariùs tentetur, & mitiùs &c.*

Tertius habetur gradus; *ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moveatur aſpectu.* Inſignis iſte eſt gradus, & magnæ perfectionis; ſupponit enim in poſſidente magnas virtutes, mortificationes, & eximium in ſpiritualibus exercitiis fervorem: propter quæ ſolet DEUS ad hanc perfectionem caſtitatis ſuam ſpecialem donare gratiam; ſine qua iſte gradus non obtinetur. Gradum iſtum ita expreſſit Doctor Seraphicus: „Tertius eſt gradus, ita edomitas habere carnis concupiſcentias, quòd „vix rariſſimè, & tenuiſſimè ſentiantur: & ex affectu talis induitur caſtitatis amor, ut horreat, „& ita deteſtetur omnes carnales „motus, quòd quaſi nauſeam inde patiatur, nec poſſit audire, „tractari de operibus carnis, niſi „cum horrore cordis, & extorſione. Si verò pro utilitate aliorum „de matrimonii caſibus aliquid tra- 186

„ctan-

„ ctandum occurrerit (*ut in confeſſio-* „ *ne, Scholaſticis lectionibus, & ſtu-* „ *diis rerum talium ad ſcienda peccata* „ *neceſſariis*) ita quoties motus ſuæ „ carnis ſentiat, acſi de luto, vel „ lapidibus, vel ſimilibus tractare- „ tur. Et, cùm per ſoporem humo- „ ris (*id eſt, ſeminis*) abundantia „ naturaliter ſe reſolvit, ita quietè & „ inſenſibiliter profluat, ut nec tur- „ pium phantaſiarum imaginatio- „ nibus illudatur, nec ſenſu fœdæ „ delectationis titilletur. Ita per- „ fectæ caſtitatis diſtinctio, prout „ in hoc peccati corpore poteſt ha- „ beri, à viris perfectiſſimis obti- „ netur. Ut autem ſtabiliter in hoc „ gradu, & continuè perſeverent, „ puto, ad hoc requiri privilegium „ ſingulare. Quæ ex iſta Seraphici Magiſtri doctrina ſint colligenda, & qua ratione ille in iſto tertio gradu cæteras caſtitatis perfectiones ſubtiliter ſit complexus, mox ſucceſſivè declarabitur. Interea certum eſt, aſſignatum modò tertium caſtitatis gradum duobûs prioribûs eſſe perfectiorem; cùm præſupponat conſtantem tentationi reſiſtentiam, & amputatam *voluptariis cogitationibus moram*, habeátque inſuper ſecum attritas, & *ita edomitas carnis concupiſcentias, quòd vix rariſſimè, & tenuiſſimè ſentiantur*; ut locutus fuit S. Bon. ſupra. Nam qui quidem ſub colloquio, & aſpectu fœminæ nullos in ſe advertit fœdos motus, imò potiùs pias ſentit cogitationes, ſi tamen poſtea ex repræſentato in phantaſia objecto turpes in concupiſcentia ſurgant motus (prout hæc ſubtilis fraus diaboli eſt ad fortiùs agendum contra hominem, quò efficaciùs, utpote ſine paſſionum commotiotione, priùs ex aſpectu objectum ſenſibus impreſſerit) tertium caſtitatis gradum nondum aſſecutus eſt; quantumvis turpes carnis motus perfectâ reſiſtentiâ vincat. Dici tamen poterit, quòd talis 1. & 2. gradum acquiſiverit; quoad tertium verò in proxima via, ſeu *in fieri* (ut ajunt Philoſophi) nondum *in facto eſſe* ſit.

§. III.
De reliquis Caſtitatis gradibus.

187 QUartus gradus eſt; *ne vigilans vel ſimplicem carnis perſentiat motum.* Hoc eſt donum ſupernaturale perfectæ caſtitatis, & à ſpiritualibus Magiſtris ſanctiſque Patribus etiam inter gratias gratis datas reponitur, utpote ſupernaturaliter à DEO, aut ſine præviis hominis meritis, aut non niſi poſt diuturnam ingentium & heroicarum virtutum exercitationem conferendum, & paucis conceſ-

ſum.

Digitized by Google

ſum. Hunc caſtitatis gradum à DEO impetravit S. Thomas Aquinas (propter hanc angelicam portionem angelicus Doctor appellatus) poſtquam, fugatâ titione ardenti impudicâ fœminâ, flexîs genibûs ante Crucis ſignum oravit, ibíque ſomnô correptus per quietem ſentire viſus eſt, ſibi ab Angelo conſtringi lumbos; quo ex tempore omni poſtea libidinis ſenſu caruit. Ex Brev. in Ejus Feſto 7. Martii. Similem gratiam acquiſivit ad inſtantes preces Abbas Serenus apud Caſſ. *coll.* 7. *c.* 2. cujus veluti uterum in nocturna viſione Angelus aperiens quandam ignitam carnis ſtrumam de ejus viſceribus evellens, ac projiciens, perpetuam ei corporis puritatem tribuit. Conſimile caſtitatis donum à DEO obtinuiſſe poſt converſionem S. Ignatium Loyolam, B. Aloyſium Gonzagam, alióſque Sanctos refert P. Lanc. *opuſc. de hum. paſſ. Domin. c.* 14. *n.* 128. *fol.* 297. Pari gratiâ à liberaliſſimo Numine S. P. Auguſtinum donatum fuiſſe poſt converſionem ſuam, ſcribit S. Poſſidonius in illius vita. Sed & pro hoc DEI dono gratiſſimus ipſe S. Pater teſtatur *L.* 6. *Conf. c.* 12. *ſic eramus* (ante converſionem inſatiabili libidine excruciati) *donec tu altiſſime, non deſerens humum noſtrum, miſeratus miſeros, ſubvenires mirîs, & occultîs modis.* Et expreſſiùs *L.* 10. *Conf. c.* 30. miſerentis DEI gratiæ adſcribit caſtitatis ſuæ donum, quærens: *unde ſæpè etiam in ſomnis reſiſtimus, noſtríque propoſiti memores, atque in eo caſtiſſimè, permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus conſenſum? augebis Domine magìs magíſque in me munera tua.* Eximium quoque caſtimoniæ donum in S. Alipio Sodali ſuo laudat S. Pater, eúmque *cit. c.* 12. *C. caſtiſſimum, & continentiſſimè viventem* deprædicat. S. Joannem, Bridlingtonienſem Anglum, inſigni hoc munere à DEO fuiſſe præditum, ſcribunt Surius ad diem 10. Octob. & Rodericus Raynaldus An. Eccleſ. ad An. 1379. & 1389. Ut plura Sanctorum omittam exempla, virgineæ caſtitatis donum referam Illuſtriſſimi Alani de Solminihac; cui DEUS tam ſublimen contulit gratiam, ut concupiſcentia illius penitus refrœnata, & impedita fuerit. Cùm eſſet 33. annorum, R. P. Lami Cancellatæ Priori confeſſus fuit, ſe, quod materiam impuritatis ſpectaret, inſtar infantis triennalis eſſe, & per DEI gratiam ad illud usque tempus cogitationem minùs honeſtam, quæ ſpatiô unius *Ave Maria* durâſſet, non habuiſſe, nec ullum illi conſenſum præſtitiſſe. Alios ut ad caſtitatem perfectiſſimo in gradu obtinendam animaret, dicebat, carnem eſſe duriſſimè tractandam, ut nec motus ſine ratione fieret. Octo horîs ante mortem generaliter confeſſus, R. P. Dumas Secretario præſtantiſſimum hoc donum

à DEO

Digitized by Google

à DEO ſe accepiſſe ingenuè faſſus eſt, quòd nempe ſua caro rationi nunquam adverſata, ſed inordinatis & impuris concupiſcentiæ motibus mortua fuerit. Unde poſt mortem corpus ejus, ſicut alicujus infantis, palpabile manſit ita quidem, ut eâ, quâ in vita, facilitate Pontificalibus ornamentis indui, & exui potuerit: quod ordinariè pro ſigno corporis caſti & virginei habetur. Plura excellentiſſimæ caſtitatis indicia, in Alano deprehenſa, ac fide dignîs teſtimoniîs comprobata, refert illius vitæ Scriptor Reverendiſſimus Leon. Chaſtenet, hujúsque interpres latinus R.D. Dominicus Biſſelius *L.* 3. *c.* 3. & alibi. Atque hæc eſt ſpecialis prorſus gratia ſimpliciter ſupernaturalis contra naturam, utpote quæ ob humorum effluxum, & ſpirituum penetrationem animales in corpore motus naturaliter exigit (uti ſupra n. 184. animadvertimus) qui proin contra naturæ exigentiam ex gratia Divina prorſus ceſſant apud habentes iſtum quartum caſtitatis gradum. Cæterùm hìc notandum, non omnes, qui alios caſtitatis gradus perfectô poſſident modô, iſtum etiam perfectè habere: quia reliqui magis viatoribus conveniunt; iſte verò Beatis in cœlo etiam communis eſt: in quorum corporibus poſt reſurrectionem glorioſis ſpiritualis hæc dos apparebit: quam Theologi in Tr. de Beatitudine *impaſſibilitatem* vocant; dum corpus, ab omni inquinamento terreno alienum, nihil adverſi patietur, nec ullam alterationem naturalis in carne motûs perſentiſcet. Iſtum gradum *explicitè* non poſuit quidem S. Bonav. non quaſi ignorâſſet cœleſtem & angelicam prærogativam iſtam, ſed *implicitè* ſatìs mihi clarè comprehendit illis verbis: *ſi verò pro utilitate aliorum de matrimonii caſibus aliquid tractandum occurrerit, ita quietos motus ſuæ carnis ſentiat, ac ſi de luto tractaretur.* Dici etiam poſſet, Seraphicum hunc Doctorem de caſtitatis gradibus tractare voluiſſe; prout à nobis, auxiliante DEI gratia, magno labore in ſpiritualibus acquiri poſſunt, & viatoribus communes, ſeu in hac vita proportionati ſunt; uti ex concluſione allati textûs concludere eſt; ubi ait: *prout in hoc peccati corpore poteſt haberi &c.* Aſt de his ſtatim plura.

Quintus gradus eſt; *ne, cùm memoriam generationis humanæ, vel tractatûs lectio, vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimè mentem voluptate actionis perſtringat, ſed velut opus quoddam ſimplex, ad miniſterium humano generi neceſſariò contributũ, tranquillo, ac puro cordis contempletur intuitu, nihilque ampliùs de ejus recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterum, vel cujuslibet alterius officinæ mente pertractet.* Latior adhuc eſt iſte gradus, & ſupponit priorem; ſi quis enim *ſimplices* 188

ces adhuc *carnis perſerret motus vigilans*, multò magis ſentiret, cùm ex neceſſitate de rebus turpibus ei foret agendum. Intelligitur autem hìc carnis tranquillitas tanta, ut, etiamſi aliquis de rebus fœdis, v. g. audiendo confeſſiones peccatorum valde turpium, tractando de matrimoniis, converſando cum formoſis alterius ſexûs perſonis ad earum ſalutem animarum &c. negotium habeat, nullum tamen fœdum carnis motum exinde, invitus etiam, percipiat, ſed *ita quietos motus ſua carnis ſentiat, ac ſi de luto, vel lapidibus, vel ſimilibus tractaretur*; uti in 3. gradu loquitur, & hunc quintum ſatìs perſpicuè exprimit S. Bonaventura. Quamvìs verò, ut dixi, gradus iſte ſit latior priore, & huic novam addat perfectionem, nempe ut quis non ſolùm ſimplicem carnis motum non perferat, ſed etiam talem in proxima occaſione, ac turpium materiarum tractationibus (quæ eſt ſuperaddita perfectio) non ſentiat; opinor tamen ob implicitam quandam iſtorum graduum connexionem, qui per DEI gratiam quartum obtinuit gradum, etiam quintum poſſidere: de quo infra in hoc art. objectionem ſolvemus. Interim certum eſt, omnes Sanctos, vel ſanctitatis opinione conſpicuos, non obſtante caſtitatis dono, etiam in quarto, & quinto mox aſſignato gradu, quo ſpecialiſſima ex gratia fruebantur, maximè abhorruiſſe ſemper à tractationibus turpium, & abſque evidenti animarum neceſſitate colloquia cum lubrico ſexu fugiſſe, atque adeò occaſiones proximas declinâſſe: cujus rei teſtimonia tot ſunt, quot vitas SS. legimus. Notat ad hunc gradum Religioſiſſimus P. Lanc. *opuſc. cit.* quòd illum omnes habeant, qui ſunt dono caſtitatis ornati; non verò ij omnes, qui ſolum habent dominium paſſionum ſine caſtitatis dono. Hinc diſtinguendum eſt inter caſtitatem, poſt maximos labores, & edomitas omnino paſſiones, acquiſitam, & eam, quæ ex ſpeciali DEI dono provenit: hæc enim non tantùm à ſimplici carnis motu, & in proximis etiam occaſionibus, verùm etiam extra quoque in omni loco & tempore hominem conſervat liberum. Illa autem hoc præſtat, ut ex dominio paſſionum, v. g. audiens confeſſiones peccatorum fœdorum, converſans cum formoſis perſonis &c. nullas ſentiat carnis titillationes, etiam involuntarias; quamvis in aliis occaſionibus ſoleat ſine tentatione carnis motus fœdos invitus ſentire ex repræſentatione objectorum turpium, imaginationum vel ſenſibus ſe ingerentium; ut habet cit. Auctor.

Sextus denique caſtitatis gradus eſt; *ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiens illudatur: licèt enim hanc ludificationem* 189

peccato

peccato eſſe obnoxiam, non ſit credendum; concupiſcentiæ tamen adhuc latitantis medullitùs indicium eſt. Quam tamen ludificationem diverſis modis conſtat accidere; nam ſecundùm illum uſum, quem vigilans vel exercere vel cogitare conſueverat, etiam dormiens aliquis à potiori tentatur &c. Signum hoc eſt excelſæ caſtimoniæ, ſi quis in nocturna quiete turpia non experiatur ſomnia, nec etiam in ſomniis turpes advertat in carne motus. Teſte enim Plutarcho in *opuſc. de cognoſ. in virt. prof. ex ſomniis deprehendere licet, num quis profecerit in ſtudio virtutis*; & paulò infra pulchra & huc accomoda ſimilitudine id oſtendit, inquiens: *ſiquidem ut equi jugales rectà currere inſtructi non deſerunt viam etiam dormiente auriga, ita bruti affectus domiti nec in ſomnis facilè recalcitrant.* Quæ doctrina non tantùm de caſtitatis virtute, ſed de omnibus aliis intelligenda eſt; ut ſi ſomnians præcipienti contra tuam voluntatem Superiori prompè obedias, ſignum tibi ſit in virtute obedientiæ te profeciſſe; & ita de cæteris &c. Notandum tamen hìc eſt, quòd antiqui Patres, & ipſe etiam S. Bonaventura, ab iſto gradu non excluſerint nocturnam pollutionem ſine turpi phantaſmate, & ſine ullo in ſomnis ſenſu, ſed ſolùm poſtea in vigilia animadverſam: dæmonis enim fraude, & ex naturali corporis diſpoſitione, ac DEO permittente, id contingere valet, ut noſtræ infirmitatis conſcii in humilitate conſervemur. Iſtum gradum, ſuîs conditionibûs circumſcriptum, explicat Caſſianus *L. 6. de Inſtit. c. 20. hic eſt*, inquiens, *integritatis finis, & perfecta probatio, ſi quieſcentibus nobis titillatio voluptatis nulla ſubrepſerit, ac pro neceſſitate naturæ NB. nobis inſciis concretiones egerantur obſcœnæ*: id eſt, ſine turpi motu & advertentia in ſomno effluant. Idem habet S. Bonaventura *gr. 3. cit. n. 186.* Ex qua doctrina deducendum facilè, quòd S. Petrus Cœleſtinus ob nocturnas illuſiones, quas ſine turpibus imaginationibus, & quodammodo inſenſibiliter fuerat in ſomno paſſus, neutiquam ſextum caſtimoniæ gradum deperdiderit; quin potiùs à Virgineæ Matris Filio caſtiſſima recreatus viſione, omnem anxietatem, & mentis perturbationem, quam poſt effluxionem evigilans in ſe ſenſerat, deponere juſſus fuerit; uti ſcribit ex Surio in Aprili Reverendiſſimus Lairv. *To. 1. Lect. 35. doc. 4.* Ob hanc tamen circumſtantiam, ſexto caſtitatis gradui adhærentem, quamvis omni etiam levi careat peccato, alium adhuc caſtitatis gradum, recenſitis ſuperadditum, Recentiores Aſcetæ apud R. P. Lanc. l. c. invenerunt: quem quia rationibûs ſatis congruîs probant, & exemplîs laudabilibûs confirmant, perfectioris caſtimoniæ ſtudioſis myſterium abſcondere nolui, ſed pro integritate præ-

Digitized by Google

præſtantiſſimæ virtutis hìc referendum duxi. Igitur

190 Septimus caſtitatis gradus, & ſanè excellentiſſim⁹, ab illis traditur, quando ſcilicet priores gradus aſſecutus aliquis etiam dormiens prorſus fit liber ab omni infeſtatione carnis, ſive à natura, ſive à dæmone proveniat, nullámque ſuſtinet in ſomnis noxii humoris diſtillationem. Hinc, qui iſtud ſpecialiſſimum DEI donum, poſt ſubjugationem perfectiſſimam paſſionum ſuarum, & poſt ſublimem virtutum acquiſitionem, à DEO obtinuit, non ſolùm objectum turpe, ſed etiam tale, quod cum fœditate carnali affinitatem à longè tantùm repræſentat, abhorret, & excandeſcit in ſomnio. Quòd autem gradus laudatus cæterìs ſit perfectior, ab explicatione facta ſatìs patet; cùm nocturna & *illecebroſa fœminarum illuſione* non modò careat, verùm inſuper ab honeſta repræſentatione objecti (longam cum aliqua turpitudine affinitatem habentis) abhorreat, & ad hæc ab omni turpi effluxione naturam in ſomno etiam liberam conſtituat. Hujusmodi donum perfectiſſimæ caſtitatis S. Franciſcum Xaver. accepiſſe à DEO, ſcribit ſæpè laudatus aſceſeos Magiſter P. Lanc. *l. c.* nam, *cùm fœmina aliqua non impudica videretur tangere pectus S. Franciſci velle, & manum intra veſtem pectori adjunctam inſerere, hôc ſolô ſomniô ita illum contactum repræſentatum abhorruit, ut ſtatim evigilaverit, & magnam ſanguinis copiam è naribus effuderit.* Conſimilem caſtitatis gradum refert Surius ad 13. Mart. de S. Euphraſia Virgine; cui aliquando in ſomnio videbatur Senator ille, cui quintô ætatis annô jam fuerat deſponſata ex mandato Theodoſii Imperatoris, portas Monaſterri, in quo virginitatis votum emiſerat, cum militibus intrare, eámque inde vi eripere &c. Verùm tantam vim ac moleſtiam in ſomno etiam ferre non potens adeò exclamavit virgo, ut omnes in Monaſterio ſorores, ei vicinæ, audiêrint tantâ de injuriâ conquerentem. Pluribus in confirmationem hujus doctrinæ afferendis ſuperſedeo; cùm prolixiori calamo tractata ſit hæc virtus, quàm cōmuniter ſolent alii pro Novellorum inſtructione. Pauca tantùm reſtant notanda, & ad pleniorem ſatisfactionem adhuc ſolvenda dubia, quæ ſubjicimus.

§. IV.

Dubia quædam circa hanc materiam ſolvuntur.

191 DUbitatur 1. quomodo is, qui ex ſpeciali DEI gratia quartum caſtitatis gradum habet, non ſimul etiam habeat cæteros ſuperiores?

res? qui enim vigilans nec ſimplicem carnis perfert motum (qui eſt quartus gradus) & ita abſolutum exemptionis à carnis infeſtatione privilegium habet, etiam in omni occaſione, v. g. dum expreſsè de turpibus materiis tractat, aut dormit (qui ſunt cæteri gradus) illô gaudebit: ergo in 4. gradu includuntur reliqui omnes, nec opus erit ſeptem ponere. Reſp. quartum gradum ita intelligendum eſſe, ut in vigilia & interdiu non ſentiantur motus, & plus non includi in illo, quàm hoc ſatis excellens privilegium; frequentiùs enim & efficaciùs ſolent homines tentari, ubi ſenſus vigilante ratione capaciores ſunt ad percipiendam carnis voluptatem. Quia verò majus adhuc eſt, quæſitîs occaſionibûs irritare quaſi carnem, & nullos tamen ſentire motus, ideò 5. gradus rectè à S. Laurent. Juſt. & S. Climaco fuit conſtitutus: quod brevi hac & patenti demonſtro paritate: multum eſt, ſi ignem & ſtupam conjungas, nec tamen concipi ignem in ſtupa; majus eſt, ſi inſuper oleum affundas, & combuſtibilem ex ſe ſtupæ materiam adjecto ſulphure eleves, & in medium projicias ignem, quin tamen inde ſtupa abeat in flammam: utrumque ſanè miraculoſum; poſterius tamen priore majus eſt. Ita pariter magnum eſt DEI donum, ſimplici carnis ſtimulo carere; at majus habetur, nullum ſentire motum in mediis incentivis, ubi ſenſus humani ex pertractatione de rebus fœdis à ratione quaſi acuuntur, ac ſenſibile objectum magìs percipiunt. Porrò, quia *qualia ſolet anima interdiu meditari, talia & in ſomnis imaginatur, & effingit*; uti loquitur S. Chryſ. *ſer. 6. in Gen.* ſi ex neceſſitate impura pertractat per diem, ubi ſenſus caſtè quieſcunt ſine motu, vigilante ratione; magnum tamen periculum eſt, ne obdormiſcente ratione ſenſus hauſta per diem objecta in phantaſia repræſentent, & in ſomnio carnem commoveant: hinc poſiti ſunt 6. & 7. gradus, per quos caſta anima in altiſſima caſtimoniæ perfectione collocatur: atque his puto dubium iſtud ſolutum.

Dubitas 2. ex annotatione *n.* 187. factâ, quomodo aliquis poſſit habere ſuperiores caſtitatis gradus, quin habeat inferiores: ſic v. g. quomodo ſit in aliquo 6. vel 7. gradus, in quo tamen non ſit 3. & 4.? Ratio dubitandi eſt; quòd ad virtutem aſcendatur per gradus, non per ſaltum; item nemo derepentè fiat peſſimus, ut aſceticum fert adagium; ergo etiam nullus ſine intermedio fit in virtute maximus. Reſp. altiores caſtitatis gradus, ubi ſunt abſque inferioribus, gratiæ Divinæ beneficio unicè eſſe adſcribendos, ídque totum in voluntatem DEI referendum. Rationem hujus præbent Theologi myſtici, quòd nempe DEUS uni majora dona, & caſtitatis gradus 192.

perfectiores ſæpè ſoleat concedere, & minora denegare, ut majora aſſecutus evidenter cognoſcat, non ſuîs ea precibûs, aut propriîs meritîs ſe acquiſiviſſe, & ita continuam habeat humilitatis materiam; cùm in ſe videat, quòd omni virium ſuarum conatu adhibito minora, ſeu inferiores virtutis gradus obtinere non poſſit. Perpulchrè magnus Pontifex Greg. *L.* 3. *dial. c.* 14. inquit: *magna eſt omnipotentis DEI diſpenſatio, & plerumque contingit, ut quibus majora bona præſtat, quædam minora non tribuat, ut ſemper eorum animus habeat, unde ſe reprehendat*: id eſt; ſibi exprobret imperfectiones, & ob eas humiliet ſe. Sic S. Paulus majora aſſecutus, quin & in cœlum raptus, ſtimulum tamen carnis, & Angelum Sathanæ ſuſtinere debuit, ne ſe extolleret. Sic B. V. Maria revelante DEO maxima myſteria Trinitatis, & Incarnationis quoad ſubſtantiam, & majoris momenti circumſtantias adhuc in utero Matris longè perfectiùs, quàm Angeli, Adam, & Apoſtoli, intellexit; ut docuit Suar. *t.* 2. *in* 3. *p. d.* 19. *ſ.* 1. minores tamen eidem non ſtatim revelavit DEUS; nam verba illa à Chriſto ſibi dicta, dum in templo in medio doctorum fuerat inventus: *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe &c.* non intellexit; prout atteſtatur S. Scriptura *Luc.* 2. *v.* 50. *& ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.* Sic Apoſtoli viventis in carne Chriſti Divinitatem perfectè agnoſcebant, neſciebant tamen ſcripturam; *quia oportebat eum à mortuis reſurgere*: *Joan.* 20. *& Matth.* 16. Majus autem Myſterium eſt Divinitas Chriſti, quàm ejus Reſurrectio. Sic Angelis revelata fuerunt Myſteria Trinitatis, Incarnationis, circumſtantiæ tamen diu iis ignotæ, & irrevelatæ permanſerunt; ut docent Theologi cum S. Thoma *p.* 1. *q.* 57. *a.* 5.

Cæterùm, ut directè reſpondeatur ad dubium, diſtinguendum inter *caſtitatem infuſam*, ſeu ſupernaturalem, & *acquiſitam* noſtro labore: illam DEUS pro ſua bonitate in gradu 4. 6. aut 7. animæ infundere, & aliquamdiu conſervare poteſt; dum interea talis quoad acquiſitam tertium nondum attigit gradum. Reſpondetur ergo ad rationem dubitandi cum diſtinctione aſſignata: ad virtutem acquiſitam, & quoad noſtrum conatum aſcenditur per gradus non per ſaltum; conceditur: ad virtutem ſupernaturalem infuſam, & quoad modum conferendi Divinum aſcenditur per gradus; negatur. Additum quoque axioma intelligitur de vitioſo habitu, qui frequentatîs actibûs, non unô, contrahitur, & hominem tandem peſſimum facit propter inſuperabilem conſuetudinem. Unde ſi paritas fiat inter virtutes merè acquiſitas & vitia, certum eſt, nullum derepentè

fieri

Digitized by Google

fieri optimum, aut peſſimum; cùm ſemper habeantur difficultates intermediæ, & gradus ſuperandi. Si quæſtio autem ſit de virtute ſupernaturali, utpote connexa cum gratia habituali & ſanctificante, certum eſt, hâc per mortale peccatum deſtructâ, hominem derepentè fieri peſſimum in hoc ſenſu, quòd ſcilicet ſpolietur omnibûs donîs ſupernaturalibûs, fiat inimicus capitalis DEI, amittat jus & hæreditatem cœleſtis gloriæ, reúſque conſtituatur infernalis pœnæ: quo quid pejus eſſe poterit? Cùm igitur graviſſima mala inferat vel unum peccatum lethale; imò quia, afferente S. P. N. Aug. *contra Fortunat. diſp.* 2. *origo, & caput mali eſt peccatum*, bene dici poteſt peccator *peſſimus*. Ob eandem rationem appellatur *mors peccatorum peſſima*: *Pſal.* 33.

193 Dub. 3. quia DEUS donum perfectæ caſtitatis homini infundendo tribuit: ergo non eſt in noſtra poteſtate eam ut perfectam adipiſcendi; conſequenter omnis humanus labor, & conatus erit irritus. Reſp. certam eſſe doctrinam Theologorum omnium cum S. Thoma, Bonaventura, aliiſque SS. PP. præſertim S. Auguſtino, perfectam caſtimoniam eſſe donum de ſurſum datum. Fundatur hæc veritas clariſſimè in S. Literis *Sap.* 8. *v.* 21. ubi ſapientiſſimus Rex fatetur: *ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det, & hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cujus eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum illum &c.* Cum Aſcetis quoque eandem aſſignat S. Joan. Climacus gr. 15. aſſeverans, *caſtitatem noſtris laboribus & induſtriâ acquiri non poſſe, & poſſibile non eſſe, ut quiſpiam naturam ſuam vincat: ubi verò natura ſuperata eſt, illic is, qui ſupra naturam eſt, adveniſſe cognoſcitur.* Dein: *qui ſuâ induſtriâ carnem ſuam vincere, vel debellare vult, in vanum currit &c.* Ita pariter ad perfectum caſtitatis donum *requiri privilegium ſpeciale*, hoc eſt, gratiam ſupernaturalem ſingularem, concludit *n.* 176. cit. S. Bonav. & propriîs tandem verbîs confitetur, confirmátque S. P. N. cit. *n.* 187. Directè jam reſpondendo ad propoſitum dubium, conceſſa propoſitione antecedente, negatur ſequela: quia vel maximè liberum noſtrum arbitrium cooperari etiam debet, & concurrit cum Divina gratia ad ſupernaturalem virtutem; hinc quoque in noſtra eſt poteſtate, virtutem caſtitatis acquirendi, modò velimus ad eam nos diſponere, & noſtrum adhibere conatum: *facienti* enim, *quod eſt in ſe, DEUS non ſolet denegare ſuam gratiam*; uti fert Theologica paræmia: atqui cum DEI gratia poſſumus aliquod opus ſupernaturale efficere: ergò etiam cum eadem poſſumus caſtitatem obtinere. Hôc itaque modô in forma ſcholaſtica dubium diſſolvere quiſque ſibi

Digitized by Google

ſibi poterit: ergò omnis conatus pro acquirenda perfecta caſtitate erit irritus, *ſine gratia Divina*; concedo: erit irritus, cum præfata gratia, & ad quam elargiendam per inſignes mortificationes, & ſublimia virtutum aliarum exercitia DEUM quodammodo movere quis poterit; nego. Atque hîs ſufficienter ſolvitur aſceticum dubium: de quo plura Theologi Scholaſtici in materia de gratia, & alibi.

194 Quæres ergo, qualem conatum adhibere debeas pro hac virtute à DEO obtinenda? Reſp. Præter illas obſervationes, quas ſupra *n.* 182. recenſuimus, ſequentes adhuc tanquam diſpoſitiones bene in praxi eſſe notandas; & quidem ex S. Climaco, priori numero mox relato. 1. *Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatem, & tuam humilitatis imbecillitatem agnoſcens* frequentes & ferventes ex intimo corde preces ad DEUM emitte, ut tibi hoc donum concedere, animam, cor, & ſenſus tuos purificare, atque ab omnibus carnis illecebris, phantaſiis, hauſtisque impuris objectis, penitus abſtrahere dignetur. 2. Profundam continuò exerceas humilitatem; cùm enim caſtitas ſit Divinum donum, hoc non conceditur niſi humilibus; DEUS namque *ſuperbis*, & qui in ſuis confidunt viribus, reſiſtit, *humilibus autem dat gratiam.* Quantam autem amicabilem, ne dicam, indiſſolubilem, connexionem habeant humilitas & caſtitas, perhibent SS. PP. *cap.* 2. *a.* 2. *n.* 54. *& a.* 6. tradita documenta. 3. Peccata venialia, etiam minima, contra hanc virtutem ſtudioſè devites: ſunt enim quævis peccata venialia impedimenta quidem ſpiritualis profectûs; ut clarè docet Angelicus Doctor *3. p. q.* 87 *a.* 1. *ad* 1. magis tamen in profectu caſtitatis nocent propter relictas in phantaſia ſpecies, & ſequentes inde connaturales concupiſcentiæ motus; prout hucusque oſtenſum fuit. 4. In minimis igitur rebus tuam mortifices ſenſualitatem: mortificabis autem ea ſedulò obſervando, quæ ſuprà *n.* 182. & hinc inde per Tractatum ſunt poſita. 5. In omnibus exercitiis ſpiritualibus poſſibilem adhibe fervorem, meditationes, aut conſiderationes frequentes de iſthac virtute inſtitue, ejus decorem, honeſtatem, meritum cœleſte, & incomparabilem, quam in animam introducit, puritatem ob mentis tuæ oculos pone, & ab exemplis Sanctorum imitationem aſſume, atque quibusdam jaculatoriis precibus, ad depellendas quasvis turpes cogitationes accommodis, aſſueſce. 6. Frequens denique, & verè devotus uſus SS. Eucharistiæ, viſitatio pia, & ſingularis ejus cultus, ad depellendam immunditiam carnis, & inducendam puritatem maximè juvant: virgineæ enim puritatis fons in hoc SS. Sacramento lar-

Digitized by Google

largiſſimè dimanans, concupiſcentiæ flammas extinguit: & *per hoc, quod Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis tanquam ſpiritualis cibus, & medicina*; *dein, quia eſt quoddam ſignum Paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt Dæmones, repellit omnem Dæmonum impugnationem*: ſicut docet S. Th. 3. *p* q. 79. *a*. 6. quin etiam indirectè *carnis fomitem diminuit*: ibidem *ad 3*. Idem docet S. Cyrillus Alex. *L*. 4. *in Joan. c.* 17. in Evchariſtia enim *perturbationes animi extinguit, & ſedat Chriſtus, cùm in nobis manet, ſævientem membrorum noſtrorum legem*; id eſt, fomitem; ut Doctores intrepretantur apud Lanc. *op. de hum. paſſ. Dom. cap.* 17. Idem docet S. Laurent. Juſt. *de caſto Connub. c.* 7. conceptis verbis: *hoc autem optimum eſt, ac ſalubre remedium ad comprimendum voluptuoſos animi motus, ut ſi quis hac ſe ſenſerit peſte vulneratum, omni, qua valet, virtute ſtudeat Divina frequentare Sacramenta*: ſcilicet SS. Evchariſtiæ.

Plura opus non eſt adducere SS. PP. Teſtimonia; cùm ipſa experientia teſtetur effectum, ab hoc amabiliſſimo, & puriſſimo Evchariſtico profluentem fonte, quem tot animæ ſanctæ hauſerunt, & libârunt cum optatiſſimo fructu, atque angelicam virtutem anhelantes etiamnum efficaciſſimum experiuntur contra illecebras carnis remedium. Hæc de virtute caſtitatis.

PROBATUS LILII CANDOR.

LILIUM & Caſtitatem candore probari, Symbolographi variis expreſsîs emblematibûs repræſentant; etenim, ſicut nivea lilii albedo omnium in ſe attrahit oculos, ita etiam candidiſſima Caſtitas allicit quoscunque in ſe animos: nam *tanta vis eſt probitatis & Caſtitatis, ut omnis, vel penè omnis, ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeò ſit turpitudine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis*. Ita Lemma Caſtitatis laudatur, & *probatus lilii* cum pudicitia Symbolizantis *candor* approbatur à Doctore noſtro *de Civit. D. L.* 2. *c.* 26. Ut plures caſtitatis virtute eminentes tum cœlo jam adſcriptos, tum pietate ſpectabiles Canonici Ordinis viros, ac Virgines nive candidiores, S. Cæſariam, Radegundem, Brigidam, Aldegundem, Julianam, Mechtildem Dieſſenſem &c. devotiſſimô pertranſeamus ſilentiô; Ivonem Carnotenſem Præſulem proponimus. In agro ille Bellovacenſi natus, nobili à ſanguine nobilem animum traxit. Patrem habuit *Hugonem de Altoylo*, Matrem *Hilemburgim* dictam. A teneris annis

annis ſcientiis prophanis ac ſacris eruditus Eccleſiæ S. Quintini Bebracenſis Abbas exſtitit, quo in loco Canonicorum Regularium S. Auguſtini Ordinem multîs laboribûs à ſe reſtauratum per univerſam Galliam mirè propagavit: tanta enim erat illius Monaſterii, Ivonísque pietas, ac Canonicæ obſervantiæ fama, ut multa Cænobia, accitîs inde Canonicis, aut recèns ædificata, aut reſtaurata, celebrésque ex iis viri ad Epiſcopales mitras aſſumpti fuerint. Ab Urbano II. Anno 1092. Capuæ Carnotenſis Epiſcopus (invitus licèt) utpote quietis amans, nec dignitatibus inhians, ordinatus, Eccleſiaſticam diſciplinam accerrimè propugnavit, multorúmque vivendi licentiam, ac depravatos mores quâ ſcriptîs, quâ linguîs repreſſit. Miniſtros Eccleſiæ maximo ſemper in honore, ab ipſis etiam Regibus, haberi ſategit. Nec minori zelo accenſus, Philippum Galliæ Regem, qui, relicta ſua uxore Berthâ, alienam, Bertrandam ſcilicet, Fulconis Andium Comitis conjugem, duxerat, liberè reprehendit, nec ullîs unquam precibûs, minîs, aut promiſsîs à propoſito ſuo deterreri potuit. Pepererunt hæc ſibi Philippi, aliàs amiciſſimi, & Bertrandæ odium inſenſiſſimum. Sed ejus odio inſuper nihili habito, à quo nec amari vellet, adversùs illum ita fervorem animi temperavit, ut, licèt illius libidinem acriter coercuerit, Majeſtati tamen Regiæ cæterà obſequioſum ſe præſtiterit, & rerum illius, atque adeò totiùs regni amantiſſimum. Fugit interea diu Regis conſpectum, & in aulam adventare etiam vocatus renuit; ne, ſi adeſſet, & taceret, favere, ſi verò obloqueretur, Regem offendere videretur. Quare bonîs omnibûs ſpoliatus, è ſua ſede ejectus, penuriam ipſam panis, & ſitim aquæ, aliáſve injurias à Regis miniſtris fortiter ſuſtinuit: inter quos hac in re primas tulit Hugo Puteacenſis Dominus, Carnutum Vice-Comes; qui, dum Regi morigeratur, & adulteris vel etiam inceſtis adblanditur, Ivonem noſtrum carceri tradit, ac in caſtello quodam diu detinet; quo frangat animum, ni ſaxo fortior eſſet. Quo ex loco in epiſtola ad Manaſſem Remorum Archiepiſcopum ita de ſeipſo teſtatur Juſtitiæ promotor imperterritus: *quàm crebrìs luporum incurſionibus aggravata ſit Bellovacenſis Eccleſia, non eſt neceſſarium, veſtram docere prudentiam; ſed quia illa me genuit, & fundamenta Religionis in me poſuit, cùm illa infirmatur, non poſſum non infirmari.* Canonicos autem ſuos Bellovacenſes plenîs amore litterîs conſolatus eſt; quibus inter alia hæc ſcripſit: *præſens animo, corpore verò abſens exopto, & exhortor, ut pacem ſectemini, & ſanctimoniam. Hæc debetis; hæc exhibentis magìs: per hæc bono odore diffuſo, qui haſtenus à vobis proceſſit,*

ceſſit, & facultates Eccleſiæ veſtræ multiplicabitis, & cuncti de virtute in virtutem, ut filii pacis, in pace in idipſum dormietis &c. Diuturnis tamen gravibúſque in ærumnis tam rigidi carceris, in quo non parvîs injuriîs afficiebatur, invictus perſtitit Ivonis animus: cúmque ad aures ejus perveniſſet, urbis Carnotenſis Proceres ſimul & cives armîs Epiſcopum ſuum liberandi unanimis eſſe voti, paterno affectu eorum animos compoſuit, prohibuítque, cedro dignas proferendo reſponſiones, nolle ſe libertate potiri, quæ ſanguine, & detrimento ſuorum conſtaret; decens non eſſe, ut, qui armîs bellicîs ad Epiſcopatum non venerat, illum armîs recuperaret; cùm invaſoris, non Paſtoris id eſſet; decretum ſibi jam per cœli gratiam, non ſolùm ſtrictiſſimô includi ergaſtulô, vel Eccleſiaſtico privari honore, ſed longè magìs etiam mori, quàm ſui cauſâ vel minimam hominum fieri ſtragem. Addidit tandem: *faciat Rex adversùm me, quantùm libuerit; includat, excludat, proſcribat; pati decrevi pro lege DEI mei.* Non minorem propugnandæ caſtitatis, quàm juſtitiæ adhibuit curam magnanimus in utroque Præſul. Cùm Abbas adhuc eſſet Bellovaci, nihil docuit, nullum ſtatutum erexit, cujus ipſe priùs exempla non dederat; calcar enim in ſubditorum animis eſt virtutis prælucentis radius, qui in Superiore, veluti clauſtrali Phœbo, cernitur oculîs. Inter alia laudabiliſſima decreta conſtanter obſervari à ſuis voluit, ut familiaritas lubrici ſexûs penitus eſſet proſcripta, fœminarum aſpectus ſive in loco ſacro ſive profano cautiſſimè evitaretur, verbum nullum in toto collegio audiretur pudicitiæ honeſtati contrarium; ſed puritas tanta ſervaretur in mente, ſenſibúſque internis, in corpore, facultatibúſque exterioribus, quæ animam dignum DEO puriſſimo habitaculum præpararet. Rigidus adeò erat zelator candidiſſimæ hujus virtutis, ut non tantùm ipſe in fœminam nullam figeret obtutum, colloquia fugeret, affectus ab omni etiam leviſſima impuritate teneret alienos, ſed &, ſi in Canonicorum quocunque procacitatem oculorum, vel minimam levitatem, Angelicæ doti oppoſitam, animadverteret, quantocyùs argueret, & graviùs longè corriperet in hanc regulam impingentes, quàm alios, majorem in aliis forte exceſſum aut defectum committentes. Ubi planè Aurelianam Maximam, *cap. 5. & 6.* expreſſam, ad amuſſim ſervavit: *ſtatim admonete, ne cæpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur.* Nec quæras, quo ex foco tantum caſtiſſimæ virtutis ardorem, omnia carnis deſideria comburentem, ac cœleſti igne conſumentem, deſumpſerit Ivo? nam caſtitatis leges, corporis mortificationes extremas, ſenſuum abne-

gationes, ferventes ac continuas preces, devotiones denique, incendii inſtar flagrantes, erga ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum tenuit; unde fervor, robur, & auxilium illi advenerat. Hinc nulla erat dies, in qua Myſteria mundiſſima mundè, & ſanctiſſima ſanctè non tractabat: ab his nulla negotia, quamvis graviſſima, ſoli morbi ad lectum proſternentes, & vincula iniquiſſima aliquando Sanctum Antiſtitem prohibere poterant. Sæpiùs ad aram offerentis caput cœleſtibûs radiîs circumfuſum, & globus igneus micare ſupra illud fuit viſus, ita ut in ſublime contendens longiùs collum, crinémque flamma producceret. Cæterùm Romanam Sedem maxima in veneratione habuit, eligens magis adverſa quæque pati, quàm à ſenſu & auctoritate Romani Pontificis dimoveri. Ad hæc SS. Canonum ſubtiliſſimus interpres Patrum ac Conciliorum decreta in unum volumen redegit, ac multa alia Eccleſiæ perutilia conſcripſit; in quibus inſignis ejus eruditio, cum pari pietate conjuncta, maximè elucet. Pictavienſi etiam Concilio interfuit, & ſubſcripſit. Liberalitas in Religioſos, ac pauperes non ultimo reponenda eſt loco; ſiquidem illis antiqua cœnobia inſtauravit, aut nova è fundo erexit: his vero xenodochia, & pro leproſis domum extruxit, liberalitérque dotavit. Sanctitate tandem cœlo jam matura, meritis & diebûs plenu s 23. Decembris fatis ceſſit Anno 1115. ætatis 80. Epiſcopatûs 24. Tumulo ipſius poſtea ſequens Epitaphium fuit appoſitum.

Mente, manu, linguâ, doctrinâ, corporis uſu
Munificus, prudens, affabilis, utilis, inſons.
Prima columna domus Domini, quam jure ſalubri
Fovit, munivit, conſtruxit, jugiter auxit
Conſiliô, ſcriptîs, quo viveret ordine, rebûs.
Cujus opem gratìs, æger rem, ſenſit egenus.
Iſtius urbis apex, memorandus Epiſcopus Ivo,
Hâc ſitus exſpectat jam adventum Judicis urnâ.

Inter divos relati memoria non celebratur hoc die, ſed 20. Maij; quo ſacra illius oſſa elevata, ac translata fuêre: ſed S. Pius V. conſtituit, ut ejus feſtum ſub ritu duplici dicto die 20. Maij à Canonicis Regularibus haberetur. *Ex vita, operibus ipſius Anno* 1647. *editis præfixa, ac officiis Can. Reg. Congreg. Lateranenſis, & Gallicanæ.* Patrii ne defectus ſit exempli, quorum innumera eſſent referenda ex tot celeberrimis, & antiquiſſimis Canoniis, Auguſtiſſimorum Imperatorum, Regum, & Principum, aliarúmque Illuſtrium Familiarum largiſſimîs impenſîs fundatis, dotatis,

tatis, & etiamnum florentibûs, unum placet adducere. Illud præbuit Reverendiſſimus Petrus Mittman Sileſius, Archidiaconus, & Præpoſitus Garſenſis: qui Canonicum Inſtitutum amplexus eſt in celeberrimo Bavariæ inferioris Collegio, Baumburgum dicto; inde verò poſtulatus ad mitram, Archidiaconatúmque Garſenſem ejusdem Provinciæ. Miranda prorſus fuit illius in Deiparam Virginem devotio, cui nihil dulcius erat, quàm de Mariæ encomiis ac meritis colloqui, aut alios de hac materia diſſerentes audire. Ut verò in perenni recordatione eſſet eadem Cœlitum Regina, pulcherrimas Illius imagines depingi, & Archifraternitatem SS.mi Roſarii in Eccleſia Garſenſi inſtitui curavit. Tenerrimam etiam Immaculatæ Conceptionis ejusdem Beatiſſimæ Virginis devotionem tum in publico etiam choro Archidiaconalis Eccleſiæ ſuæ, tum in foro apud ſubjectos immediatæ Jurisdictioni Archidiaconali, copioſum clerum, & populum induxit. Præter alias virtutes caſtitatem adeò exactè ſervavit, ut & leviſſimam ejus perdendæ umbram præcaverit: hinc etiam de ea ſervanda tot ſalubria conſilia, & præcepta dedit ſubditis, Religioſis, & adoleſcentibus, quos omnes ad accuratiſſimam cuſtodiam corporis, & ſenſuum adhortatus eſt, & nec leviſſimi joci causâ vel amicitiæ etiam pati voluit, ut unus alium vel manu prehenderet, vel veſtem contingeret: imò nec propiùs accedere, vel ſedere ad quempiam toleravit. Ut verò magis ejus virtus eluceſcat, promenda illa, quæ ex ſchediasmate propria ſua manu exarata (cui titulum inſcripſit: *Particulares Conſcientiæ rationes, & propoſita*) in Archivio Garſenſi aſſervantur. Verba Petri ſic habent: „quoties cogitatio, vel imaginatio inhoneſta ſe „ingeſſerit, ſtatim vel contemnam, „vel cum horrore, & indignatio„ne, crucíſque ſignatione me con„vertam ad aliam cogitationem, „videlicet de DEO omnia vidente, „& tales cogitationes execrante: „vel cogitabo illam rem cogita„tam, vel imaginatam, in bonum „& honeſtum uſum à DEO crea„tam, eſſe corruptibilem, & ſor„didam, mutabilem, & brevî in „cinerem convertendam. Idem „faciam, quando orietur vana, aut „curioſa cupiditas, rem aliquam „inhoneſtam, aut ex ſe indiﬀeren„tem aſpiciendi, audiendi, vel „tangendi, illos ſenſus in me vi„vere, & agere non ſinam, ſciens „hoc magìs placere DEO, nihíl„que in illa re contineri, niſi meram „vanitatem. Si ſenſero aliquam „moleſtiam in corpore aut in cute, „tanquam truncus manebo, & nec „digitum movebo pro illius amo„tione; ut ſic me exerceam in pa„tientia. Si autem ſenſero carnis „titillationem aliquam, aut illius

„ periculum, ſtatim exhorrebo, & „ me ad alia convertam, nihil om- „ nino agens, quod corporis, aut „ carnis delectationem, conſola- „ tionem, aut commoditatem non „ neceſſariam generare poſſit. Si „ utilitas, aut neceſſitas jubet in- „ ſpiciendi, audiendi, vel tangen- „ di rem aliquam licitam, ſed tamen „ periculoſam, ad ſenſationem di- „ ſponentem, v. g. in humano cor- „ pore faciem, oculos, & alias par- „ tes, aut aliquid pulchrum, non „ hærebo, ſed citò me convertam, „ tranſibo, & penetrabo ad inte- „ riora, cogitans quòd in illa par- „ va forma, vel illa ſpecie, ſub il- „ lo membro putredo lateat, nobi- „ liſſima verò, & pretioſiſſima ani- „ ma ad cœli gaudia condita ſit, „ facta DEI templum, qui in illa „ habitat. Repugnat itaque hone- „ ſtati, & excellentiæ, nec non „ dignitati hominis Chriſtiani, ma- „ ximè Religioſi, ex rebus iſtis cor- „ poreis, & ſordidis objectis inho- „ neſtam aliquam, & illicitam de- „ lectationem quærere, cùm in „ alium uſum, & finem à DEO ſint „ creatæ. Novit enim generoſus „ animus hæc infra ſe eſſe, & hæc „ non ob talem delectationem in- „ honeſtam, ſed alios fines condi- „ ta eſſe. Pudeat ergo animum „ tam nobilem & generoſum à „ voluptate tam vili trahi, decipi, „ ac ſuperari ab illa voluptatula, „ quæ aliis etiam beſtiis eſt com- „ munis &c.

Tam ſanctæ & ſanæ caſtitatis ſervandæ propoſita Petri utinam in omnium Religioſorum animis ſtylô ferreô inſcripta figantur, hæreántque immobiliter! Mirum verò nemini videri debet, adeò in ſublimi gradu caſtimoniam fuiſſe Petro; nam in illius anima fundamentum, radix, & altrix virtutum *humilitas* altiſſimam locaverat ſedem, ut aſſerat vitæ Scriptor, etſi præclariſſimis virtutibûs amoris Divini, zeli animarum, mortificationis, patientiæ, prudentiæ, providentiæ & caſtitatis, aliíſque dotatus fuerit Petrus, *humilitatem tamen in eo fuiſſe palmariam*; quippe oſculari terram, publicè ſuis ad menſam aliquoties per annum inſervire, aliáque abjecta præſtare obſequia, deliciæ ejus erant. Licèt eſſet Præſul mitratus, & Archidiœceſis Salisburgenſis Archidiaconus, ampliſſima juriſdictione ſpirituali præditus, à quibusdam parùm ſibi addictis in publico convivio longè infra primos, inter quos ipſe evidenti jure præeminebat, collocatus, ſine tergiverſatione cum confuſione quantacunque paruit, delectatus per omnem vitam confundi, deſpici, humiliari. Compenſavit DEUS humiliationes tantas per gratiam S. R. I. Electorum, Principum, & Epiſcoporum, quorum Petrus familiaris factus, integrîs literarum falcibûs ad illum miſsîs, poteſtatem accepit, inferioris Bojariæ Collegia viſitandi, reparandi, diſciplinam regula-

gularem inducendi: quod etiam cum inſigni emolumento Ordinis, & contentîs Principum animîs præſtitit. Meritîs plenus deceſſit Anno 1645. ætatis 70. Prælaturæ 22. *Ex horto ſacro M. S. A. R. D. Chryſoſtomi Hager ejus loci Can.*

ARTICULUS VII.
De Virtute Modeſtiæ.

SUMMARIUM.

195. *Commendatio modeſtiæ à SS. PP. & Ethnicis Philoſophis.*
196. *Etymologia hujus, ac varia deſcriptio.*
197. *Diverſa regit officia, & propterea quoque obſervanda eſt in Choro.*
198. *In Refectorio, ubi traduntur regulæ à M. Hugone,*
199. *Ac S. Pachomio, & S. Bonaventura.*
200. *Modus oſtenditur cum Superioribus, æqualibus, & inferioribus agendi:*
201. *Atque etiam cum ſæcularibus.*
202. *Proponuntur regulæ pro modeſtia oris, & linguæ,*
203. *Manuum, digitorum, & brachiorum,*
204. *Inceſsûs, & pedum, ac denique*
205. *Oculorum.*
206. *Concluſio Articuli à Doctore Pariſienſi, & hiſtoriâ exemplari.*

195 QUantæ æſtimationis cultus exterior & morum civilitas fuerit apud Sanctos, & viros tum Religioſos, tum ſæculari dignitate conſpicuos, liquet; nam & ipſi Ethnici, Seneca, Plutarchus, Theophraſtes, Cicero, aliique magni nominis, plurima tradiderunt præcepta de urbanitate & compoſitione morum. Hinc in variis Rebuspublicis, ſicut olim Romæ, conſtituti erant Cenſores, quorum erat officium in mores externos inquirendi, emendandi, corrigendique laxiorem vivendi rationem; erántque ij inter alios magiſtratus maximæ reverentiæ & poteſtatis: & officium cenſuræ ſpeciali privilegio quinquennium durabat, dum alii magiſtratus annui erant. S. Thomas 2. 2. *q.* 160. *a.* 1. & 2. docet ſpecialem eſſe virtutem modeſtiam. S. P. N. Aug. eam paucîs, ſed gravibûs verbîs, commendat in *Reg. c.* 4. jubétque, ut *in inceſſu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus noſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod noſtram deceat ſanctitatem.* Venerabilis Hugo de S. Vict. eam virtu-

Digitized by Google

tem 21. capitibus Novitiis ſuis expoſuit, ac ſummopere commendavit. Enimverò cultus exterior morum eſt *forma honeſtatis, & ornatus ad omnem actionem accommodatus*; ut ait S. Ambroſ. *l.* 1. *off. c.* 18. vel *decor honeſtatis*; ut appellat S. Th. *l. c.* ex cujus defectu Viri ſancti malè ominabantur de aliis: *de exterioris namque hominis motu interioris ſtatus agnoſcitur*, teſte Caſſ. *l.* 12. *inſtit. c.* 29. Ipſe etiam Spiritus S. atteſtatur *Eccl.* 9. *ex riſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Sic S. Greg. Naz. ex immodeſtia Juliani adhuc pueri futuram apoſtaſiam à fide Chriſti, & omnia ejus mala prævidit; uti ſcribit *orat.* 2. *in Jul.* in hunc modum: „neque enim „quidquam mihi ſignificare, at„que ominari videbantur cervix „non ſtata, humeri ſubſultantes, „& ad æquilibrium ſubinde agitati, „oculus inſolens & vagus, furio„ſéque intuens, pedes inſtabiles „& titubantes, naſus contume„liam & contemptum ſpirans, riſus „petulantes & effrœnati, nutus & „renutus temerarius, ſermo hæ„rens ſpiritúque conciſus, inter„rogationes ſtultæ & præcipites, „reſponſiones hîs nihilo meliores, „aliæ in alias inſultantes, nec gra„ves, nec & conſtantes, nec eru„ditionis ordine progredientes: „quid ſingula deſcribere neceſſe „eſt? talem ante opera conſpica„tus ſum, qualem in operibus po„ſtea cognovi. Hucusque S. Greg. Pariformiter S. Ambr. ex pravo Clericorum geſtu vitia eorum commiſſa, aut committenda augurabatur; ut patet ex *l.* 1. *off. c.* 18. Nolim plures hìc Sanctos Patres, S. Bern. *de tripl. jud. Monach.* Laur. Juſt. *de diſc. Monaſt. converſ. c.* 17. alióſque veteres Sanctos in vita ſpirituali magiſtros, Pachomium, Ephræm, Baſilium, Dorotheum &c. in medium adducere, ne contra intentum noſtrum longiores referendo ſimus. Rem ipſam potiùs aggredimur, ut virtute adeò Religioſis neceſſaria illecti Novitii citò ad eam totîs incumbant viribûs, atque à religioſa quodammodo adoleſcentia ſua aſueſcant concinnè membrorum compoſitioni & externarum actionum religioſæ honeſtati, ipſimet nempe modeſtiæ, apprimè ſtudeant.

Modeſtia igitur ſecundùm S. 196
Bern. *L.* 3. *de Conſid.* deſumpta eſt à *modo*, & *ſto*; eo quòd modus per eam in nobis ſtet, ac ſi modeſtia ſuo Clienti dicat: *in te conſiſtito, tene medium, ſi non vis perdere modum.* Hinc, qui præſcriptum rationis, & ſtatus ſui modum in ſuis geſtibus ac motibus non obſervant, per exceſſum contra modeſtiam peccant: qui autem ruſticorum & rudium more inter alios verſantur, ex defectu immodeſti dicuntur. Alii

Alii modeſtiam derivant à *modo*, & *ſtatu*, ita ut quilibet ſe gerat ſecundùm ſtatûs ſui modum & decentiam. Alii etiam à *modo*, & *honeſto*; vel à *moderatione*; ut videre eſt apud Lairv. *t.* 2. *de diſcip. templi. f.* 455. S. Thom. 2. 2. *q.* 160. modeſtiam partem temperantiæ ponit; quòd, ſicut *Temperantia moderationem adhibet circa ea, in quibus difficillimum eſt moderari, ſcilicet circa concupiſcentias delectationum tactûs &c. modeſtia verò ſit virtus moderativa in aliis mediocribus, in quibus non eſt ita difficile moderari*, v. g. in vultu, oculis, lingua, capillis, tegumento, manibus, habitu, pedibus, in inceſſu, ſtatu, ſeſſione &c. Unde ex Angelica, & modeſtiſſima Magiſtri virginei doctrina duplici modo modeſtia moderatur actiones tam interiores quam exteriores; primô modô *communiter* ſumptô; qua ratione in omnibus virtutibus requiritur, *c. q. a.* 1. *ad* 3. quælibet enim moderationem in actibus ſuis habet; ut conſtat ex *a.* 1. *cap. hujus*. Aliô modô *ſpeciali*; prout eſt moderativa mediocrum actionum noſtrarum; & ſic propriè habetur virtus modeſtiæ. Internarum actionum modeſtia eatenus requiritur, quatenus *interiorum moderatio manifeſtari poteſt per quadam exteriora ſigna*; ut habet S. Thom. *q. c. a.* 2. *ad* 1. Modeſtia igitur eſt virtus interiores hominis motus ita dirigens, ut decorem in externis motibus & geſtibus obſervet. Senſu iſto ait S. P. N. *L* 83. *qq.* 31. *modeſtia eſt, per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat auctoritatem*: & *t.* 1. *de B. Vita diſp.* 3. *modeſtia*, inquit, *dicta eſt à modo, & temperie temperantiæ; ubi autem modus eſt, atque temperies, nec plus eſt quidquam, nec minus.* Unde ex tradita hucusque doctrina apparet, actiones exteriores ex interiore dictamine ita eſſe dirigendas, ne per defectum aliquid minus, aut per exceſſum plus notari valeat; ſed honeſtas & decor illarum ubique effulgeat.

Cùm religioſa modeſtia variîs 197
ſit adornanda modîs tum in Choro, Refectorio, Converſatione ſive cum perſonis ſpiritualibus, ſive ſæcularibus; tum etiam in privatis occaſionibus &c. ſpeciales quoad ſingula tradere regulas opus eſt: proin ab Aſcetis doctiſſimis aſſignantur obſervanda ſequentia.

MODESTIA IN CHORO.

Inprimis Religioſus habitu ſacro decenter indutus, oculis demiſſis, & capite modeſtè erecto ad Chorum accedat.

2. Caveat levitatem in acceſſu, & receſſu, riſum, inutile colloquium, & velocem nimìs greſſum.

3. In

3. In medium chori veniens reverenter Superiori ſe inclinet, manus habeat conjunctas, non vagabundè jactet, atque ita, reverentiâ & inclinatione ſubmiſsâ Superiori factâ, ad locum propriæ ſtationis pergat.

4. In loco ſuo non innitatur ſedilibus indecora totius corporis compoſitione ruſticanorum inſtar hominum; quietè inſuper ſe habeat, non curioſè circumſpiciat, non caput inclinet, aut vagè ab uno in alterum latus moveat.

5. Riſu & evagatione tum internâ, tum externâ maximè abſtineat, mentem potiùs ad DEUM convertat; proin ſenſus externos bene cuſtodiat.

6. Volubilem linguam contineat, non nimiùm in pſallendo properet, in medio pauſam obſervet, in fine ultima verba versûs non diſglutiat, neque incipiat, priusquam finiantur alterius chori verba.

7. Aſpirationes durante choro ad DEUM frequentes habeat; de quibus poſtea documenta dabimus.

8. Sub ſummo officio ita compoſitè & ordinatè ad librum choralem ſtet, ut religioſam devotionem præſeferat, maximéque tunc cohibeat ſe à riſu, oculorum levitate, & irreligioſa pedum divaricatione, aliiſque ineptis geſtibus.

9. Ad cancellos dum orationis tempore accedere convenit, curioſitatem ſæculares homines in templo diſpiciendi, tanquam devotionis & meritoriæ pietatis peſtem, ſtudioſiſſimè devitet.

10. Finitô chorô, evagatione aut effuſione minùs Religiosâ ne fructum boni operis turpiter perdat, ſemper inter gratiarum actiones cum propoſito magìs ſerviendi DEO in ſilentio devotè & humiliter juxta ordinem diſcedat ad cubiculum, unde venerat. Atque hæc aliáque modeſtiæ Religioſæ documenta in Choro, & Eccleſia conſtanter tenenda ſunt: de quibus infra *cap.* 10. *a.* 5. recurret memoria.

MODESTIA IN REFECTORIO.

198 1. Datô ſignô maturè compareat, & ſecundùm ordinem refectorium accedat, demiſsìs in terram oculìs orationem menſalem cum aliis præmittat.

2. Nimìs avidè cibos non appetat, vel inſumat, oculos vagos, & ad alios in refectorio intentos, prorſus non habeat.

3. Vultum non nimìs inclinet, à riſu abſtineat, pedum jactantiam, aut divaricationem, ſimiléſque geſtus indecoros, Religioſo penitus indecentes, non admittat.

Digitized by Google

4. In edendo immunditiam manuum, bibendo profuſionem, & calicis aſſumptionem ſæcularium compotatorum more caveat; cum nimia feſtinatione nunquam edat, vel bibat. Pleniorem horum documentorum uſum præclariſſimus Magiſter Hugo de S. Vict. ſuis Novitiis præſcripſit, *Inſtitut. cap.* 18. cujus verba pro bono diſciplinæ in menſa obſervandæ hic admetiri, extra rem non erit.

In menſa eſt duplex cuſtodia diſciplinæ; ibi enim debet homo ſervare diſciplinam in habitu ſuo tribûs modîs: in diſciplina tacendi, in diſciplina vivendi, in diſciplina continendi ſe ſe. *Taciturnitas* inter epulas neceſſaria eſt idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona ad peccatum, labitur periculoſiùs; cùm per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur: propterea enim dives, qui inter epulas loquacitati ſervierat, pòſt in inferno poſitus vehementiùs in lingua ardebat. *Cuſtodia oculorum* inter epulas propterea neceſſaria eſt; quia non decet, ibi præcipuè, ut vagos homo habeat oculos, neque curioſè, & (ut ampliùs aliquid dicam) impudenter ea, quæ apud alios aguntur, circumluſtrando proſpiciat; ſed ut potiùs pudicè demiſsîs luminibûs ea tantùm, quæ ſibi antepoſita, & appoſita ſunt, attendat. *Cuſtodia* quoque *continendi ſe ſe* ibi negligenda non eſt, quatenus videlicet neque in habitu, neque in geſtu indecens aliquid, aut inhoneſtum agatur. Nihil cum ſtrepitu, aut tumultu fiat, ſed omnia membra cum modeſtia & tranquillitate in diſciplina contineantur. Non ſicut quidam faciunt, qui, cùm ad ſedendum aſſederint, inquieta quadam agitatione & confuſione membrorum intemperantiam animi ſui deſignant, caput excutiunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, & non ſine magna turpitudine, quaſi totum epulum ſimul ſint abſorpturi, ingentes quoſdam conatus, & geſtus ſatìs indecoros oſtendunt. Anhelant, & ſuſpirant præ anguſtia, ita ut exiſtimes, eos alium rugienti ventri patentiorem aditum quærere; quaſi anguſtia faucium non poſſit eſurienti ſtomacho ſatìs ſufficientem abundantiam miniſtrare. In uno ergo loco ſedentes oculîs & manibûs, quæ prope, quæ longè, omnia circumcurrunt, ſimul panes comminuunt, vina in calices, & pateras effundunt, diſcos in gyrum circumducunt, & velut Rex ſuper obſeſſam civitatem aſſultum facturus, dubitant, ubi primùm expugnationem aggrediantur, dum ſimul in omni parte irruptionem facere concupiſcunt. Plus juſtô fortaſſis iſta dicentes verecundiæ obliti ſumus: ſed neſcit aliquando impu-

 dentia

Digitized by Google

dentia erubeſcere, niſi fuerit maniſeſtè confuſa. His igitur tribus modis debet quisque inter epulas conſervare diſciplinam in ſemetipſo, videlicet ut & linguam ſuam à loquacitate reſtringat, & oculos ſuos à circumſpectione cohibeat, & ut cætera membra omnia cum modeſtia, & quietè contineat.

Sequitur etiam *c.* 19. triplex obſervatio diſciplinæ in cibo; obſervatio in eo, quid ſumat; obſervatio in eo, quantum ſumat; obſervatio in eo, quô modô ſumat. Obſervatio in eo, quid ſumat; id eſt, ut neque nimìs pretioſa & delicata expetat, nec nimìs rara & inſolita requirat, nec nimìs lautè & accuratè præparata concupiſcat: in primo enim luxus arguitur; in ſecundo curioſitas; in tertio ſuperſtitio notatur. *Deſcribuntur modò contra has regulas peccantium genera.* Igitur contra hæc vitia ſananda neceſſarius eſt rigor diſciplinæ, (*id eſt, modeſtia, inordinatos appetitus & motus moderantis*) qui iſtas gulæ petulantias (*quantum ad externas actiones ſe diffundunt*) intra certum limitem cohibeat; quatenus ſe neque ad immoderatas delitias, neque ad novitates, neque ad ſuperſtitioſas præparationes ciborum appetendas diffundat. Deinde ſequitur *c.* 20. cuſtodia diſciplinæ (*modeſtia*) in eo, quantum quis ſumere debeat; cujus menſura hæc mihi eſſe videtur, ut neque contra honeſtatem, neque ſupra neceſſitatem: non omnis venter idem capit, alius ſic contentus, alius verò ſic: cui minus ſufficit, iſte priusquam ad turpitudinem edacitatis perveniat, in ſuperfluitatem offendit: cui multum opus eſt, in eo ſæpe honeſtas comedendi læditur, etiam priusquam ad ſuperfluitatem veniatur. Ergo ille, cui parum ſatìs eſt, magis ſuperfluitatem caveat; ille verò, cui multô opus eſt, magìs ad honeſtatem attendat; quia neque ille, niſi temperantiæ metas tranſierit, ad turpitudinem veniet; neque iſte, niſi priùs honeſtatis oblitus fuerit, in ſuperfluitatem impinget.

Poſtremò *c.* 21. eſt obſervatio in cibo, quomodo quis cibum ſumere debeat; hoc eſt, quàm mundè, & quàm temperatè. De immunditia comedendi pauca exempla proferre ſufficiat, ut, dum in quibusdam ſuis partibus cernitur, facilè per ſimilitudinem ubique caveatur. Quidam inter comedendum, dum ſcutellas exonerare volunt, quadrata ferculorum fruſta, adipem ſive saginam ſuperroratam diſtillantia, menſalibus involvunt, aut ſuperinjiciunt, donec iterum eviſceratîs interioribûs ea, quæ remanſerant, in priſtinum locum reponant. Alii bibentes digitos mediotenus poculis immergunt. Alii unctas manus ad veſtimenta ſua deter-

detergentes rurſus ad cibaria tractanda redeunt. Alii nudîs articulîs coclearis vice olera ſua piſcantur, ita ut in eodem jure & manus ablutionem, & venter refectionem quærere videatur. Alii ſemicorroſas cruſtas, & præmorſas collyridas cibariis iterando inſigunt, & reliquias dentium ſuorum, offas facturi, in poculis demergunt. Hæc, ſicut ſupra diximus, dicentibus erubeſcenda fuerant, ſi à facientibus præſumpta non fuiſſent. Nunc autem ſuſtineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere diſciplinam. Verumtamen hæc de immunditia indiſciplinatè manducantium ad exemplum dicta ſufficiant. Eoúſque M. Hugo.

199 Porro ad modeſtiam omnem ſub menſa ſervandam inducentia monita ab aliis vitæ ſpiritualis Magiſtris traduntur, quàm modeſtè menſis accumbendum, veſcendúmque ſit: ejusmodi regulas ipſe DEI Angelus S. Pachomio dictavit, & à ſuis obſervari præcepit: quæ quidem regulæ, cùm cuilibet ſtatui Clericorum, judice P. Lanc. *opuſc.* 2. *c.* 15. in commune viventium conveniant, & aptæ ſint, huc recenſendæ meritò judicantur; inter quas notantur ſequentes.

1. *Euntes ad usque veſcendi locum, de Scripturis aliquid meditabuntur*: hoc eſt; aliquem textum magis afficientem piè ruminentur, aut aſpirationem, vel internam mentis elevationem ad DEUM eliciant, comeſtionem DEO offerant, ut, quæ de ſe eſt indifferens & animalis, hac ratione fiat humana, & meritoria.

2. *Datô ſignô ſtatim properandum ad menſam, ne tardè veniatur:* nempe occupationes omnes relinquendæ ſunt ad pulſum campanulæ menſalis; niſi fortè ex obedientia, aut alia neceſſitate negotium citò expediendum præ manibus habeatur. Notandum inſuper, non ſtatim & præproperè ad refectorium eſſe convolandum, ſed prius in veſtibulo expectandum, & præcedentiam in ingreſſu Superioribus deferendam.

3. *Ne ante Præpoſitum domûs ullus manus in menſa extenderet*; ſcilicet, priusquam Superior ſederit, manum ad mappam miſerit, & explicaverit, nullus confidat, manúsque ad cultellos, & mappam ſuam extendat.

4. *Inter edendum à riſu, colloquiis, & circumſpectione timendum eſſe; ut ſi aliquid neceſſarium fuerit ad menſam, nemo audeat loqui, ſed miniſtrantibus ſignum detur ſonitu:* cauſam hujus optimè inſinuat S. P. N. in Reg. *c.* 3. *cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, nec ſola vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant DEI verbum.*

5. Comedendum & bibendum ſine voracitate & aviditate & exceſſu; quemadmodum viros graves, & cultu ac reverentia dignos decet: nam neque propter famem decet vehementer inſatiabiliterque impleri, neque propter ſitim inſtar ſorbentium exhaurire totum calicem, multóque minùs ob edacitatem in conſpectu omnium avidiùs vel placentam, vel aliud quidpiam ex delicatioribus obſoniis devorare.

6. In menſa ictu cultelli, vel quomodolibet aliter ſignum cum ſono facere, ad eos, quorum eſt ſuper defectus menſæ intendere, pertinet; nec id facilè ab aliis debet uſurpari.

7. Nunquam ad menſam ad prima ſe ingerat loca, ſed ea cautè ſedulâ, ſi valuerit, proviſione declinet, ut vix ab aliis perpendatur. Locus ſuperior, ad quem neceſſitas, vel Superiorum trahit inductio, præſumptionis vitium non inducit.

8. Si quando juxta Superiorem, vel alios neceſſariò ſederit, non ſe applicet nimìs juxta eos.

9. Præſumptionis ſignum eſt, ſi errante in menſæ lectura, alter ſubmuſſitet, aut circumſpiciat, quaſi eum legentis defectus non lateat: quod frequenter ſolent facere minùs docti.

10. Si te tuſſis vel pituita, cùm ad menſam ſedes, invaſerit, verte faciem tuam retrorſum, & exſpue modeſtè.

Similes regulas Albanenſis Eccleſiæ Doctor Bonaventura *p. 1. ſpec. diſcipl. cap.* 21. exhibet; ubi præcipuè à cap. 18. incluſivè per totum Tractatum modeſtiæ Religioſæ documenta complectitur.

MODESTIA AGENDI, & CONVERSANDI CUM SUPERIORIBUS, ÆQUALIBUS, INFERIORIBUS.

200 1. Demiſſos teneat oculos, non immoderatè elevet, nec circumflectat, quando agit cum Superiore.

2. Dum in conſpectum illius venit, reverentiam Religioſam exhibeat; mox erecto capite, & ſereno vultu juſſa audiat, ad interrogata reſpondeat, & injuncta fideliter exequatur.

3. Inter loquendum aſpectum nunquam defigat in vultum Superiorum, ſed potiùs ſub oculos, vel magìs ad pectus.

4. Rugas in fronte, ac multò magis in naſo devitet; eſſet enim Superioris, æqualis æquè ac inferioris contemptûs indicium turpiſſimum.

5. Facies magìs hilaritatem, quàm triſtitiam præſeferat, aut alium minùs moderatum affectum;

Digitized by Google

ctum; præſertim dum Superior aliquid injungit, præcipítque.

6. Cum æqualibus pacem & concordiam cuſtodiat, eos obſequiô, beneficiô, & honore præveniat; in omni actione & verbo ſuperiorem eis locum tribuat.

7. Inferioribus ſemper beneficium, & auxilium impendat, fraterna charitate foveat, nullóque ſigno, vel geſtu, vel verbo charitatem lædat.

8. Totum id docuit perpulchrè ſæpe laudatus Doct. Pariſ. *inſtit. Novit. c.* 5. his verbis: *diſcretio perſonarum*, quantùm quidem pertinet ad dilectionem, *ſecundùm meritum*; quantùm verò ad venerationem, *ſecundùm ætatem & officium* habenda eſt. *Meliores* diligere, *ſuperiores* honorare debemus; quia per contumacia eſt ſive in eo, qui propter inferiorem gradum in homine virtutem deſpicit; ſive in eo, qui propter vitam inferiorem gradum ſuperiorem contemnit. *Iſtis* ergo honor, *illis* amor impendatur, ſic tamen, ut & honor iſtorum ſit voluntarius, & illorum amor venerandus: reverentia enim ſine amore magìs ſervilis eſt; & amor ſine reverentia puerilis judicari debet. Cum tanta igitur humilitate & reverentia *melioribus* exhibendum eſt beneficium dilectionis, ut illis quaſi ex neceſſitate videamur eſſe ſubjecti; & cum tanto affectu & hilaritate *Superioribus* ſolvendum eſt obſequium ſubjectionis, ut ſolo potiùs dilectionis debito illis credamur aſtricti. Iſtis ſic reddamus, quaſi noſtrum impenderemus; illis ſic exhibeamus noſtra, quaſi ſuum redderemus. Sex denique modis diſcretionem perſonarum habendam eſſe, his colligimus, tribus ſecundùm dignitatem, & tribus ſecundùm converſationem: alii namque *ſecundùm dignitatem* Superiores ſunt, alii æquales, alii inferiores. *Superioribus* obedientiam, timorem, obſequium, & venerationem debemus exhibere. *Cum æqualibus* pacem & concordiam cuſtodire, invicem obſequiô, beneficiô, & honore prævenire, in omni actione & verbo ſuperiorem eis locum tribuere; & ſi quando fortaſſis in aliquo negotio eos præire cogamur, cum omni humilitate & reverentia, quæ facienda ſunt, non præcipere, ſed demonſtrare, & ſi, ut ipſi nos præcedant, contigerit, cum alacritate & devotione quaſi ex neceſſitate ſubjecti obedire. *Inferioribus* ſemper beneficium & auxilium impendere, nunquam improperare, ſine contumelia corripere, ſine ſuperbia gubernare, ſine crudelitate caſtigare, cum pietate fovere, venerationem non exigere, ſocietatem atque æqualitatem amare, majoribus per timorem ſubdi, æqualibus per charitatem obſequi, minoribus per humilitatem co-

Digitized by Google

æquari, præcipientibus parati, obedientibus modeſti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi. Item *ſecundùm converſationem* alios nobis quaſi ſuperiores, alios quaſi æquales, alios quaſi inferiores debemus attendere. Illorum converſatio inferior eſt nobis, quorum facta etſi condemnare non præſumimus, imitari non debemus. Illorum converſatio pro nobis eſt, quæ ſic noſtræ infirmitati contemperata eſt, ut & virtutis exemplum præbeat, & cooperandi facilitate in conſortium nos ſuæ exercitationis admittat. Illorum converſatio ſupra nos eſt, quam venerari quidem, & admirari poſſumus, imitari autem non valemus. Ita M. Hugo.

MODESTIA CONVERSANDI CUM SÆCULARIBUS.

201 1. Quoties cum ſæcularibus loquendum fuerit, quivis meminerit modeſtiæ & ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

2. Cavenda eſt omnis liberior converſatio, præſertim cum altero ſexu: abſtinendum etiam eſt à familiaritate hominum ſæcularium.

3. Nulli ſæcularium, quæ in collegio tractantur, aut diſponuntur, ullô pactô revelentur.

4. Injuſtitia fit S. Religioni, maximéque injurioſum eſt, ſæcularibus malam animi ſui affectionem, & contra ſuum Collegium diſplicentiam conceptam manifeſtare, aut malam Superiorum adminiſtrationem communicare iis, quibus nullum in Religionem jus, aut auxilii conferendi poteſtas ſuppetit.

5. Scandaloſum eſt, ſæcularibûs præſentibûs fraternam charitatem incoctabile offendere, crudîs verbîs malignum affectum oſtendere, convitiîs invicem laceſſere; maximum enim exinde naſcitur ſcandalum iis, qui in altiori vitæ ſtatu conſtitutos nos vident, & exemplum ſanctiorum morum capere debent.

6. Non ſolùm contra Superiores, ac confratres nil malè proferendum eſt, ſed nec contra alios ſæculares (niſi ad bonum ſpirituale, vel debitam correctionem conducat, & neceſſitas ſuadeat) nam apud perſonas ſæculares magis tacere expetit, quàm incautè loqui, unde deſpectus Religioſi, averſio audientis, & inimicitia oriri poſſit illius, de quo, ſi innoteſceret, facta ſunt verba: ſiquidem credendum non eſt, etſi

Jovem

Digitized by Google

Jovem jurent lapidem, & ſecretum promittant, ſilentium ab iis ſervatum iri; uti tot hucusque caſus experientia docet.

7. Diſcrimen converſandi cum ſæcularibus à diverſitate perſonarum accipi debet. Cum viris in dignitate poſitis cum reverentia, Religioſæ modeſtiæ decenti, humiliter agendum: eorum merita, prudentiam, ſcientiam, officia, agendorum experientiam, erga Religioſum ſtatum, & S. Ordinem laudabiliſſimam affectionem, juvandi promptitudinem &c. aliáque ſpectabilium virtutum opera gratiſſimo, & altiſſimo inſculpta animo tenere, eorum dicta non interrumpere, ſed approbare quivis Religioſus debet.

8. Regulas denique communes modeſtiæ ſinguli ad amuſſim exercere ſtudeant; ut hôc modô omnes Chriſto lucrifaciant, ædificationi & exemplo aliis ſint; *nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*: 2. *Corinth.* 6.

MODESTIA ORIS, LABIORUM, ET LINGUÆ.

202 Contra Modeſtiam oris peccata, ſeu defectus recenſentur ſequentes.

1. Indecorum eſt, voce clamoſa, & juſtò altiore uti: nam *ſatuus exaltat vocem ſuam*: *Eccl.* 21. & S. P. N. S. *de Div. t.* 6. *inſaniam nominat, omnia magna voce dicere.*

2. Indecorum eſt, cachinnos edere, & altum ridere. Abſit etiam vehemens contentio pro inani verborum victoria.

3. Magìs indecens eſt, effæminatè loqui, id eſt, *loqui voce tenui, & ſuſpirando*; ut ait S. Hier. *l.* 1. *off. c.* 19. S. etiam Ambroſ. docet, ut *vox non ſit remiſſa, non fracta, nil fœmineum ſonans, ſed formam quandam, ac ſuccum virilem ſervans.*

4. è contrario inconveniens eſt, pompaticè loqui, & quaſi edendo oracula proferre aliquid; interrumpere ſermonem alterius, præſertim ſenioris; nam ſeniores, dum loquuntur, magìs auſcultandi ſunt: nam *temperantia eſt*, ait S. Proſper, *quòd reverentiam ſenioribus exhibemus, quòd præſtamus ſeniori loquenti ſilentium, quòd ipſius ad loquendum præſtolamur imperium.* Quod monet S. Scriptura *Eccl.* 32. *v.* 13. *ubi ſunt ſenes, non multum loquaris.*

5. Reprehenſibile eſt valde, ſi multùm loquantur juniores præſente Superiore; ſignum enim id nimiæ libertatis eſt, & inverecundiæ.

6. Præcipitanter, & nimia cum

cum volubilitate loqui, virum, maximè Religioſum, dedecet.

7. Contradicere loquentibus, & corrigere narrationes aliorum indifferentes, inconveniens eſt: inconſideratam quoque locutionem, per quam excidant verba, quorum nos poſtea pœniteat, cavere oportet.

8. Futiles habentur ſermones, & in aurem locutiones, vel ſignificationes per nutus; S. Baſil. §. *de Inſt Monaſt.*

9. Nihil anxiè, aut curioſiùs percontandum eſt de hujus ſæculi vita; ut docet S. Baſilius *Epiſt. ad Chil.*

10. Sermo tibi in tempore ſit aut ſerus, aut nullus: verba tua ſint rara, vera, ponderoſa, & de DEO; ita jubet S. Bernardus *ſor. bo. vit. col.* 3.

11. Accedat ſuavis ſermo, ut conciliet ſibi affectum audientium, gratúmque ſe vel familiaribus, vel civibus, vel, ſi fieri poteſt, omnibus præbeat; ex doctrina S. Amb. *l* 1. *off. c.* 47.

12. Porro contra modeſtiam oris eſt, mandendo cibum labiis ſonum edere; item nimis labia diducere inter edendum, ac os nimiùm aperire, inconveniens eſt. Similiter

13. Indecens eſt, dentibus oſſa radere, panis vel carnium, vel caſei partes avellere dentibus; id enim ultro fiat.

14. Ita onerare coclear re aliqua, ut non uno tractu, ſed per partes illud exhaurias.

15. Bibere ante deglutitum totum oris cibum, bibendo ſonum quemdam edere, & aliò circumſpicere, item bibere è ſcypho, vel vitro cum effuſione.

16. Os implere cibo, ut inſtar tubam inflantis appareat, nimis etiam ad cibum os inclinare.

17. Spuere ſæpe, vel excreare inter edendum, & terram aliorum conſpectui expoſitam hîs ſordibûs fœdare, nec pede obterere.

18. Per ructus neceſſarios, qui impediri non poſſunt, cum ſtrepitu, & vehementia quadam, præſertim poſt comeſtum raphanum; oſſula, ſpinas, aliáve reſidua immediatè ex ore in orbem ejicere; nam in ſiniſtræ, vel dextræ manûs volam talia ſunt ex ore demittenda, & manu deinde reponenda in orbe; oſcitando manu non tegere os diductum, ridere, ut in riſu exerantur dentes &c. & plura id genus vitia ſunt contra modeſtiam oris.

MODE-

Digitized by Google

MODESTIA MANUUM, DIGITORUM, & BRACHIORUM.

203 Sicut circa alia corporis membra virtus modeſtiæ verſatur, ita & circa manus, digitos, & brachia, quæ magis intuentium oculos offendunt, ſi malè dirigantur: igitur obſervandum.

1. Manu mentum indecorè, & ex pigritia ſuſtentare, turpe eſt.

2. Digitos naribus inſerere, indéque ſordes extrahere, vel iis dentes mundare, & carnium reliquias inter dentes relictas venari, indecens habetur honeſtis cernentibus: hoc enim ſtrophiolo occultatis dentibus, & citò, ſi opus ſit, perficiendum eſt.

3. Digitos juſculo, aliáve re inficere adeò, ut ad eos intergendos linteolum totum ferè una vice commaculetur, à modeſtia alienum eſt.

4. Poculum vel vitrum ea ex parte, qua bibitur, manu contrectare.

5. Caput, manus, vultum, aliáſque corporis partes fricare inter comedendum, vel bibendum, ſicut & alio tempore aliis ſpectantibus.

6. Ungues præſcindere in conſpectu aliorum, aut non præciſos habere.

7. Sordidas geſtare manus; ad arcendum frigus eas vel citra frigus in ſinu, aut intra veſtem infra cingulum reconditas tenere, vel infra cingulum & ventrem eas pendulas habere, vel etiam conjunctas in tergum rejicere, ac ſuſtentare.

8. Menſæ accumbendo totas ulnas protendere, & menſæ cubitis impoſitis inniti ruſticorum more.

9. In colloquio frequentes geſticulationes manu vel digitis edere; item tangere alienas manus ex frivola cauſa, & in conſpectu præſertim hominum ſæcularium, qui facilè ſcandalizantur.

10. Digitos altera manu apprehenſos ſigillatim extendere in publica converſatione, in Choro, & Refectorio ad quemdam ſonitum edendum.

11. Immoderatè & inquietè cum ſtrepitu aperire, & claudere oſtia cubiculi, vel alterius Confratris cubiculorum, eáque ſine neceſſitate ingredi.

12. Sub ambulatione, aut alia quavis actione nimis jactare manus &c. Hæc & plura alia indecora, & contra modeſtiam habentur.

Digitized by Google

MODESTIA INCESSUS & PEDUM.

204 1. Feſtinatio in inceſſu, uti & inconſtans poſitio pedum fugienda eſt.

2. Crurum motio frequens, & agitatio indecora eſt, præſertim ſub menſa: crura inſuper in incedendo nimium diducere, aut dilatare, vel adeò leviter terram calcare, ne ullus te audiat (citra affectationem tamen) immodeſtum habetur.

3. Calceos, dum incedit quis, ſemper attolat, ne ſoleas illorum videatur velle atterere.

4. In platea, vel curatorio in medio ſemper incedendum, & non immediatè propè cubiculorum oſtia prætereundum eſt.

5. Ab omni denique ineptia, curſu, divaricatione pedes ad normam rectæ rationis, & regulas modeſtiæ dirigendi ſunt; prout docet S. Bern. *ſorm. bon vita coll.* 1. *ſit inceſſus tuus maturitate plenus, gravis, & honeſtus, videlicet non fractis genibus ambules, aut ſcapulas dextrorſum, aut ſiniſtrorſum vergendo, non erecta cervice, non prominente pectore, ſeu etiam inclinato capite ſuper humerum; quæ omnia aut elationem oſtentant, aut hypocriſin ſapiunt.*

MODESTIA OCULORUM.

205 Præcipua oculorum ratio eſt tenenda, iique magis cuſtodiendi, quò citiùs objectorum allicientium ſpecies per eos ad cor tendunt: ſicut conqueritur S. P. N. *l.6. confeſſ. per quales formas ire ſolebant oculi mei, per tales imagines ibat & cor meum.* In eundem ſenſum tendebant etiam admonitiones ſalutares illius *ſer.38. de temp.* ubi clarè aſſerit: *prima adulterii oculorum tela ſunt; ſecunda verborum periculum,* quod ex oculis animæ excitatur: ab eo dimetiri quivis valet, quòd ij inter externas potentias primatum teneant, in altiſſimo collocati corporis loco, ubi citiùs hauſtæ ſpecies ad ſenſus internos penetrant, & ab his ad intimas animæ, eáſque nobiliſſimas potentias ingrediuntur, & pro varietate tunc objectorum ipſam aut perturbant, agitant, alliciunt, aut trahunt, oppugnant, vincúntque animam. Eam ob cauſam Plinius dixit, *animum in oculis habitare*: cujus rationem quandam aſſignat S. Greg. Nazianz. *orat. adv. mul. quia oculos cor* (id eſt anima, à qua omnes cordis motus proveniunt, & reguntur) *nefariè ſequi ſolet.* Pluribus rem experientiâ fundatam hìc deducere, ac demonſtrare animus non eſt; ſed quantùm ad regulas modeſtiæ pertinet, materiam hanc hîſce monitîs religiosîs comprehendimus.

1. Aver-

Digitized by Google

1. Avertendi oculi à rebus fœdis, imaginibus, & ab iis, quæ in imaginibus fœdè repræſentantur.

2. Aſpectus fœminarum maximè fugiendus, nec in facies earum figendus eſt; prout S.P.N. *Reg. c.* 5. per totum providè expreſſit: ut *oculi noſtri, etſi jaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam*: cujus rationem dedit; quòd dicere non poſſimus, nos *habere animos pudicos, ſi habeamus oculos impudicos*; *quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius*.

3. Non ſolùm aſpectus, ſed & maximè incauta cum fœminis converſatio: quod & verbis & re ſanctiſſimè docuit S.P.N. qui nec propriam ſororem in palatio ſuo paſſus eſt Epiſcopali.

4. Cavendum eſt inſuper ab aſpectu formoſarum ſpecierum ſive fœminæ, ſive maſculi: teſtis eſt S. Hieronymus, qui *in cap.* 3. *Thren.* ait: *ſemel ſpecies formæ* (indifferenter loquitur de ſpecie formæ fœmineæ vel maſculinæ) *cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſolvitur.* B. quoque Deipara S. Brigittam docuit *l.* 2. *rev. c.* 23. inter res deteſtandas, etiam hoc eſſe, *ſi quis concupiſcat videre pulchras facies.* Ob tantam quoque oculorum refrænationem S. Joannes apparuit aliquando S. V. Gertrudi, illuminatiſſimos ſolis inſtar referens oculos, quorum radios tantos à DEO ajebat accepiſſe ſe in præmium, quòd eos nunquam in faciem B. V. M. defixerit, quamdiu poſt aſcenſionem Chriſti habitaverat cum illa; uti refert P. Pinam. in Relig. ſolit.

5. Quare nunquam oculus alicui in faciem figatur. Quam ob rem Abbas Macarius dicebat, Monachos fugere debere de cella, ſi in ea viderent pueros. De S. etiam Thoma Aquin. ſcribit Surius 7. Martii in ejus vita, quod, licèt poſt glorioſam victoriam omni libidinis ſenſu caruiſſet, Divinóque dono puritatis & caſtitatis fuiſſet præditus, ita tamen oculos ab aſpectu formoſorum vultuum averterit, ſicut alii fugere ſolent viperas & ſcorpiones.

6. A ſplendido & ornato etiam veſtitu fœminarum avertendi ſunt oculi; quia Tertullianus *de cult. fœm. c.* 2. *confictam, & elaboratam libidinem* vocat.

7. In omni inceſſu, præſertim extra collegium, oculi ſunt cuſtodiendi, & demiſſo vultu, non huc atque illuc volitante, incedendum eſt ob proclivitatem, oculorúmque labilitatem ad animam penetrantem.

8. A lectione Poëtarum & librorum illorum, in quibus narrantur impudicæ hiſtoriæ, fabulæ, aut res, ad obſcænam membrorum aut actuum deſcriptionem anatomicam ſpectantes, abſtinendum Religioſo, & ſolis chirurgis, & medicis relinquendum.

9. Avertendi etiam ſunt oculi

Digitized by Google

ab omnibus rebus illis, quæ, licèt peccata non ſint, nec ad ea alliciant, ita tamen ſunt fœdæ, ut homines honeſti eas tangere, & odorari detrectent.

10. Quin etiam abſtinendum ab aſpectu rerum, & imaginum non ſolùm malarum, ſed etiam bonarum, ubi non intervenit neceſſitas, utilitas, vel ſaltem certa, & non ficta ſpes illius, & ubi ſolùm curioſitas adigit; nam non tantùm de otioſo verbo, ſed etiam, & magìs de actu otioſo reddenda eſt Divinæ Majeſtati ratio; cùm, cæteris paribùs, ex Theologia conſtet, graviora eſſe operum, quàm verborum peccata: quam regulam exemplificat religioſiſſimus P. Lanc. fol. 180.

11. Major adhuc perfectio eſt in oculis modeſtiæ, ſi non ſolùm abſtineatur ab illicito, pulchro, indifferenti, & inutili aſpectu; ſed ſtudium ulterius adhibeatur, ut decora juxta ac gravis cœleſti quadam jucunditate oculorum compoſitio eveniat, quæ ſpectantes ad virtutis amorem, & Religionis æſtimationem excitet.

12. Mortificandi inſuper ſunt oculi, ne literas à patronis gratioſas, vel ab amicis deſiderabiles, vel ab inimicis vindicativas ſtatim ruptô ſigillô perlegant.

206 Pro complemento, & coronide hujus articuli placet magnum modeſtiæ religioſæ Magiſtrum Hugonem noſtrum in medium tam Novitiis, quam Veteranis, quibus modeſtia parùm in amore eſt, adducere; ne, ſi tangi eos contigerit, juſtæ reprehenſionis ſtudiô in præſenti articulo data eſſe monita ſui gratiâ credant: ita habet *c. 12. de Inſtit. Novit.*

Nemo ergo deinceps putet parùm relinquere eos, qui contra diſciplinam ad turpes motus, & inordinatas geſticulationes membra ſua inflectunt; quia nunquam ſcriptura tam ſeverè iſtos exteriores corporis motus in nobis reprehenderet, niſi omnis exterioris hominis inhoneſta figuratio & motus indecens ab interiori mentis corruptione manaret. Propterea multùm valet diſciplina ad coërcendos pravos motus animi, quatenus mala deſideria, dum per cuſtodiam diſciplinæ ſtringuntur, ne foràs effluant, tandem aliquando etiam interiùs ſurgere, ac moveri omnino deſueſcant. Quia igitur vitia geſticulationum deſcripſimus, ordo exigit, ut nunc, quis ſit in omni geſtu modus diſciplinæ, definiamus: quod etſi fortaſſe per ſingula facere non poſſumus, magìs tamen expedit, aliquid inde ad eruditionem dicere, quàm omninò ſilere.

Primùm ergo diligenter obſervandum eſt, ut ſingula membra ſuum teneant officium, neque uſurpent alienum: deinde ut unumquodque ſuum opus tam decenter ac modeſtè impleat, quatenus per indiſ-

Digitized by Google

indiſciplinam aſpicientium oculos non offendat: nam ſi in quolibet horum peccetur, dignum reprehenſione eſt, ſive ſcilicet membra inter ſe actus ſuos confundant; ſive id, quod juſtè agere debent, rectè non expleant. Diſcretio actionum in membris conſervanda eſt, ut ſcilicet id agat unumquodque membrum, ad quod factum eſt, ut neque loquatur manus, neque os audiat, nec oculus linguæ officium aſſumat: ſunt enim quidam, qui niſi buccis patentibus auſcultare neſciunt, &, quaſi per os ſenſus ad cor influere debeat, palatum ad verba loquentis aperiunt. Alii (quod adhuc pejus eſt) in agendo vel audiendo, quaſi ſitientes canes, linguam protendunt, & ad ſingulas actiones velut molam labia torquendo circumducunt. Alii loquentes digitum extendunt, ſupercilia erigunt, & oculos in orbem rotantes, aut profunda quadam conſideratione defigentes, cujusdam intrinſecùs magnificentiæ conatus oſtendunt. Alii caput jactant, comam excutiunt, veſtimenta adaptando componunt, & latera cubitando, pedéſque extendendo ridiculam ſatìs oſtentationis formam fingunt. Alii quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alteram tantùm collô detortô voci venienti opponunt. Alii typum neſcio quem figurantes oculorum inter videndum alterum claudunt, alterum aperiunt. Alii majori ridiculo dimidiato ore loquuntur. Sic præterea mille larvæ, mille ſubſannationes, & corrugationes narium, mille valgia, & contorſiones labiorum, quæ pulchritudinem faciei, & decorem diſciplinæ deformant: eſt enim facies diſciplinæ ſpeculum, cui tantò major cuſtodia adhibenda eſt, quantò minùs, ſiquid in eo peccatum fuerit, celari poteſt: temperanda eſt igitur facies, & modificanda in geſtu ſuo, ita ut nec protervè exaſperetur, nec molliter diſſolvatur; ſed ſemper habeat & rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Alii navigant brachiîs incedentes, & duplici quodam monſtro, uno & eodem tempore pedibûs deorsùm in terra ambulant, & lacertîs ſurſùm in aëre volant. Quod eſt, quæſo, monſtrum hoc, quod ſimul in ſe fingit & hominis inceſſum, & navis remigium, & avis volatum? *Et paulò inferiùs.* Cùm igitur quaſi quædam reſpublica ſit corpus humanum, in quo ſingulis membris ſua officia diſtributa ſunt, unum membrum alterius officium non debet involare. Dum ergo unum membrum alterius membri officium inordinatè ſibi vendicat, quid aliud, quàm concordiam univerſitatis perturbat? Dúmque aliud ſuo motu alterius motum impedit, certè illi, quam natura moderatur, diſpoſitioni contradicit. Prima igitur eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu, ut unumquodque membrum

in eo, ad quod creatum eſt, officio ſe contineat, neque alterius membri miniſterium ſui admixtione confundat: id eſt, ut oculi videant, aures audiant, nares olfaciant, os loquatur, manus operentur, pedes ambulent; quatenus neque transmutentur officia membrorum, neque inordinatè permiſceantur. Secunda eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu, ut unumquodque membrum id, quod facit, eô modô atque menſurâ faciat, quo faciendum eſt: id eſt, nec plùs, nec minùs, nec aliter, quàm oportet, faciat. Quatenus in actu ſuo ſic & dirigatur, & moveatur, ut in nulla unquam parte temperantiæ limitem, aut formam honeſtatis excedat: hoc eſt (ut id paucîs exemplîs probemus) ridere ſine apertione dentium, videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuum, & intentatione digitorum, ſine extorſione labiorum, ſine jactatione capitis, ſine elevatione ſuperciliorum &c. incedere ſine modulatione greſſuum, ſine ventilatione brachiorum, ſine geſticulatione ſcapularum &c. ſedere ſine divaricatione crurum, ſine alterutra ſuperjectione pedum, ſine extenſione, aut agitatione tibiarum, ſine alterna accubitatione laterum, jacere ſine disjectione membrorum. Et, ut tandem de hac parte finem loquendi faciamus, geſtus hominis in omni actu eſſe debet gratioſus ſine mollitie, quietus ſine diſſolutione, gravis ſine tarditate, alacer ſine inquietudine, maturus ſine protervia, & ſine turbulentia ſeverus. Mollem geſtum temperat turbidus, & turbidum mollis, diſſolutum procax, procacem diſſolutus, citatus tardum, & tardus citatum; quia inter vitia contraria medius limes virtus eſt. Hæc de geſtu ad præſentem doctrinam dicta ſufficiant.

SIMULACRUM MENTIS.

TEſte S. Ambroſio *L. 1. de virgin. externa corporis ſpecies ſimulacrum eſt mentis*: quia nempe externa hominis enuntiant de illo *Eccleſ.* 19. cómponat enim hypocrita externos mores, fingat vultum aliquanto tempore, diſſimulet hypocriſin, humilitatem, æquitatem, caſtitatem, modeſtiam, quantum velit, vir tamen prudens & cordatus, ſi attentiùs & diutiùs eum inſpiciat, hypocriſin deprehendet: quia vultus imago eſt cordis, oculi ſunt ſpeculum mentis, ac mens ſuos affectus, præſertim tumultuantes & turbidos, triſtes ac lætos, amorem vel odium ſpirantes, ſui etiam neſcia & oblita diu celare nequit, ſed ex improviſo prodet, & hypocriſin oſtendet. Peccata contra Modeſtiam ſi ad quatuor indicia, quibûs interior mentis ſtatus cognoſcatur,

redu-

Digitized by Google

reducantur, 1. eſt *facies & vultus, præſertim oculi*; oculus enim lucerna eſt corporis indicans etiam interiora illius teſte S. P. N. *in Reg. quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius:* ergo à contrario caſtus caſti. 2. *Amictus eſt, ſive veſtitus*; ſuperbus enim internam ſuperbiam, fictus fictionem, diſſolutus diſſolutionem, gravis gravitatem repræſentat: unde S. P. *Reg. c.4. non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* 3. *Riſus* eſt; candidus enim & planus cor candidum, planum, & apertum, contractus verò, contortus, ſardonicus, dentatus ſimile cor ſignificat: hinc S. Aug. *ſerm. 97. de temp. Riſus*, ait, *frequens corrumpit mores, relaxat quoque nervos rigoris obſtrictos, ſeverus autem vultus cuſtos eſt diſciplinæ.* 4. Eſt *Inceſſus*, de quo mox doctrinam dedimus ex Hugone Victorino. Sed ecce! Malachias ſanctiſſimæ modeſtiæ, & modeſtiſſimæ ſanctitatis exemplar præbet, quod in compendio hìc damus. Ardinachæ in Hibernia nobili generoſóque ſanguine oriundus anno 1074. Matrem habuit fœminam virtutibus æquè ac genere illuſtrem; quæ filium ad omnem pietatem inſtruxit. Literis humanioribus eruditus Divino inſtinctu ad Imarium, notæ ſanctitatis virum, apud Eccleſiam Ardmacanam commorantem, ſe contulit; ubi continuis pœnitentiæ ac virtutum operibus cum Magiſtro vacans futuræ ſanctiſſimè ducendæ vitæ fundamenta poſuit. Exin à Celſo Archi-Epiſcopo Diaconus creatus novos animos induit, ſéque in moleſtioribus abjectioribúſque officiis exercere cæpit. Singulari cura mortuos terræ mandabat, ratus hoc ſervitio humilitatem ſimul ac humanitatem copulari. Dedecus interpretata eſt germana ſoror, fratrem tam vili opere occupari; ſed ſurda aure illius dicta excepit. Non multò poſt, annum agens 25. Presbyter ordinatus, vices Epiſcopi ſibi commiſſas ſedulò geſſit, ac indeſinenti ſtudio verbum DEI è ſuperiori loco explicavit. Veteres ſuperſtitiones abolevit, nec non ritus Eccleſiaſticos, &, ut Miſſarũ ſolemnia muſico decantarentur concentu, inſtituit. Ne verò in aliquo ab Eccleſiæ Romano-Orthodoxæ placitis moribúſque recederet, Malchum Leſmorenſem Epiſcopum, pleniùs ab illo in ritibus Eccleſiæ inſtruendus, adiit. Moritur interea Soror Malachiæ, quam è purgantibus flammis ſacrificiô Miſſæ, ſæpiùs pro ipſa oblatô, ereptam cœlo transmiſit. Revocatus de Leſmor monaſterium Benchorenſe, à piratis everſum, reſtituit, coloniâ Clericorum Regularium ex ſociis, à B. Imario ſibi traditis, introductâ, *factus ipſe illorum Rector, & Regula per exempla bonorum operum.* Annum agens ætatis trigeſimum, in Connerethenſis civitatis Epiſcopum invitus

tus planè electus cives illos non homines, ſed pecudes, indomitáſque belluas deprehendit; quos tamen ad meliorem frugem, in hunc finem aſſumptîs variîs corporis macerationibûs, multîſque ad DEUM fusîs precibûs, brevì reduxit: Diœceſis ſuæ pagos vicóſque ipſe pedes obibat; qua in viſitatione innumeras pœnè ærumnas, ad hæc famis, ſitis, atque frigoris moleſtias non paucas animô ſerenô & conſtanti perferebat, DEUM pro malefacientibus deprecatus. Depopulabantur tum temporis hoſtilia arma Connerethenſem civitatem, ex qua migrare juſſus Malachias cum ſuis Clericis Regularibus in Mumoniæ Regnum ſeceſſit: ubi nobile cœnobium Regis Comarci ſumptibûs extrui fecit. In eo omnes partes boni Religioſi egit: licet enim eſſet Epiſcopus, & ob hoc Rector aliorum; fuit tamen in communibus laboribus obeundis, & obſervanda Religioſa diſciplina primus: peragebat munia ſua, prout ordo eum tangebat, in odeo antiphonas, ut vocant, cantando, in culina lances, reliquámque ſupellectilem lavando, ac tergendo. Miraculum videbantur mores ipſius; nam S. Bernardi judicio *maximum miraculum, quod fecit Malachias, ipſe erat: ut enim taceam* (verba ſunt Bernardi) *interiorem hominem ejus, cujus pulchritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius & vita: ipſum exteriorem ita uno ſemper modo, ipſóque modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, ut nil prorſus appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. At verò in Malachia quis unquam etiamſi curioſiùs obſervârit, deprehendit otioſum non dico verbum, ſed nutum? quis manum, pedémve moventem fruſtrà? imò quid non ædificans in ejus inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? denique vultûs hilaritatem nec fuſcavit mœror, nec levigavit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed non auſterus. Remiſſus interdum, diſſolutus nunquam. Negligens nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans. Quietus ſæpè, ſed minimè aliquando otioſus &c.* Defunctô Ardmacanorum Archi-Epiſcopô Celsô, Malachiæ ea provincia demandatur; quam multîs laboribûs, vitæque periculîs ab invaſoribus, armis eandem detinentibûs, vindicatam priſtino ſplendori ac libertati reſtituit. Quibûs peractîs, cum ad Eccleſiam priorem reverti cogitâſſet, eam verò Epiſcopô jam inſtructam vidiſſet, Dunum divertit; ubi ſede fixâ pro more ſuo conventum Regularium Clericorum de filiis ſuis inſtituit. Cùm verò in diſponendis Eccleſiæ rebus minùs tutò abſque ſedis Apoſtolicæ authoritate agere ſe videret, Romam ire, Pontificem maximum ſuper gravioribus negotiis conſulturus, decrevit; quo in itinere

nere ad B. Bernardum Claravallenſium Abbatem divertens quatuor itineris ſui ſocios monaſticis inſtitutis imbuendos ibi reliquit; per quos ſubinde reformatus per B. Bernardum Monaſticus Ordo in Hybernia ipſo Malachia ſatagente fuit propagatus. Romam perveniens ab Innocentio II. ex Canonico Regulari Lateranenſi Sumo Pontifice, benignè ſuſceptus eſt; neque tamen in Claravallenſi Monaſterio vivendi facultatem, quam petierat, obtinuit, ſed per univerſam Hyberniam Legatus fuit conſtitutus. In Patriam proinde reverſus ſine proprio vixit, nec quidquam reddituum ſive Eccleſiaſticorum ſive ſæcularium in ipſo Epiſcopatu retinuit. Ædes proprias non habuit, ſed Eccleſias indeſinenter circumeundo Evangelio ſerviit, atque de Evangelio ſecundùm Pauli Tarſenſis juſſum vixit. Interdum, ſi quieſcere oporteret, in ſanctis manebat locis, communi ubique contentus menſa. Adhæc multîs in ſingulis ferè civitatibus celebratîs Conciliîs, plurima ad Eccleſiarum regimen morúmque reformationem ſalubriter ſanxit: quæ omnia tanquam de cœlo miſſa ob viri ſanctitatem, mirandáque, quæ patrabat, opera, accepta fuerunt: multis quippe loquelam, claudis facultatem eundi, cæcis viſum, moribundis verò priſtinam ſanitatem, & defunctis nonnullis reſtituit vitam. Teſte Vincentio Bellovacenſi *l.* 22. *c.* 103. Canonicorum Collegia, & diſcipulorum S. Bernardi, quos magnô numerô primus in Hyberniam invexit, & ſacrarum Virginum ad 44. Cœnobia erexit: inter quæ Benchorienſe, & Ibracenſe, atque ſancti Patritii Cænobium, quod reſtauravit, eminent. Hoc dein Collegium S. Patritii Congregationi Canonicorum Regularium Aroaſienſi, dum in Galliam proficiſcebatur, uniri voluit; prout Ferreolus Locrius, recens quidem, ſed diligens Author, in Chronico Belgii ad annum 1121. in hæc teſtatur verba: *Monaſterium S. Patritii in Hybernia inſtauravit, fundavit denuò ſanctus Malachias Hyberniæ Archi-Epiſcopus, aſſumptis Aroaſianæ Canonicis; cùm illic iter aliquando faciens ibidem nonnihil hæſiſſet, mores, atque Canonicorum diſciplinam probè exploráſſet.* Sumpſit autem primam ſui originem Aroaſienſis Congregatio Anno Chriſti 1090. ſub Heldemaro Abbate; ut conſtat ex illius vita apud Bollandum 13. Januarii: coaluit poſtea in majorem numerum, & celebrior facta eſt anno 1138. ſub Gervaſio Bolonienſe Abbate, viro benignitate, charitate in proximum, & Religionis zelô inſigni, juxta Cor-Bartholomæi noſtrum in pondere ſanctuarii *par.* 2. *c.* 16. *fol.* mihi 164.

Tandem poſt celebratam ſynodum provincialem, cùm cognoviſſet Eugenium III. in Francia adveniſſe, ut pallium Archi-Epiſcopale, ab Innocentio jam ſibi promiſſum, acquireret, ſecundum iter

in Galliam meditabatur, & inter lacrymas Regularium ſuorum Clericorum navem conſcendens, impertita illis S. Benedictione in Monaſterio Claravallenſi advenit. Percontatus aliquando, quonam in loco, ſi optio detur, extremum malit agere diem, reſpondit S. Vir: ſi hinc migro, nusquam libentius, quàm unde unà cum noſtro Apoſtolo reſurgere poſſim (intelligebat S. Patritium) ſi peregrinari oporteat, & ita permittat DEUS, claramvallem delegi. Requiſitus item de tempore, diem reſpondit ſolennem omnium Defunctorum. Atque hoc votum impletum eſt; nam brevì poſt adventum ſuum, dum hilarem, & affabilem omnibus ſe ſe præbebat hoſpes ſanctiſſimus, & S. Bernardo gratiſſimus, vix dies quinque effluxerant, cùm ecce! die ſolenni S. Lucæ Evangeliſtæ, miſsâ devotiſſimè peractâ, febre correptus, Confratribus ſuis, qui cum eo venerant, & fidentiùs inſtarent, mortem ſuam prædixit diſertîs verbîs, ac inter preces, hymnos, & pſalmos Callævallenſis Conventûs, intérque manus S. Bernardi placidiſſimè obiit in Commemoratione animarum, ſecundâ nempe Novembris Anno 1148.

Teſtatur in Sermone, de S. Malachia habito, S. Bernardus incomparabilem Præſulis Religionis zelum, fervorem, puritatem amicam, familiarem ſimplicitatem, religioſæ paupertatis obſervantiam, mundi contemptum, generoſam ſui victoriam, ſuorum Confratrum ſolicitudinem, otii fugam, contemplandi ſtudium, virtutum omnium æmulationem tantam fuiſſe, ut & ipſe in ſtuporem fuerit raptus. Modeſtiæ verò religioſæ exemplar Malachiam exhibet, & non mediocri laude extollit, & ſanctitatem complectitur, dum ita virtutes laudare deſinit: ſermo illi in tempore otii aut ſerus, aut nullus: aſpectus ejus aut officioſus, aut demiſſus, & cohibitus intra ſe: nempe (quod non mediocri laudi inter ſapientes ducitur) oculus ejus in capite ejus, nusquam avolans; niſi cùm virtuti paruiſſet: riſus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen & ipſe; equidem interdum eductus, excuſſus nunquam, qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut oris gratiam non minueret, ſed augeret: tam modeſtus, ut levitatis non poſſet eſſe ſuſpectus, tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni triſtitiæ nævo vel nubilo vindicare ſufficeret.

Spiritu prophetiæ & miraculorum gloriâ inſignis multa futura prædixiſſe fertur: inter quæ præcipuè numeratur ænigmatica ſeries, & deſcriptio Summorum Pontificum, quam, quia ad ſingularem Malachiæ ſanctitatem, & virtutum ejus meritum, ac dignam omnium æſtimationem conciliandam ſervit, placet hìc inſerere, partim impletam jam, & hinc à nobis breviter inſinuatam, partim reſiduam adhuc, DEI providentiæ relictam.

PRO-

Digitized by Google

PROPHETIA S.MALACHIÆ.

Symbolum Propheticum. ## *EXPOSITIO SYMBOLI.*

Ex caſtro Tiberis. COeleſtinus II. Typhernas ſeu Tuſcus, antea Guido vocatus, S. Marci Presbyter Cardinalis è caſtro Felicitatis, quod nonnulli civitatem Caſtelli eſſe affirmant, Typhernis ab antiquis appellatum. In Pontificem electus 1143. vivente adhuc S. Malachia.

Inimicus expulſus. Lucius II. De familia Caccianimica ex Canonico Regulari S. Crucis in Hieruſalem Congreg. S. Frigdiani Lucenſis, electus in Pont. 1144. poſt creationem dictæ Congregationi Lucenſi Can. Reg. privilegium hoc contulit, ut Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem non niſi de gremio iſtius Congregationis aſſumeretur. A rebellibus Romanis Capitolio & ſede expulſus velut inimicus, ſed à S. Bernardo ſtrenuè defenſus contra malevolos Arnaldi aſſeclas. Piiſſimè obiit 1145. 25. Martii.

Ex magnitudine montis. Eugenius III. Patria Ethruſcus in opido agri Piſani, cui *Montis magni* nomen eſt; S. Bernardi Diſcipulus: electus 1145.

Abbas Suburranus. Anaſtaſius IV. De Familia Suburra ex Canonico Regulari Congregationis S. Rufi Abbas, poſtea Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis. Tandem electus Pont. 1153.

De rure albo. Adrianus IV. vilis natus in oppido S. Albani, ejusdem Congregationis S. Rufi Canonicus Regularis, & Abbas. Ab Eugenio Epiſcopus Albanus, & ad partes Norvegiæ S. Sedis Legatus creatus. Electus Pontifex 1154.

Ex tetro carcere. Victor IV. fuit Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

Via Tranſtiberina. Caliſtus III. Guido Cremenſis Cardinalis S. Mariæ trans tiberim.

De Pannonia Tuſcia Paſchalis III. Hungarus natione, Epiſcopus Card. Tuſculanus.

Intruſi fuerunt iſti aut à Friderico Imp. uti Victor, aliàs Octavianus, aut à quibusdam privatis Cardinalibus, uti Caliſtus; qui tamen ab aliis poſt Paſchalem primùm malè ſubſtitutus,

Symbolum.

tutus, bene ſcribitur apud Palatium in Alexandro III. & Gabrielem Bucelinum ab Anno 1159. ad 1169. nos poſuimus ordine à Wion relato.

Ex anſere cuſtode. Alexander III. poſt Adriani obitum legitimus Pontifex eligitur Anno 1159. extitit priùs Can. Reg. Lateranenſis, S. R. E. Bibliothecarius, Cancellarius, & Presbyter Cardinalis S. Marci, ortus erat de familia Paparona, aut de Bendinellis, quibus anſeres fortè inſignia.

Lux in oſtio. Lucius III. electus An. 1181. antea Card. Oſtienſis.

Sus in cribro. Urbanus III. Pont. electus Anno 1185. de familia Cribella, quæ ſuem pro armis gerit: Can. Reg. & Archidiaconus Mediolanenſis, tandem Archi-Epiſcopus fuiſſe ſcribitur à probatis Scriptoribus, ab aliis verò in dubium id vocatur.

Enſis Laurentii. Gregorius VIII. Card. S. Laurentii in Lucina, cujus inſignia enſes falcati. Electus Anno 1187.

De ſchola exiet. Clemens III. Rom. domo Scholari. Electus Anno 1188.

De rure Bovenſi. Cœleſtinus III. è familia Bovenſi. Electus Anno 1191.

Comes Signatus. Innocentius III. Fam. Comitum Signiæ, ex Can. Lateranenſi, ut ipſe teſtatur in *L.* 8. *Ep.* 295. à Cœleſtino III. in Cardinalem tit. S. Priſcæ aſſumptus. An. 1198. Pont. electus.

Canonicus de latere. Honorius III. antè Canonicus Lateranenſis, fam. Sabella. Pont. el. an. 1216. qui SS. Ord. S. Dominici, & S. Franc. approb. confirmavit.

Avis Oſtienſis. Gregorius IX. antea Epiſcop. Card. Oſtienſis, cujus inſignia aquila. Electus Anno 1227.

Leo Sabinus. Cœleſtinus IV. cujus inſignia Leo, Epiſc. Card. Sabinus. Electus Pont. Anno 1241.

Comes Laurentius. Innocentius IV. Comes Lavaniæ Card. S. Laurentii in Lucina. Elect. An. 1243.

Signum Oſtienſe. Alexander IV. Comes Signiæ, Card. Oſtienſis. Electus Pont. Anno 1254.

Hieruſalem Campania. Urbanus IV. Campanus Patriarcha Jeroſolimitanus, Elect. Anno 1261.

Draco depreſſus. Clemens IV. cujus inſignia aquila, unguibûs draconem tenens. Elect. Anno 1265.

Grego-

Digitized by Google

Symbolum.	*Expoſitio.*
Anguinus vir.	Gregorius X. Mediolanenſis, Vicecomes, cujus inſignia anguis. Elect. an. 1271.
Concionator Gallus.	Innocentius V. Gallus, Ord. Prædicatorum. Elect. An. 1276. poſt 5. menſes obiit.
Bonus Comes.	Adrianus V. Ottobonus famil. Fliſca : ex comitibus Lavaniæ. Elect. Anno 1276. poſt 40. dies obiit.
Piſcator Tuſcus.	Joannes XXI., aliis XX. antea Petrus Card. Tuſculanus. Elect. an. eodem. regn. 8. menſ.
Roſa compoſita.	Nicolaus III. Fam. Urſina, cujus inſignia Roſa: dictus fuit *compoſitus*. Elect. An. 1277.
Ex telonio liliacei Martini.	Martinus IV. Ejus inſignia lilia, antea Canonicus, & theſaurarius S. Martini Turonenſis. Elect. An. 1281.
Ex roſa Leonina.	Honorius IV. Sabellus, cujus inſignia Roſa à leonibus geſtata. Hic primus Eremitas S. Auguſtini Romam evocavit, eiſque ædem S. Triphonis conceſſit. Electus Anno 1285.
Picus inter eſcas.	Nicolaus IV. Picenus patriâ Eſculanus: Ord. S. Franc. F. Hieronymus antea dictus. Elect. An. 1288.
Ex eremo celſus.	Cœleſtinus V. vocatus antea Petrus de Morrone, Eremita Ord. S. Bened. Elect. An. 1294.
Ex undarum benedictione.	Bonifacius VIII. antea Benedictus Cajetanus, cujus inſignia undæ. Elect. an. 1295.
Concionator patereus.	Benedictus X, aliis XI. antea dictus Frater Nicolaus, Ord. Prædicatorum Miniſter Generalis. Elect. an. 1304.
De feſſis aquitanicis.	Clemens V. Nation Aquitanus, cujus inſignia feſſæ erant. Elect. an. 1305.
De Sutore oſſeo.	Joannes XXII, aliis XXI. Gallus familiæ oſſa, ſutoris filius. Elect. an. 1316.
Corvus Schiſmaticus.	Nicolaus V. qui vocabatur F. Petrus de Corbario contra Joannem antipapa Minorita.
Frigidus Abbas.	Benedictus XI. aliis XII. Abbas Monaſterii fontis frigidi Ord. S. Bernardi. Elect. an. 1334.
De roſa Attrebatenſi.	Clemens VI. Epiſcopus Attrebatenſis, cujus inſignia Roſæ. Elect. an. 1342.
De montibus Pammachii.	Innocentius IV. Card. tituli Pammachii, cujus inſignia erant ſex montes. El. a. 1352.
Gallus vicecomes.	Urbanus V. Gallus, ad Vicecomites Mediolanenſes Nuntius Apoſtolicus. El. 1362. Antea Abbas Maſſiliæ Ord. S. Benedicti.

Novus de Virgine forti. Gregorius XI. dictus Petrus Belfortis, Card. tit. S. Mariæ novæ. Elect. an. 1370.

De Cruce Apoſtolica. Clemens VII. Card. 12. Apoſtolorum, cujus inſignia Crux. Anti-Papa.

Luna Coſmedina. Benedictus XIII. antè Petrus de Luna, Card. B. M. V. de Coſmedin. Anti-Papa.

Schiſma Barchinonium. Clemens VIII. Canonicus Barchinonenſis. Anti-papa. Expunguntur hi tres è legitimo ſucceſſionis ordine.

De inferno pregnanti. Urbanus VI. Neapolitanus Pregnanus, natus in loco, qui dicitur infernus. Legitimè electus & creatus Anno 1378.

Cubus de mixtione. Bonifacius IX. è familia Tomacella, cujus inſignia cubi. Electus anno 1389.

De meliori ſydere. Innocentius VII. vocatus Coſmatus de Melioratis, cujus inſignia ſydus. Electus anno 1406.

Nauta de ponte nigro. Gregorius XII. Venetus Præſes Eccleſiæ Nigropontis. Electus anno 1406.

Flagellum ſolis. Alexander V. Græcus Archi-Epiſcopus Mediolan. S. Ambroſii, illius inſignia ſol, qui ut in antiquis nummis videre eſt cum flagello. Elect. an. 1409.

Cervus Sirenæ. Joannes XXIII. Diaconus Card. S. Euſtachii, qui cum cervo depingitur, Bononiæ Legatus, Neapolitanus. Elect. an. 1410.

Corona veli aurei. Martinus V. de Familia Colonna, cujus inſignia columna, ſupra quam corona Card. Diaconus S. Georgii ad velum aureum. Elect. an. 1417.

Lupa Cæleſtina. Eugenius IV. Venetus Canonicus Regularis & Epiſcopus Senenſis, ut refert Wion. Aſt magis conſtat, Can. reform. S. Georgii in Alga fuiſſe, ex cit. auth. inferiùs. Elect. P. an. 1431. inſignis tamen fuit Can. Reg. Benefactor.

Non videtur ſufficienter explicatum Symbolum.

Amator Crucis. Felix V. Dux Sabaudiæ Amadeus, cujus inſignia Crux. El. à Concil. Baſil. &c.

De modicitate lunæ. Nicolaus V. Lunenſis de Sarzana humilibus natus parentibus. Elect. 1447.

Bos paſcens. Calliſtus III. Cujus inſignia bos paſcens, Hiſpanus ante

Digitized by Google

antè Alphonſus Borgias. Hujus nominis legitimus poſſeſſor III. Elect. an. 1455.

De capra, & Albergo. Pius II. Senenſis Secretarius antea Cardinalium Capranici, & Albergati, dictus Æneas Silvius Piccolomini. Elect. 1458.

De cervo, & Leone. Paulus II. Venetus, qui fuit Commendatarius, ſeu Præſes Eccleſiæ Cervienſis, & Cardinalis tit. S. Marci, ejus inſignia etiam referunt leonem. Elect. an. 1464.

Piſcator minorita. Sixtus IV. Piſcatoris filius, & Minorita S. Franciſci. Scribitur etiam ab aliis Nobil. Fam. Genuenſis Roboreorum fuiſſe, & natus in pago maritimo ab urbe Savona 5000. paſſibus diſtante, quò ejus parentes peſtis vitandæ causâ confugerant, ac poſtea ex voto Minorita. Elect. an. 1471.

Præcurſor Siciliæ. Innocentius VIII. vocatus antea Joannes Baptiſta Cybo, qui vixit aliquamdiu in curia Alphonſi Regis Siciliæ. El. an. 1484.

Bos Albanus in portu. Alexander VI. Epiſcopus Cardinalis Albanus & Portuenſis, cujus inſignia bos. In Pont. el. an. 1492.

De parvo homine. Pius III. Senenſis, familia Piccolominea, quod parvum importat hominem. El. an. 1503. obiit poſt 26. dies.

Fructus Jovis juvabit. Julius II. Ligur, cujus inſignia quercus Jovis arbor. Elect. an. 1503. 1. die Novembris.

De craticula Politiana. Leo X. Laurentii Medicei, & Scholaris Angeli Politiani. Electus an. 1513.

Leo Florentius. Adrianus VI. Florentii filius, cujus inſignia Leo. Elect. an. 1522.

Flos pilei ægri. Clemens VII. Florentinus de domo Medicea, ejus inſignia pilæ, & in priori lilia continent. Elect. an. 1523. Poteſt etiam Symbolum deduci à pileo Cardinalitio, quem accepit à Leone X.

Hiacinthus medicorum. Paulus III. Farneſius, qui lilia cærulea pro inſignibus geſtat, antea Card. SS. Coſmæ & Damiani Medicorum. Elect. an. 1534.

De corona montana. Julius III. vocatus antea Joannes Maria de Monte. Symbolum tamen Propheticum provenit à montibus cum lauro in formam coronæ ſupra & infra poſita; ut videre eſt apud Palat. Elect. an. 1549. aliis 1550.

Mar-

Digitized by Google

Frumentum floccidum. Marcellus II. cujus inſignia cervus, & frumenti ariſtæ, ideo frumentum floccidum, quòd pauco tempore vixit in Papatu. Electus ſiquidem an. 1555. 9. die Aprilis; poſt 22. dies iterum obiit.

De fide Petri. Paulus IV. antea vocatus Joannes Petrus Caraffa. Elect. an. 1555. 23. Maij die Aſcenſ. Dom. Ord. S. Theatinorum prof.

Eſculapii pharmacum. Pius IV. antea dictus Joannes Angelus Medices. Elect. an. 1559. verè Medicus Ord. Canonici, cujus à Bonifacio P. inflictum vulnus ſedulò reparare voluit.

Angelus nemoroſus. Pius V. Michaël antea vocatus in oppido Boſchi natus. Pontifex elect. an. 1566. Ord. S. Dominici. à Clemente XI. moderno Pont. Max. in SS. num. relatus an. 17.

Medium corpus pilarum. Gregorius XIII. cujus inſignia medius draco, antea Cardinalis creatus à Pio IV. qui pilas in armis geſtabat. Elect. 1572.

Axis in medietate ſigni. Sixtus V. qui axem in medio Leonis in armis geſtat. El. 1585. fuit Ord. S. Franciſci F. Felix Peretti dictus.

De rore cœli. Urbanus VII. qui fuit Archi-Epiſcopus Roſſanenſis in Calabria, ubi manna colligitur. El. 1590. inſignia ejus roſam referunt ſupra axem. poſt 12. dies fatis ceſſit.

De antiquitate orbis. Gregorius XIV. utroque parente antiquiſſimæ familiæ patre Franciſco Sfondrati, matre Anna Vicecomite natus: fuit & ipſe antiquitatum Urbis reſtaurator. El. 1590. 5. die Decembris.

Pia civitas in bello. Innocentius IX. Symbolum hoc à nemine hucusque explicatum fuiſſe, ajunt P. Engelgrave, & P. Arsdekin: non incongruè tamen aſſignari poteſt, quòd initio ſtatim Pontificatûs ſui, ad Divinam afflictæ Reipublicæ Chriſtianæ, & tumultibus bellicis dilaceratæ, præſertim Galliæ, opem implorandam, Jubilæum Romæ indixerit. Ita ſub Innocentio IX. Civitatis pietas in bello: quam in animis Romani populi & Cleri ardentiorem reddidit, dum ipſe VII. Baſilicas pedes inviſere voluit; ſed itineris fatigatione febri violentâ correptus 8. dierum ſpatio obiit. Elect. an. 1591. 30. Octob. mortuus 30. Decemb. ejusdem anni. Videatur Palat. victorellus, Maurocenus &c. de hoc Pont.

Crux Romulea. Clemens VIII. cujus inſigne trabs argentea tribus ſegmentis interdiſtincta ad modum crucis Pontificis Romani. Elect. an. 1592.

Leo IX.

Digitized by Google

Undoſus vir. Leo XI. paralyſi obnoxius, Familiæ Mediceæ. El. 1605. 1. April. obiit 27.

Gens perverſa. Paulus V. antea Camillus Burgheſius, patre M. Antonio Burgheſio Senenſi, matre Flaminia ex Aſtalia familia Romæ natus. Symbolum tendit ad inſignia gentilitia inverſa; nam *aquila* olim Burgheſiorum inſigne, donec Guelphorum ſequaces, adversùs Gibellinos in præmium exantlati laboris pro Eccleſia, *Dracone* donati (qui Guelphorum erat inſigne) aquilâ depoſitâ Draconem ſubſtituerunt, vel in Parmæ parte potiori appoſuerunt. El. an. 1605. 16. Maji.

In tribulatione pacis. Gregorius XV. Sub quo imperium maximè turbatum nunquam hucusque reſpiravit. Antea Alexander Ludoviſius Card. tit. S. Mariæ Transpontinæ. Elect. an. 1621. 9. Januarii.

Lilium & roſa. Urbanus VIII. Florentinus, cui urbi lilium pro inſigni, ipſi verò tres roſis amiciſſimæ apes. Cæterùm reſpici videtur ab Urbano VIII. Urbanus IV. cujus inſignia lilium & roſa. Electus fuit an. 1623. 6. Auguſti.

Jucunditas crucis. Innocentius X. Cujus inſignia columba ſuavem pacis olivam geſtans. Electus feſto S. Crucis anno 1644. 14. Septembris.

Montium cuſtos. Alexander VII. cujus inſignia montes, quibus ſydus cœleſte velut oculus vigil & cuſtos ſupereminet juxta illud: *ſtellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis*: *Baruch*. 3. Elect. an. 1655.

Sydus olorum. Clemens IX. Dicitur in cubiculi ipſius fornice pictus Olor cum cruce in pectore. Refert porro Palatius, illum poſt aditum Pontificatum mandâſſe, ut volucris Pellicanus pro ejus Symbolo pingeretur, & æri etiam imprimeretur pectus roſtro eviſcerans, addito lemmate: *aliis, non ſibi Clemens.* El. an. 1667. die 20. Junii.

De flumine magno. Clemens X. antea Æmilius altierius, ſeu alterius Romæ, patre Laurentio Romano Patritio, & matre Victoriâ Flaminii Delphinii ſorore natus; à Clemente IX. Cardinalis renuntiatus. Clemens X. dici voluit, ut benefactoris memoriam gratus renovaret, vaticinio S. Malachiæ adimpleto: *de flumine magno*, Tyberi ſcilicet, quia Romæ natus. Porro antea Epiſcopus Camerinus,

 mag-

Digitized by Google

magnâ fluminum inundatione laborantibus Ravennatibus auxilio fuit. Electus an. 1670. 29. Aprilis.

Bellua inſatiabilis. Innocentius XI. Ejus inſignia referunt leonem utpote belluam inſatiabilem. Elect. an. 1676. 21. Septembris. Antea Benedictus Odeſchalchi vocatus, Card. Diaconus primùm SS. Coſmæ & Damiani, dein Presbyter S. Onuphrii.

Pœnitentia glorioſa. Alexander VIII. Venetus, antea Card. Petrus Vitus Ottoboni. Elect. an. 1689. 6. Octobris. Ideo autem Pœnitentia glorioſa; cùm S. Petri Apoſtoli nomen priùs gerebat, qui egit pœnitentiam glorioſam.

Raſtrum in porta. Innocentius XII. Neapolitanus, priùs Card. Antonius Pignatelli tit. S. Pancratii, & Archi-Epiſcopus Neapolitanus, dein an. 1691. 12. Julii Pontifex maximus renuntiatus communi omnium applauſu. Symbolum ejus non invenitur defacto expoſitum.

Flores circumdati. Clemens XI. glorioſiſſimè modò regnans Pontifex Opt. Max. El. An. 1700. 23. Novemb. S. Clementi Pont. & Martyri ſacro. Antea Cardinalis ab Alexandro VIII. creatus 1690. 13. Februarii, exigentibus virtutum ejus meritis, vocatus Joannes Franciſcus Albani. Quem DEUS in S. Regimine ad Eccleſiæ Romano-Catholicæ incrementum quàm diutiſſimè conſervare dignetur.

Symbola reliquorum adhuc futurorum Pontificum usque ad conſummationem ſæculi.

De bona Religione.
Miles in bello.
Columna excelſa.
Animal rurale.
Roſa Umbriæ.
Urſus velox.
Peregrinus Apoſtolicus.
Aquila rapax.
Canis & Coluber.
Vir religioſus.
De balneis Ethruriæ.
Crux de Cruce.
Lumen in cœlo.
Ignis ardens.
Religio depopulata.
Fides intrepida.
Paſtor Angelicus.
Paſtor & nauta.
Flos florum.
De medietate Lunæ.
De labore ſolis.
Gloria Olivæ.

Digitized by Google

In perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus; quibus tranſactis civitas ſepticollis diruetur, & Judex tremendus judicabit populum ſuum. Finis.

Hæc ſymbola prophetico ſpiritu à S. Malachia prædicta optimè in Eccleſia DEI cum ſuccedentibus Pontificibus hucusque conveniebant; uti patet ex appoſitis ſolutionibus, & applicationibus Lemmatum. Hinc NB. Symbolum *in margine poſitum eſt à S. Malachia*; expoſitio *verò à variis authoribus Ciaconio, Victorello, Mauroceno, Wion, Engelgrave, Palatio, & citatis apud eum Scriptoribus deſumpta.*

Cæterùm contentionem inter Religioſos viros reſuſcitare alienum prorſus à me eſt, qui hìc de Religioſa modeſtia, cujus regulas exactè ſervandas in hoc dedi articulo, ſine nota mali exempli recedere non poſſum; ſtabilire tamen debeo Clericatum, & quidem Regularem S. Malachiæ contra quosdam, qui nimio in ſuam Religionem zelo abrepti Monachale S. Benedicti, aut Ciſtercienſe inſtitutum, & habitum à Malachia ſuſceptum eſſe tradunt. Inter iſtos continetur Chryſoſt. Henriquez in faſcic. Ciſter. *l.* 2. *diſt.* 3. *c.* 14. ſed quo fundamento? eo nempe, quo Gulielmum de Campellis Canonicum Regularem S. Victoris Pariſiis, & Epiſcopum Catalaunenſem, B. Julianam, & Agnetem Virgines Canoniſſas, in monte Cornelii Regulam S. Auguſtini expreſsè profeſſas, ſuo S. Ordini aſſociat; quia ille in Claravalle ſepultus, hæ Salſiniæ prope Namurcum in Monaſterio Virginum Ciſtercienſium; ubi à rebellibus fugatæ aliquamdiu vixerunt, mortuæ ac conditæ fuerunt: quod ſi tale valeret argumentum, haud exigua oriretur Sanctorum, & S. Ordinum confuſio. Paucis igitur cum Reverendiſſimo Pennotto in notat. ad SS. Can. Ordinis, & directè ex ipſo S. Bernardo, qui ſacratô calamô Sanctus Sancti vitam litteris mandavit, quémque omnes de S. Malachia ſcribentes allegant, & velut illibatæ fidei, prout reipſa eſt, auctorem ſequuntur, Regularem S. Malachiæ & Clericalem vitam demonſtrabo. Inprimis per omnia 31. capita, quibus conſtat, nec ullum verbulum S. Bernardus poſuit de ejus Monachatu, ſed ſemper illum *Clericum*, *Regularem Fratrem &c.* vocat; qui tamen inter Monachos, & Clericos regulares optimè diſtinguere noverat. Cap. 2. Religioſæ vitæ tyrocinium Malachiæ oſtendit, quando is in civitate Ardmachana ſeu Ardinacha B. Imario, qui auſteræ admodùm vitæ cellam habebat juxta Eccleſiam, & Epiſcopus erat plures Clericos Regulares alens, regulariter ſe inſtituendum tradidit: ubi in

obedientia, humilitate, & diſci-Plina ſupra omnes emicuit, *ut dignus ſit viſus Epiſcopo pariter & Magiſtro, qui ad Diaconii gradum promoveretur*: 25. annorum presbyter factus in ſuo Cœnobio ad horas canonicas cantum juxta morem Romanæ Eccleſiæ introduxit. Cap.6. Benchorenſe Monaſterium, quod ante quingentos annos (antequam Malachias vixit) *nobiliſſimum extiterat ſub primo Patre Congello multa millia Monachorum generans &c.* nunc autem adeò dirutum, ut (verba ſunt S. Bernardi cap. 16.) *illæ gentes* (Hibernenſes) *quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum non viderint*, reſtauravit *ex mandato Patris Imarii aſſumptis ſecum decem circiter fratribus. Ubi Clericum nomine Michaelem dyſenteria laborantem mirabiliter ſanavit, qui dein præfuit Monaſterio ſito in partibus Scotiæ.* Ecce diſcrimen evidenter poſitum inter ſtatum priorem Monachorum, & poſteriorem Clericorum Patris Imarii fratrum, S. Malachiæ diſcipulorum! unde mirari ſatis Can. Ordinis Scriptores non poſſunt, quo jure Arnoldus Wion *l.* 2. *c.*40. S. Malachiam *Hibernum Monachum Bencorenſem* aſſerere, & ex S. Bernardo deducere potuerit, cùm tamen oppoſitum ex ſancto Patre clarè eruatur, qui deſtructum Monaſterium Bencorenſe, cujus gloriam recenſet olim habitam à multitudine Monachorum, nullibi ſcribit à Malachia pro Monachis reſuſcitatum, ſed *ob inſigne dignitatis antiquæ veluti quemdam paradiſum* pro Clericis Regularibus à S. Imario acceptis replantatum. Quomodo verò Wionis altum ſilentium de ſuſcepto à B. Malachia Ciſtercienſi habitu Henriquezii opinioni conveniat, nolim indagare: conſtabit tamen ex ſequentibus, neutiquam hanc nudam Wionis aſſertionem ſubſiſtere; nam Epiſcopus Connerethenſis trigeſimo ferme ætatis ſuæ anno Malachias conſecratus, civitate deſtructâ, ipſe *exiit cum turba diſcipulorum ſuorum &c. qua occaſione Monaſterium Ibracenſe conſtructum eſt, eunte illò Malachia cum ſuis numero* 120. *fratribus*, nulla habita mentione de Monachis. *Cap.* 9.

Ad tollendum verò omnem ſcrupulum, ùt ait Pennottus, ne quis per animi obſtinationem vellet contendere cum Wion & aliis, illos fuiſſe Monachos, teſtatur S. Bernardus *c.* 14. in expreſſa hæc verba: *Malachias factus Dunenſis Epiſcopus* (nam priùs Archi-Epiſcopus, ſeu Primas Hiberniæ à Celſo moriente Archi-Epiſcopo conſtitutus fuit) *confeſtim more ſuo cumuit aſciſcere ad ſolatium ſibi de filiis ſuis Conventum Regularium Clericorum.* Ecce quales erant illius filii, & diſcipuli! Clerici utique, & quidem Regulares, non Monachi? Dein ſubjungit: *& rurſus accingitur quaſi novus Chriſti tyro ad ſpiri-*

tuale

tuale certamen, rurſus induitur arma potentia DEO, ſanctæ paupertatis humilitatem, rigorem diſciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, orandi aſſiduitatem: quæ tamen omnia voto magìs valuit diu tenere, quàm actu propter clericalia & Epiſcopalia officia. Porrò, cùm Romam pro petendo & accipiendo Pallio tanquam Metropolitanus proficiſci decreviſſet, & Edanum ex ſuis Clericis Regularibus Coadjutorem Epiſcopum conſecrâſſet, Eboracum ex itinere deveniens mox à Clericis paris profeſſionis viſitatus, & devotè fuit ſuſceptus. Ita teſtatur S. Bern. *c.* 15. *In ipſa urbe Eboracenſi acceſſit ad eum vir nobilis ſecundùm ſæculum, Walleluus nomine, tunc Prior in Kyrkebam Regularium fratrum; nunc verò* (poſtquam ſcilicet S. Malachias diſcipulos S. Bernardi Româ redux in Hiberniam & Scotiam invexit, & quibusvis ſuorum libertatem ad arctiorem vivendi Regulam tranſeundi dedit) *Monachus & Monachorum Pater in Mailros Monaſterio Ordinis noſtri* (ſcilicet Ciſtercienſis) *qui devotus Malachiæ ſe orationibus ſatìs humiliter commendavit.* En quàm exactè diſcernit Abbas Claræ vallenſis inter Regulares fratres, & Monachos ſui Ordinis! ut etiam grandis honoris ſibi ducat, & Ordini ſuo gloriæ haud exiguæ, quòd Regulares Canonici, in tanta auctoritate conſtituti, Ciſtercienſem ſuum habitum ſint amplexati. Nec ſolatium, quod inde capiebat, animô continere potuit, ſed mutationes Regularium Clericorum in Monachos Ciſtercienſes fideliter annotavit. Aſt ubi talem commutationem Malachiæ recenſuit? ſi cuncta 31. capita ſtrictè volvas, & revolvas, non apicem hujus leges. Quin ſimile quid, habitûs ſcilicet & Regulæ Ciſtercienſis aſſumptionem nunquam à Malachia factam, nec fieri potuiſſe, ipſemet teſtatur S. Bernardus mox cap. ſequenti 16. Poſtquàm Innocentius II. Papa eum benignè ſuſceperat, *humanè ſatìs illi ſuper longa peregrinatione compaſſus &c.* tunc *primò quidem Malachias, quod altiùs infixerat animo, cum multis lachrimis implorabat, licere ſibi vivere, & mori in Claravalle permiſſu & benedictione Summi Pontificis: & petiit hoc, non oblitus, ad quod venerat, ſed affectus, quo venerat, deſiderio Claravallis. Non autem obtinuit, quod virum Apoſtolicum* (Pontifex) *lucris potiùs uberioribus occupandum decerneret. Nec tamen omnino fruſtratus eſt deſideriô cordis ſui, cui mori ibi, etſi non vivere donatum eſt.* Nonnè ergò fatetur familiariſſimus D. Bernardus, cùm Malachias ab Innocentio licentiam poſtulâſſet reſignandi Epiſcopatum, habitum Monachalem ſuſcipiendi, ſub regula, & diſciplina S. Bernardi in Claravalle vivendi ac moriendi, repulſam accepiſſe? ac conſequenter ſine violatione

 jura-

Digitized by Google

juratæ obedientiæ ad alium Ordinem tranſire non potuiſſe? Quis verò credat tam S. Virum contra S. Pontificis voluntatem cum aperto peccato S. habitum voluiſſe accipere? Unde argumentum à contrario tam forte ac ſtringens, ut aſſeruerit Pennottus, videre debere eos, quo veritatis præſidio fulciantur, qui illum in copias Monachorum tam audacter traducere nituntur. Quòd ſi quis obſtinatus vellet dicere (verba ſunt illius) eosdem Clericos, quos ſibi aſciſcere curavit, ex Monachis fuiſſe acceptos &c. clariſſimè refragatur D. Bernardus eodem capite; quia *illæ gentes quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum non viderunt*, ſed bene Clericos S. Malachiæ, B. Imarii, & antiquiſſimi Apoſtoli ſui Patritii; cujus Reliquiæ quædam, liber Evang. ejus bacculus Epiſcopalis in ſumma veneratione, & recenti adhuc memoria habebantur; ùt refert S. Bernardus *c.* 11. quorum exempla, & præſertim S. Malachiæ vita religioſiſſima, in omnium oculis & animis renidebant.

Tandem plus quàm evidenter conſtat ex S. Bernardo, neque hunc Malachiam, neque iſtum Bernardum unquam antea vidiſſe, ſed Epiſcopum jam virum ſanctitate plenum ad Abbatem Claravallenſem veniſſe: poſtea, cùm S. Epiſcopus Româ rediiſſet, quatuor ex ſociis ſuis apud S. Bernardum reliquiſſe *Monaſticis diſciplinis imbuendos, qui probati, & digni inventi Monachi facti ſunt. Poſt aliquod tempus, cùm jam ſanctus eſſet in terra ſua, miſit alios, & de illis factum eſt ſimiliter: quibus inſtructis miſit S. Bernardus eos adjungens de ſuis, quanti ſufficerent ad numerum Abbatiæ Ciſtercienſis, quæ concepit & peperit filias quinque; & ſic multiplicato ſemine augeſcit in dies numerus Monachorum.* Quisquis hæc legerit, haud difficulter conjiciet, ſocios S. Malachiæ, ſeu Regulares fratres, neutiquam fuiſſe Monachos; utpote ſi tales fuiſſent, non iterum fieri debuiſſent.

Si verò ultimum quis attentarit arietem applicare, Malachiam Monachum Ciſtercienſem aſſerendo, quia S. Abbas illum *ſuum amicum*, & *fratrum ſuorum amantiſſimum &c.* hinc inde appellavit, præſertim cap. 16. & 31. atque in ſerm. poſt obitum habito.

Reſpondetur tam arctum ſanctæ amicitiæ vinculum tunc temporis coaluiſſe inter conſpicuos ſanctitate viros, ut non diverſitatem Ordinis & Habitûs, ſed rationem ſanctioris vitæ reſpexerint: præſertim tempore S. Bernardi arctiſſima inter Canonicos Regulares & Ciſtercienſes Religioſos amicitia fuit, ut plurimi Regulares Canonici diſciplinæ ſuaviſſimæ melliflui Abbatis ſe ſe ſubjecerint, ac ad ſtrictiorem ejus Ordi-

Ordinem tranſierint. Unde factum eſt, quòd S. Bernardus conquerentes Canonicorum Superiores hortari coactus fuerit per litteras, ne *ob tenorem arctioris vitæ ab inſtitutionibus B. Auguſtini ad obſervantias S. Benedicti, DEI adjutorio, ſic tranſeuntes* à profeſſione impediant. Plures videri poſſunt epiſtolæ ad Canonicos Regulares ab Amico Bernardo exaratæ *To.* 1. *operum* Coloniæ Anno 1641. editorum. Quòd autem Canonicos Regulares S. Bern. ſpecificô hôc titulô non, ſed *Regulares Fratres* appellaverit, imò *ſanctiſſimos Fratres in epiſt.* 3. ratio temporis illius erat. Sic & Caliſtus II. in confirmationis diplomate Beyrbergenſis Canoniæ, & pluries alibi in Apoſtolicis litteris Regulares Canonicos *Regulares Fratres*, *Regulares Clericos* vocârunt Pontifices, Principes, & antiquiſſimi Scriptores: per quod nihil derogatur ſubſtantiæ S. Ordinis; ùt fuſiſſimè documentîs, exemplîs, & rationibûs demonſtrari poſſet. Pluribûs etiam Auctoribûs, vitam S. Malachiæ concinnantibûs, uſus non fui, cùm ſolus omnium facilè præſtantiſſimus Claravallenſis Doctor ſuffecerit; nam *in diverſitate ſententiarum*, ùt ait S. Aug. *l.* 12. *confeſſ. c.* 30. quibûs Auctores colliduntur, *concordiam parit ipſa veritas*, quam vir ſanctus, ab omni æmulatione & partium ſtudio prorſus alienus, exhibet.

Atque hæc aliô non ſuſcipiantur animô à me ſcripta, volo, quàm ut procul cenſear ab aucupio alienæ gloriæ, quâ à Sanctis Canonici Ordinis mutuatâ non indigent aliæ S. Religiones, utpote propriis refertiſſimæ; ùt conſtat ex noviſſimis libris clariſſimorum P. Khamm & P. Egger. Cùm verò alienam lucem neutiquam appetere nos proteſtemur, ſed SS. Fundatoribus Benedicto & Bernardo, eorúmque Religioſiſſimis Filiis ſanctitatem hæreditariam, titulos, prærogativas, & jura illibata velimus, ſperamus nos Canonici, & maximè optamus, noſtræ antiquiſſimæ Religionis honorem & Sanctorum gloriam ab iis pariter non appeti, nec ſibi, & Ordini ſacro appropriari, niſi per charitatem, qua omnia noſtra ſua, & ſua noſtra ſint ad DEI gloriam; prout tempore S. Bernardi utrinque ad grande ſpiritualis profectûs emolumentum ſtabilitum fuerat. Quòd ſi & in hac noſtra modeſta Clericatûs in Malachia, & ſanctitatis Canonicæ defenſione contra claram melliſluæ veritatis lucem Adverſarios quoque nanciſcamur, clypeo noſtro illud S. Auguſtini *tract.* 34. *in Joan.* inſcribimus: *Nunc difficilè ſine rixa ſumus; ad concordiam vocati ſumus; jubemur pacem habere inter nos; ad hoc conandum eſt, omnibúsque nitendum viribûs, ut aliquando perveniamus ad perfectiſſimam pacem.*

ARTI-

ARTICULUS VIII.
De Prudentia ſpirituali, & ejus gradibus.

SUMMARIUM.

207. *Quid ſit Prudentia ſpiritualis, & circa quæ verſetur?*
208. *Quatuor ejus gradus, quorum* 1. *ſolidus cibus: & hic triplex eſt.*
209. *Alter eſt diſtinctio inter verum & fictam conſolationem.*
210. *Explicatur magis.*
211. *Quid operentur in anima inſpirationes bonæ.*
212. *Gradus tertius eſt major puritas conſcientiæ.*
213. *Quartus deliberatio in rebus agendis.*
214. *Inter perfectiones prudentiæ ponuntur remedia contra tentationes, & vitia.*
215. *Lucta carnis quadruplex.*
216. *Ambulatio in Spiritu.*
217. *Theologia myſtica.*
218. *Convenientia dictorum cum doctrina S. Laurentii Juſtiniani.*

207 PRudentia teſte S. P. N. *l.* 83. *quæſt. q.* 61. *eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.* Eſt etiam amor bene diſcernens ea, quibûs adjuvetur ad tendendum in DEUM, ab his, quibûs prudentia impediri poteſt. Unde S. Iſidorus prudentem dicit *quaſi porrò videntem; perſpicax enim eſt, & incertorum prævidet caſus.* S. Thomas 2. 2. *q.* 47. *a.* 8. deſcribit prudentiam, quòd ſit virtus, qua conſiliamur, judicamus, & præcipimus, quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent. Unde illius tres actus numerantur; quorum primus eſt *conſiliari*, quod pertinet ad inventionem; nam conſiliari eſt quærere. Secundus, *Judicare* de inventis. Tertius, *præcipere*, id eſt applicare conſiliata, & judicata ad operandum; qui actus eſt præcipuus. Unde apparet, quòd prudentia verſetur circa univerſalia non tantùm & circa magna, qua ratione in Principibus & Superioribus reſidet; ſed etiam attingat particularia, & ſingularia propria; uti docet S. Th. *c. q. a.* 3. Religioſo cuilibet neceſſaria eſt hæc virtus, qua diſcat ſe prudenter regere, Superioribus perfectè ſubjicere, technas diabolicas evitare, ne ſuggeſtionibus variis ſuccumbat. Hinc ad ſpiritualem ſectandam prudentiam excitamur *Matth.* 10. *eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Sit nempe prudentia in Religioſo, qua ſciat, ſe bene in variis caſibus dirigere, vitam ſanctè ordinare: ſit etiam ſimplicitas,

Digitized by Google

tas, qua ſe Superiorum directioni absque humana prudentia ſubjicere, id eſt, ſimpliciter obedire intelligat. Relinquimus Scholaſticas ſpeculationes; & tantùm ad aſceticas rationes animum admovemus, quas Reverendiſſimus Udalricus Byrſon noſter in ſua Novit. inſtructione non minùs doctè, quàm ſolidè tradidit. Placet totam diſſertationem hîc inſerere.

§. I.
De gradibus ſpiritualis Prudentiæ.

208 Gradus prudentiæ ſpiritualis ſunt tales; ſolidus cibus, differentia veræ ac fictæ conſolationis, major puritas conſcientiæ, deliberatio in rebus. Quod attinet *ad ſolidum cibum*; iſte ſolidus cibus nihil aliud eſt, niſi pura intentio ad Deum & in ejus bonum, ita ut homo penitus à ſe ipſo recedat, quaſi immemor ſui (tanquam mortuus à corpore, & vas perditum) & in laboribus non reſpiciat præmium in cœlo, neque ſolatia in terra, neque commodum magìs ſuum, ſed ſolum DEI beneplacitum, honoris ejus & gloriæ exaltationem: per hoc enim certè ingenioſi magìs ſtrenui fiunt ad labores: *omnia enim mea ſunt tua*: *Luc.* 15. Solidus iſte cibus non eſt aſper guſtantibus, juxta illud: *adimplebis me lætitia*: *pſal.* 15. Quodſi amaritudo aliqua obveniat, iſta oritur ex difficultate affectum à terrenis & jucundis abſtrahendi. Religioſo certè opus eſt in ſpiritualibus ſolidô cibô; ab initio ſiquidem converſionis ſuæ ſimilis eſt iis, *quibus lacte opus ſit, non ſolidô cibô*; ùt ait Apoſt. *Hebr.* 5. unde per dulcia & mollia ejus vires augeantur, oportet. Eſt autem triplex genus hujusmodi lacticinii.

Primum eſt rerum ſenſibilium & bonorum: ſic promiſsîs terræ lacte & melle fluentis, ſenſibilibúsque blandium rerum ſignîs Judæi ex Ægypto ad Domini præcepta illecti ſunt. Talia apud Religioſos quoque ſint munuſcula ſacra, recreationes, hauſtus extraordinarii, ſomnus, favores, laudes, conniventiæ in defectibus &c. Ab his oportet breviter ablactari; qui enim his aſſuefiunt, omnia poſtmodùm propter amorem proprium faciunt, ſicque ad ſolidum cibum nunquam pervenient.

Secundum genus lactationis eſt in bonis ſpiritualibus, v. g. in conſolatione, in lumine ſpirituali, in ſenſibili devotione, in guſtu exercitiorum ſacrorum, in doctrina Chriſti &c. ſed talia oblectamenta cautè uſurpanda ſunt, nec in iis præcisè hærendum; quia ſicut aliquando ad magnum in virtutibus

tutibus progreſſum juvant, ita tempore mutati ſtatûs, & advenientibûs deſolationibûs, cùm anima ad utrumque non æquè parata eſſet, non parùm in vita ſpirituali impedirent. Igitur circa delitias hujuscemodi obſervandum, ne propterea ſolùm DEO inſerviatur, aut in earum abſentia noſtrum obſequium derelinquatur.

Tertium lactationis genus continet inordinatum appetitum ad immortalia bona: qua ratione S. Petrus in monte Thabor tria erecta cupiebat tabernacula, cùm clarificatum Chriſtum Moyſem inter & Eliam cerneret, Paterna de cœlo voce, & mirifica frueretur viſione. In hoc reponuntur ordine, qui inſolitas gratias, & viſiones appetunt, atque, dum quadam magis ſenſibilis devotionis ſuavitate afficiuntur, aut clariori à Numine colluſtrantur myſterii cœleſtis lumine, rapi ſtatim in cœlum peroptant, aut cum S. Paulo mox diſſolvi cupiunt, & eſſe cum Chriſto. In his itaque ſpiritualem non conſiſtere profectum, evidens eſt; cùm & Dæmon id genus ſenſibiles viſiones, & varios in anima motus cauſare, quin in elationem, & ſucceſſivè in peccata alia per talia oblectamenta trahere valeat. Proficere volens ergò ſolidô aſſueſcere cibô debet, & proprium commodum extinguere, Deóque inter bona & mala, inter proſpera & adverſa fidelem exhibere ſervitutem. In his igitur Prudentiâ opus eſt. Quare.

Cognoſcenda à prudenti, & 209
diſtinguenda eſt vera & ficta conſolatio; Dæmon enim ad mala inducit, & in teporem ſenſim conjicit illecebris veris, & falſis, quæ omnia deſolatio dicuntur propter finem. Patet hoc; quia ſæpè res bonæ relinquuntur propter metum honoris afferendi, vel damni inferendi, & econtra mala eliguntur. In bonis ſubinde latet fraus; v. g. inſtigatur quis ad Religionem eo fine, ut ſit vir doctus, & poſſit prodeſſe Ordini, & Eccleſiæ. At ſub hoc ſpecioſo titulo latent ſumma pericula, ſi homo in humilitate non fundetur. Non dubitat quidem talis de ſucceſſu, turget talentîs, & fructibûs bonorum operum. Quòd ſi talis non admittatur ad ſperatum officium, ſi negligatur à Superioribus, magíſque probetur, quæ amaritudo ſequitur? & hoc intendit Dæmon. Certè ficta deſolatio ferè vergit in aliquod bonum, & nihil eſt aliud, quàm derelictio quædam, & ſubtractio auxiliorum gratuitorum vel abundantium. Unde, dum homo ſolîs neceſſariîs præſidiîs natare cogitur, angitur, & conſternitur, & ſæpe deſperat, ſibíque ſuggeſtium illud à ſuperba perſuaſione occinit, *Job 2. Benedic DEO. & morere.* Prudens verò inde ſtimulatur ad opera ſanctiora; ad hæc enim tribulationes incitant ex natura

tura ſua, ſcilicet ad placandum DEUM, ad ſatisfaciendum pro peccatis, ad victoriam ſui, & conſtantiam, & favores cœleſtes acquirendos. Pro deſolatione etiam conſolatio ficta habenda eſt; e. g. qui de moliori bono ſe ad minus confert, nempe ex melancholia, ex mobilitate ingenii ſui, ex tepore, & propriis apprehenſionibus; tales enim ſe ipſos dirigentes decipiuntur planè, etiam ſub ſpecie boni, à Dæmone. Huic malo Prudentiâ ſpirituali occurrendum eſt, &, ut ſæpiùs jam dixi, non cuilibet ſpiritui credendum, ſed inter veras & bonas, inter fictas & falſas conſolationes diſtinguendum.

210 Cognoſcenda porrò, & diſtinguenda eſt vera, & ficta conſolatio. Conſolatio vera ſine ambagibus rem proponit: ficta autem involucrîs variîs eam recondit, & non niſi obſcurè repræſentat. 2. vera liberum ulteriùs cogitandi, conſulendíque ſpatium relinquit: contra ficta inquieta eſt, homini & ſuæ naturæ diffidit, unde impatiens eſt dilationis. 3. Conſolatio vera facilè placat, & mediocri conatu contenta eſt: ficta verò vult frangere vires. 4. vera conſolatio à terrenis avocat, & à ſæcularibus: Sathanas verò ad negotia mundana trahit, & caro cum mundo, quia *de terra eſt, de terra loquitur*; ut dicitur *Joan.* 3. *v.* 31. Poteſt hic utiliter legi Thomas Kempenſis *l.* 3. *de imitatione Chriſti c.* 54. ubi agit de diverſis motibus naturæ & gratiæ. Poſſunt etiam videri illa, quæ dedi de diſtractionibus & illuſionibus diabolicis in modo meditandi.

Conſolatio autem eſt quædam delectatio mentis, robur, & ſuavitas, quæ in S. Scriptura dicitur unctio, qua anima ungitur, roboratur, & alacris fit ad tentationes vitandas: econtra deſolatio eſt commotio, ſeu avocatio à bono per terrores, & triſtitiam, per tædia, amaritudines, & ſimiles moleſtias; hinc optima fiunt tædioſa, & pernicioſa appetuntur: & hìc opus eſt victoriâ ſui. Deſolatio inſtar nebulæ faſcinat oculos, ut homo non bene poſſit diſcernere inter bonum virtutis apparens, & verum. Talis igitur ita deſolatus, ſeu diabolica fraude perplexus, honeſtè ſe occupare debet, v. g. orare, legere, cum Patre Spirituali colloqui (prout deſuper regulas dedimus n. 34. & 35. cap. 1,) aliáque pietatis exercere opera. Nunquam in deſolationibus locus detur tædio vel tepiditati, tum quia non nimìs diu durant; tum quia officia, in hac animi cruce DEO præſtita, ſunt gratiora propter vim victoriæ, majúſque inde aquiritur meritum. Delicatus enim eſt miles, qui ſolo vult melle & lacte vivere.

Digitized by Google

211 Bonæ inſpirationes non differunt à conſolatione; veniunt enim à Spiritu S. & animam ſubinde invadunt, quaſi ros prata, ſenſu placito, vel quaſi ſomnus corpus, unde lætitia ſentitur. Conſolatio ſubinde *ſolam voluntatem* afficit impellendo ad agendum, vel omittendum aliquid; ſubinde *intellectum* ad luminis modum in cubiculo; ſubinde ſolam *memoriam* repræſentando oblitterata. Hinc exoritur robur, fervor, facilitas, & optimi fructus paradyſi; & vocantur conſolationes: quòd ſi ſine inſtinctu ad aliquid definitè agendum venerint, erunt inſtar viſitationis familiaris, ut vires hominis inſtaurent, atque confirment, ſicque homo inde comedat fructus adinventionum. Hæc unà cum aliis expendit P. Hugo Roth in ſua Via Regia.

212 Gradus Spiritualis prudentiæ eſt *major purificatio conſcientiæ*; & hæc acquiritur bonis inſpirationibus obſequendo, humanos reſpectus abjiciendo, progreſſum faciendo in virtutibus; quòd enim ſpiritualis prudentia intellectum mirificè illuminet, & exin voluntatem efficaciùs moveat ad amplectendum perſpicaciùs cognitum bonum, certum eſt: ex quibus reſultat ſerenatio conſcientiæ, atque adeò oritur purificatio illius.

213 Tandem *deliberatio* virtutis hujus gradus ponitur. Debemus autem deliberare circa bonum & malum, & etiam circa majus vel minus bonum humanæ actionis, rei, vel objecti præſentis. Fiat autem imprimis ejusmodi deliberatio, ad conſilium Patris Spiritualis, vel alterius ſatis docti Religioſi confugiendo: ſi verò ad illos recurſus non detur, aut copia non adſit librorum (qui etiam ad prudentem pertinent deliberationem, ac propterea in dubio bene conſuli poſſunt) proprio Marte contra dubium ingeſtum erit certandum. Ut deliberatio prudens in actionibus quotidianis ritè & juxta regulas prudentiæ inſtituatur, ſequentia obſerves.

1. Lumen à DEO pete. 2. Inquire, an obligatio in re ſit deliberata. 3. Si res eſt libera, reſpicienda eſt nihilominus mens Superioris, & Ordinis bonum. 4. Si conjectura Superioris non adſit, defigatur in beneplacitum DEI & Sanctorum. 5. Incommoda penſanda ſunt, auxilia, difficultates &c. 6. Item commoda vel incommoda in re deliberanda propone per preces DEO, commenda ſanctis Patronis, & pete inſpirationem, illud S. P. N. repetendo: *Domine jube, quod vis, & da, quod jubes.* Ita agendum eſt in praxi virtutum, in examine particulari, in miniſteriis erga proximum, in ſolicitatione beneficii à Superiore, & in occaſionibus juſtè

juſtè conquerendi quidpiam coram iis &c. mens autem debet potiſſimùm eſſe libera, & quieta ſecundùm prudentiſſimi conſilium Eccleſ. 2. *ne feſtines in tempore obductionis.*

§. II.
Aliæ recenſentur perfectiones ſpiritualis Prudentiæ.

214 PErfectiones ulteriores prudentiæ ſpiritualis habentur, & ſunt remedia contra tentationes, cognitio luctæ carnis cum ſpiritu, ambulatio cum DEO, Theologia myſtica.

Circa primam obſervandum eſt, quòd *remedia contra vitia* propria eſſe debeant, id eſt, aptiora tollendo malo, & diſpoſitioni (ſive complexioni) hominis magìs convenientia. 2. malo præſenti, velut antidotum toxico, directè ſint oppoſita. Inſuper occaſionem relapſui præſcindant, & immediatè vitium conterant, & conſumant: ſicut Moyſes vitulum combuſſit, & contrivit usque ad pulverem: *Exodi* 23. 3. Talia ſint, quorum æger, ſeu ſubjectum ſit capax: hinc remedia ex infima perfectione petenda ſunt, donec vires ſuccreſcant. Idem eſt de remediis reſpectu virtutum, ut ſcilicet ſint propria ex extrinſeca bonitate rei petita; hæc enim dat efficaciam multò meliùs, quàm vehementia actûs, vel fervor, vel victoria ſui. Intrinſeca autem bonitas eſt intenſio gradûs, præſtantia operis, glorificatio DEI. Quidam, dum in oratione ſunt, recurrunt ad pœnitentias, & orationem; & bene; meliùs tamen foret, videre ſubinde tribulationis cauſas vel in ſe vel in aliis, & poſtmodùm corrigere: quibus ſuccedat oratio & pœnitentia, quæ ſunt correctionis inſtrumenta; ut in ſimili habemus Paralip. 22. in Rege Joſaphat.

Altera perfectio continet luctam carnis & Spiritûs: quæ quadruplex eſt. 1.ma eſt inter *actiones naturales*; anima enim habet ſuas facultates, quibûs procurat, quæ ſui ſunt fori, ſcilicet incolumitatem, operationes, & delectationes ſibi convenientes: corpus econtra etiam habet ſuas potentias & ſenſus, quibûs ſibi procurat comoda, & inimica propellit. Hæc duo poſt peccatum originale ſibi invicem adverſantur; *caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum; Spiritus autem adversùs carnem: ad Gal. 5. v.* 17. Ut autem in hac lucta una pars triumphet, eique ſatisfiat, debet altera relinquere propria commoda, & alteri ſuperiori ſe ſubdere. Quia verò convenit, ut pars vilior nobiliori, ancilla Dominæ, caro nempe Spiritui cedat, 215 abſti-

Digitized by Google

abſtinendum eſt maximè à carnalibus deſideriis, & inferior hominis appetitus continuò eſt coercendus; niſi æquales brutis eſſe velimus: naturaliter enim caro adversùs ſuperiorem appetitum militat, ejus rationes in ſuam trahere cupiditatem nititur; & juſtificare, ut hôc modô excæcet. In hac pugna ergo opus eſt violentiâ, qua ſuperfluæ cupiditates ac deſideria amputentur: ad hoc autem efficax gratia DEI requiritur; nam, ut quis *liberetur de corpore mortis hujus, gratia DEI per JEſum Chriſtum*, teſte Apoſtolo ad *Rom.* 7. adſit.

Secunda lucta eſt *in actionibus moralibus* conformandis tam legi naturali, quàm ſcriptæ: unde actiones moraliter eſſe malas & *peccatum, non cognovit* Apoſtol[9] *Rom.* 7. *niſi per legem*, contra quam agit malè operans: cùm ergò rebellis caro *legi DEI non eſt ſubjecta*, ut idem *Rom.* 8. *v.* 7. deplorat, oritur contra Spiritum moralis pugna. Sunt autem quatuor, quæ nos excitant ad obſervationem Legum. 1. Cognitio recti & ſani: atque hæc eſt peritia ſe corrigendi. 2. Deformitas, & ſcandalum apud rudiores ex neglectu legum: unde viri ſpirituales alios malè corrigunt, dum ipſimet dignoſcuntur graviter delinquentes; cùm tamen deberent *curam omnem ſubinferrentes miniſtrare in fide ſua virtutem, in virtute autem ſcientiam, patientiam, pietatem, & charitatem*; uti monet S. Petrus 2. *Ep.* 1. 3. Malum ſervitutis, quod caro incurrit juxta illud *Rom.* 6. *v.* 16. *quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis.* 4. Major animæ coinquinatio, quæ ſequitur cognitionem Legis, & *poſteriora ſunt deteriora prioribus*; 2. *Petri* 2. *v.* 20.

Tertia lucta eſt inter *cæleſtia & terrena*: ſunt námque, uti lacrymis conqueritur Apoſtolus ad *Philip.* 3. *v.* 18. quidam inimici crucis Chriſti, qui terrena ſapiunt; quorundam verò converſatio in cœlis eſt. Impia hæc rebellio eſt, ad quam vincendam non ſufficit, non peccare, & nihil indecens agere; ſed etiam requiritur, ædificare ſuper ſolido fundamento, quod non ſubſiſtet ſine perpetua terrenorum, v. g. opum, honorum, voluptatis, propriæ exiſtimationis, famæ, & amoris proprii abnegatione: ſpirituale ædificium enim corruet, ſi à latere carnale, ac terrennum exſurgat.

Quarta lucta eſt *inter ſenſum humanum, & cæleſtem.* Talis fuit S. Petri, dum Chriſtus paſſionem & mortem ſuam diſcipulis prædixiſſet, optimo Magiſtro tantam ignominiam iſthoc modo diſſuadentis: *abſit à te Domine*; *non erit tibi hoc*: quare ob hunc ſenſum humanum debuit meritò gravem audire reprehenſionem: *vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi*: *quia*

Digitized by Google

quia non ſapis ea, quæ DEI ſunt, ſed ea quæ hominum; *Math.* 16. *v.* 22. Similiter S. Paulus Corinthios ſuos increpavit: *nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* 1. *Cor.* 3. *v.* 3. Prædixit porro, ac deſcripſit graphicè humano ſolùm ſenſu viventes: *erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi &c.* 2. *ad Timoth.* 3. atqui hi bona etiam ſpiritualia in ſuum trahunt commodum, humano nimìs abrepti ſenſu, & ſpirituali corrupti mente. Secus filii DEI, cœleſtem aſſecuti ſenſum, pro æterna Numinis gloria fructificant, & *perfecti ſunt ad omne opus bonum inſtructi*; ut in fine *c.* 3. exoptat Apoſtolus.

216 Locum tertium inter perfectiones ſpiritualis prudentiæ obtinet *ambulatio in Spiritu*: per quam intelliguntur deſideria, & opera ſpiritûs: *qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt*; *qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt Spiritûs, ſentiunt*: *Rom.* 8. quibus omnino cupit Apoſtolus, ut *non ſecundùm carnem ambulemus, ſed ſecundùm Spiritum.* Ita ſecundùm ſpiritum ambulaverunt cum DEO Enoch, & Noe; *Geneſ.* 5. Abraham; *Geneſ.* 17. aliíque Patres antiqui &c. Ita in novo teſtamento hujus ambulationis fit mentio *Joan.* 11. *v.* 9. *ſi quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* De hac luce ipſa veritas æterna, illuminans omnem hominem, variis in locis teſtatur, præſertim *Joan.* 1. 3. & 8. *ego ſum lux mundi*: ac 12. *ambulate, dum lucem habetis.* Significatur ergò per iſtam in ſpiritu ambulationem excellentior quidam radius lucis, ſeu veritatis cœleſtis, ad quam actiones formantur noſtræ: quo fit, ut inſpirationibus Divinis perfectiſſimè obſequamur. Ad hanc dein lucem ſuccedit major præ aliis creaturis conjunctio cum DEO; & ita ſequitur perfecta cum amantiſſimo Numine in ſpiritu ambulatio. Ut verò cognoſcatur iſta, ſequentia traduntur ſigna, ex quibus judicare quis poterit, num in ſe habeat expreſſam hanc Prudentiæ ſpiritualis perfectionem. Hujus igitur ſignum

1. Eſt familiaritas cum DEO per frequentem orationem; *multum enim valet juſti deprecatio aſſidua*; *Jac.* 5. *v.* 16. Sic & Apoſtolus obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones vult inſtitui &c. Eadem familiaritas poteſt haberi per jugem memoriam DEI: *confitemini memoriæ ſanctitatis ejus*; *pſal.* 29. & iterum: *Sancti gaudentes DEI memoria*; *Baruch* 4.

2. Solicitudo in rebus ad DEUM ſpectantibus: ſic requirit Dominus *facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum DEO tuo*; *Mich.* 6. nam *maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*; *Jerem.* 48. *v.* 10.

Digitized by Google

3. Beneplacitum DEI quærere in omnibus; uti monet Apoſtolus *Rom.* 12. *reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Et *Epheſ* 5. *ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate, probantes, quid ſit beneplacitum DEO.*

4. DEO unicè adhærere; ut anima dicere valeat: *ille mihi, & ego illi*; *Cant.* & *pſal.* 62. *adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua:* atque hiſce circumſcripta *ambulatio in ſpiritu* ingentis planè perfectionis, & ſpiritualis profectûs indicium eſt.

217 Quarta perfectio ſpiritualis prudentiæ eſt *Theologia Myſtica*; quæ alio etiam nomine appellatur *Scientia Aſcetica:* & hæc ſpiritualia tantùm curat, & mores fidelium format; quam vim formandi habet ſenſus myſticus S. Scripturæ; latent enim arcana ſub Literis S. ſenſa. S. Bonaventura definit Theologiam Myſticam, *cognitionem & affectionem ſimul hominis in Divinum amorem traducendam*: unde hæc ſcientia principaliter non conſiſtit in intellectu, ſed potiùs ſpectat ad voluntatem, quam ad varios movet affectus, qui ortum ſuum trahunt ex commercio cum DEO & Sanctis ejus. Verſatur etiam ſcientia iſta occultâ quadam viâ in præparatione animarum ad ſupremum perfectionis ſtatum per illuſtrationes mentis, per contemplationes rerum cœleſtium, & guſtus ſpirituales. Theologia hæc *Theorico-practica* in fronte hujus Tractatûs à nobis nomen habet, eoquod intellectus cœleſtium veritatum contemplatione priùs occupetur; in qua tamen non ſiſtit, ſed etiam ulteriùs ad motiones voluntatis dirigit: quod finis eſt principalis hujus ſcientiæ. Hinc Doctorem ſuum habet immediatè Spiritum Sanctum. 2. Cœleſtibus characteribus per impreſſiones illuſtrationum & affectionum in corde hominis inſcribitur. 3. Explet omnem hominis appetitum, ac à terrenis removet. 4. Illiterati etiam illius ſunt capaces. 5. Diſcitur experimento magìs, quàm diſputando, magìs ſe humiliando, DEI inſpirationibus obſequendo, actus amoris frequentando, quàm altas veritates ſpeculando. Nam 6. per ſcientiam iſtam mens tota effunditur in DEUM, quia ad eam docendam promptus eſt, potens & efficax, atque per vulgaria facit inceſſum ad ſelectiora. Hæc Reverendiſſimus Udalricus.

Quàm bellè convenient tradita hucusque principia ſpiritualis prudentiæ cum doctrina profundiſſima Patriarchæ beatiſſimi Veneti, perſpicuum eſt ex quatuor perfectionis regulis, quas vir ſanctus in ligno vitæ 6. capitibus comprehendit. Nos ex c. 6. hæc tantùm pro complemento depromimus. 218

Qua-

Digitized by Google

Quadruplex debet eſſe viri prudentis ordinatio.

Prima eſt *conſiderationis*: nam conſideratio eſt, quæ confuſa diſcernit, ſparſa colligit, occulta rimatur, verum inveſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc ſiquidem eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, & in adverſis proſpera præſentit. Redi igitur per conſiderationem ad cor tuum, quiſquis es, qui ſapientiam & prudentiam cupis adipiſci. Diſcute aſſiduè te ipſum, conſidera, unde venis, quò vadis, quô modô vivis, quantùm quotidiè proficis, quantùm deficis, quibûs cogitationibûs magis incurſaris, qualibûs affectibûs frequentiùs tangeris, vel quibûs tentationum machinis à maligno ſpiritu acriùs impugnaris: quia eò certiùs & citiùs ad culmen prudentiæ proficies, quò ſtatum interioris hominis conſiderando pleniùs cognoſces.

Secunda ordinatio eſt *affectionis*. Sapientia eſt DEUS, & vult non ſolùm dulciter amari, ſed & prudenter; alioquin zelô ſuô ſpiritus illudet erroris negligentem ſcientiam charitatis: non enim habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam dilectionem, quàm efficere valeat, ut incautè, & non cum judicio diſcretionis ambuletur.

Tertia eſt ordinatio *negotiorum* ſecundùm diverſitates temporum. Prout enim veræ prudentiæ competit, quadam regulâ diſtribuenda ſunt tam ſpiritualia, quàm corporalia exercitia; cui ſpiritualia, ſpiritualia; cui temporalia, temporalia. In quibus ſic exſolvat omne debitum ſpiritus DEO, corpus ſpiritui; ut ſi quid fuerit intermiſſum, ſi quid neglectum, ſi quid imperfectum, ſuô locô, ſuo tempore, ſuô modô non tranſeat impunitum, vel irrecompenſatum. Hoc tamen ſciendum, & tenaciter annitendum eſt, quòd extra quotidianum ſacrificium, vel lectionis ſtudium, aut corporale exercitium conſcientiæ, diſcuſſioni, emendationi, compoſitioni pars ſua diei neganda non eſt.

Quarta ordinatio eſt *ad ſpiritualem pugnam*. Circa quam animadvertendum eſt, quòd virtus atque diſcretio animæ præparantis ſe ad pugnam debet eſſe ad certamina ſibi competentia; quia quodlibet certamen faciliter exuperat, qui mentem certamini ante certamen parat. Quapropter, qui pacem, quæ de prælii triumpho provenit, deſiderat, ante bellum ſe præparet. Qui victoriam cupit, pericula conſideret diligenter; & qui proſperos optat eventus, dimicet arte, non caſu, prudentiâ animi, non robore corporis: quoniam fit ſæpiuſculè, ut, qui imprudenter ſe exponunt in aciem, non de victoria, ſed de fuga cogitent.

tent. Nemo etenim provocare, nullus audet offendere, quem intelligit prudentiorem, ſuperiorémque ſe, ſi pugnet. Nam anima virtutibûs fulta, & prudentiâ decorata inimicis ſuis *terribilis* eſt *ut caſtrorum acies ordinata*; quæ etſi aliquando concuti poteſt, nunquam tamen vinci poteſt. Hæc ſunt, in quibus ordinata mens ad culmen provehitur prudentiæ.

ORNAMENTUM AUREUM.

O*Rnamentum aureum prudenti doctrinam* eſſe, *& quaſi brachiale in brachio dextero*, prudentiſſimus Sirach *c. 21. v. 24.* peraccommoda ſimilitudine aſſeruit. Sicut enim aurea veſtis humanum exornat corpus, ita docta prudentia & prudens doctrina animam inſtar ornamenti aurei, ejusque potentias inſtar monilis ac torquis aurei condecorat. Aurea ſapientia eſt ſpiritûs prudentia, *quæ non inferiora ſectatur, ſed ſuperiora eligit*, ſapientiſſimi Africæ Doctoris teſtimonio *L. propoſ. in Epiſt. ad Rom. p. 49.* : & *L. 83. quæſt. q. 31.* „prudentia eſt rerum bonarum, & „malarum, & neutrarum ſcientia; „partes ejus memoria, intelligen„tia, providentia: *memoria* eſt, „per quam animus repetit illa, quæ „fuerunt: *intelligentia*, per quam „ea reſpicit, quæ ſunt: *providen„tia*, per quam futurum aliquid „videtur, antequam factum eſt.

Stupendam hanc orbi prudentiam palam fecit, mole quidem ſua exiguus, aſt fructu ingens & ſpiritu maximus, planè aureus libellus de imitatione Chriſti, qui ſublimi ac facili, quam continet, doctrinâ omnes ſæculi aſtutias ſuperat, politicas ſtatuum mundanorum rationes, veluti lucidiſſimus ſolis radius obſcuras diſpellit tenebras, & filios ſuæ lucis filiis hujus ſæculi longè prudentiores efficit. Auctorem non jam aurei, ſed cœleſtis operis hujus ſi inquiras, non alium, niſi immenſam Sapientiam ejúsque ingenitum Spiritum Sanctum aſſignare licet, qui cœleſtis prudentiæ documenta digitô DEI inſcripſit cordi religioſiſſimi, & piiſſimi viri Thomæ à Kempis, prout centenis doctiſſimorum, nec alio, quàm impartiali veritatis ſtudio conductorum, magnáque authoritate pollentium virorum teſtimoniis ita ſolidè fuit demonſtratum, ut jam maxima Orbis pars, exceptis paucis, poſt Thomam abeat; adeoque ſupervacaneum ſit quidquam addere lucis hujus radiis: idque efficacibus argumentis in ſupplici libello ad SS. Innocentium XI. pro faciendo proceſſu in ordine ad publicam Thomæ canonizationem,

& ad

Digitized by Google

& ad Sereniſſimum ac Reverendiſſimum Maximilianum Henricum Archi-Epiſcopum & Electorem Colonienſem pro elevationis illius auſpiciis deduxit A. R. & Clariſſimus D. Henricus Brevver SS. Theolog. Licentiatus, Hiſtoriographus Cæſareus, anno 1681. in Lib. Coloniæ impreſſo; quò Lectorem remittimus. Quidquid hac ſuper re ſit, vitam venerabilis Thomæ compendioſô calamô damus, ne ea à doctrina, ſuis in libris comprehenſa, videatur aliena.

Igitur natus fuit Thomas Joanne Malleolo & Gertrude parentibus Anno 1379. vel, ut aliis placet, A. Virginei partus 1380. in oppido Kempenſi Diœceſis Colonienſis. Studiis inferioribus incubuit Daventriæ in domo Clericorum in communi viventium, ob ingenii felicitatem morúmque elegantiam multùm amabilis D. Florentio ſcholæ præfecto, aliiſque collegiis. Subinde verò inſpiratione Divina ad ſtatum Religioſum avocatus Ordinis noſtri domicilium propè Zwollas S. Agneti ſacrum Anno 1400. intravit. Ubi poſt 5. annos tyrocinium, & habitum religioſum induit, ac ſequenti anno ſolemnia vota nuncupavit. Emicuit imprimis egregia in DEUM pietate, erga Superiores obedientia, ac in confratres charitate. Otio malorum omnium fonti adeò obſtruxit fores, ut vel S. libris legendis, vel pro communi uſu ſcribendis continuam locaverit operam, atque potiſſimùm concubia nocte, peractô matutinarum horarum penſô, meditationibus ſacris vacaverit, & inſpirationibus divinitùs acceptis calamum arripuerit.

A puero Deiparentis cultui addictiſſimus, ei quotidie ſtatas preces perſolvere ſolebat; à quibus cùm aliquando remiſiſſet, ſive eas penitus omittendo, ſive exercendo languidiùs, B. Virgo in ſomnis ei ſe oſtendit, velut omnibus aliis Canonicis bene precaretur; quod benevolentiæ ſignum cum & ipſe ſperaret ſibi ordine à Deipara præſtandum, longè aliud fuit expertus; nam Thomæ viſa iraſci, eúmque averſari, torporem illi exprobrabat, ſeveris verbîs cohortata, ut deinceps majori ſe ſtudio coleret: quæ Virginis objurgatio veternum ei excuſſit, ut ad virtutis & ſanctimoniæ cultum incitatior magnos progreſſus faceret. In choro & in Eccleſia dictu difficile, quo reverenti animo Eccleſiaſtica munia obierit; dum pſalleret, vultu ſemper in cœlum ſublato, ſacrô enthuſiaſmô afflatus, dulcedine nimirùm pſalmorum captus, & extra ſe raptus videbatur, adeò quidem, ut nonnunquam calcibûs non terræ hærere infixus, ſed ſummitate duntaxat pedum illam contingens, reliquo corpore quaſi in cœlum ſubvolare, ubi animô & deſideriô verſabatur, fuerit conſpectus. Ingredientium oratorium die no-

Digitized by Google

ctúque primus, egredientium verò ſemper poſtremus erat; ſermo illius omnis de DEO & ſacris litteris. In corona gravium virorum, ſi ipſo præſente forenſia aut ſæcularia tractarentur, muti inſtar ac ignari rerum, de quibus agebatur, aſſedit: verum ſi de DEO, rebúsque cœleſtibus miſceretur ſermo, mox rogatus ſententiam ſuam, ceu limpidiſſimus fons, perpetuîs verborum rivulîs ſcaturiens, loquebatur. Ea dicendi facultate facilitatéque pollebat, ut ſæpiùs ex urbibus locíſque remotioribus plurimi homines certatim ad montem S. Agnetis ipſum audiendi gratiâ confluxerint. Tanta erat in eo terrenarum rerum deſpicientia, ut, præter Divina, fluxa omnia nihilque ad ſe pertinentia, adeò negligeret, ut & illorum appellationes uſúmque addiſcere gravaretur: non minima Concanonicos ſuos cœpit admiratio, cùm illius in adverſis rebus lætè perferendis tolerantiam, in omni vita ſobrietatem, pudicitiam, ſedulitatem, in provehendis ſodalium ſuorum commodis, in templi procurando cultu impenſum ſtudium, in precibus non minùs flagrantiam, quàm frequentem lachrymarum profuſionem, & reliquas ſolidæ pietatis teſtatiſſima indicia conſiderarent. Certîs in hebdomade diebûs pro more flagellîs corpus cædere conſuevit, perſolutô interim hymnô illô, cujus initium, *Stetit JESUS.* Sacræ lectionis, cellæque ita amans fuit, ut ſymbolum hoc crebriùs ore proferret, libríſque ſuis inſcriberet: in omnibus requiem quæſivi, & non inveni, niſi in angello cum libello. Amore contemplationis rerum cœleſtium, conſcribendorúmque piorum opuſculorum ab officio P. Procuratoris, ut vocant, abſolvi poſtulans, priori muneri, Sub-Prioratûs ſcilicet, reſtitutus fuit. Accidebat ſæpius, ut, cùm inter Concanonicos verſaretur, ac cum illis colloqueretur, intùs ſe DEUM alloquentem manifeſtè ſentiens, modeſtè petitâ licentiâ, quaſi quiſpiam conventum ejus expeteret, diſcederet in cubiculum; ubi cor ſuum effundens hauriebat ſapientiam illam, quam in pientiſſimis ejusdem libellis omnes admirantur. Hinc frequens diſcipulorum numerus ejus ſtipabat cubiculum, ut ſuaviſſimis illius moribus alloquióque frui poſſent; nec unusquiſpiam acceſſit, quin doctior aut magìs pius inde rediret. Dignatus eſt frequenter DEUS Thomam noſtrum cœleſtibús oſtentîs; dum enim officii, aut negotiorum causâ ad Reverendiſſimum D. Joannem Vos Priorem Windeshemenſem, ægrè lecto decumbentem, inviſendum, deque quibusdam ordinis negotiis conſulendum abiſſet, vidit ſub matutinum crepuſculum Beatorum agmina coruſcare, ac concurrere, veluti ad magni cujusdam viri funus comi-

comitandum, cœlóque animam illius inferendam properarent: nec fefellit viſio, cùm & aurium judicium accederet; nam tabulæ ſonitu excitatus è lecto deſiliit: inde futurorum præſagus mortem Prioris Windeshemenſis prædixit. Dæmonum terriculamenta experientiâ doctus flocci fecit: cùm enim aliquando Dæmon deterrimâ, horrendáque facie eum circumſtetiſſet, lectóque appropinquare conaretur, contremuit primò ad larvalem intuitum, & quid contra tam horrendi hoſtis inſidias auxilii ſumeret, ignoravit: tandem Divino ſpiritu inſtigatus angelicam cæpit ſalutationem tremula voce (ùt timentibus ferè evenit) quàm optimè potuit, perſonare: verùm Diabolus, quaſi nihil ad hæc Angeli Gabrielis verba motus, magìs magíſque trepido cœpit approximare, quousque in ſalutatione prædicta ad ſuaviſſimum nomen JESUS pervenit; quô auditô Dæmon quaſi horrendo quodam tonitruo tactus confeſtim aufugit. Beata morte clauſit vitam An. 1471. 8. cal. Aug. ætatis 92. Religionis 71. Ejus ſacra oſſa cineréſque An. 1672. cùm Elector & Archi-Epiſcopus Maximilianus è manibus Acatholicorum Swollas eriperet, inventa propè chorum vaſtatæ Eccleſiæ, per Commiſſarios Electorales in tumbam fuerunt decenter repoſita An. 1674. Inſcriptiones ſepulchrales, Epitaphia eidem erecta, pietatem, & ingenii fœcunditatem referentia, c. 11. exhibet præfatus Hiſtoriographus; ubi hiſce fixit præter alia:

Religioſe,

Hinc, à Thoma, fari diſce, niſi infans haberi velis.

Erubeſce absque Thomæa loqui ſententia.

Bonitatem, ſcientiam, & diſciplinam docet Salomon hic Chriſtianus.

Sic verò inſpice, lege, elige, dilige, ut via concordet ſcientiæ,

Ectypon horum præceptorum: & vives.

Jungimus huic aliud è patria noſtra deſumptum ſpiritualis Prudentiæ exemplar, brevem nempe vitæ periodum Reverendiſſimi Ambroſii Sumperer Præpoſiti p. m. Augienſis in Bavaria Archidiœceſis Salisburgenſis. Is annos vix quindecim natus Ordinis noſtri Collegium celeberrimum Dieſſenſe, ad lacum Ambronem ſitum in Superiori Bojaria, intravit, ac fundamenta Religioſæ vitæ per duas ferè annos laudabiliſſimè jecit, tantáque morum innocentiâ Tyrocinium explevit, ut magnus jam tunc Religionis Canonicæ decor haberetur, præſagiúmque eſſet ſecuturæ dignitatis. Videbatur omnibus tum Superioribus tum inferioribus, Ambroſium neſciiſſe potiùs mundum, quàm reliquiſſe, quòd in ſingulis virtutibus tenerrimus reluceret animus. Ultra viginti

Digitized by Google

ginti ferè annos in tribus Canoniis digniſſimum planè Decanum, & Religioſiſſimum Tyronum Magiſtrum mirabili ubique conſequentiâ virtutum Religioſarum egit. Longâ experientiâ edoctus Novellorum animas dirigere, & in ſpiritu ad Canonicæ vitæ finem aptiſſimè promovere ſciebat, tanta præditus dexteritate, ut quibusvis deſperatis in tempore medicinam ſalutarem afferre, & conſcientias diabolicîs irretitas fraudibûs facili poſſet negotio in ordinem redigere. Expertus id fuit ſalutis ſuæ bonô Novitius ille, in maximo hujus deperdendæ periculo conſtitutus, qui in ſæculo nequiſſimo angelo mancipium ſe fore perpetuum ſubſcripſit: pro eo ergò, cùm ſervitutem diabolicam in filiorum DEI libertatem commutâſſet, Religioſam & Canonicam aſſumendo veſtem, cum larvato Venatore generosè decertavit imperterritus Magiſter Ambroſius adeò, ut ſyngrapham à Dæmone extorſerit. In Præpoſitum Augienſis Canoniæ ob merita ſua poſtulatus non minori ſpiritualis, quàm temporalis regiminis emolumento præfuit, vir certè tantus, cujus vita ſpeculum virtutum non immeritò cenſenda ſit. Solitudinis, & orationis amore bienniô ante obitum liberè claves, mitrámque per 18. annos geſtatam poſuit. Piiſſimè obiit An. 1652. ætatis 66. Religionis 50. Sacerdotii 42. in pervigilio B. Virginis natæ; cujus à puero ſummus extitit amator. *Ex Literis funeralibus, & Reverendiſſimo Crueber.*

Poſſemus hìc plurimos, & inter hos etiam Reverendiſſimum Udalricum Pyrſon, Præſulem noſtrum digniſſimum, & tam Scholaſticæ, quàm myſticæ Theologiæ Doctorem inſignem, annectere; ſed, ne folia ultra exigentiam dilatemus, ſucceſſivè illorum memores eſſe ſtatuimus.

ARTICULUS IX.

De Reliquis quibusdam virtutibus Religioſis.

SUMMARIUM.

219. *Aſſignatur cauſa, quare non de omnibus tractemus virtutibus, ſimulque explicatur virtus ſimplicitatis Religioſo propria.*

220. *Maturitas.*

221. *Liberalitas.*

222. *Vitæ compendium Venerab. Alberti de Altiſſimis.*

223. *Studioſitas docetur. In fine arbor virtutum exhibetur cum brevi explanatione Hugonis à S. Victore.*

Super-

Digitized by Google

219 SUperſunt quidem aliæ virtutes magni nominis, de quibus S. Th. 2.2. & cum eo Theologi Scholaſtici ac morales variè agunt; quia tamen Religioſo Novello non adeò ſcitu neceſſariæ habentur, cùm eas ſuo tempore in ſcholis ſit auditurus, brevì de aliquibus reſiduis tractabimus, poſtquam hucusque de præcipuis ſatis prolixè diſſeruimus. Cùm autem ſpirituali Prudentiæ in ſacris paginis *Math.* 10. *v.* 16. conjungatur *ſimplicitas*; *eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ &c.* de hac, veluti illius conſectaneâ, hæc pauca adnotamus.

220 MATURITAS eſt virtus, quæ tanquam gemma ornat Religioſum, eúmque reddit amabilem, & venerabilem. Hæc enim virtus excludit omnem levitatem, præcipitationem agendi, loquendi impetum, cachinnos, contentiones & æmulationes ſupprimit. Unde frivolum eſt dicere: eſt mea natura, non poſſum aliter &c. nam eſt ſignum indomitæ naturæ. Sed, inquis, ex Ariſtotele 2. Eth. *ea, quæ ex natura exiſtunt, aliter aſſueſieri non poſſunt.* Reſp. naturam ſumi dupliciter. 1. Pro ſubſtantia rei, vel proprietatibus neceſſariis, v. g. pro materia, & forma: & in hoc verum dicit Ariſtoteles. 2. Sumitur pro diſpoſitionibus, vel habitibus acquiſitis, inclinantibus hominem ad varias operationes, & paſſiones; quæ tamen non ſunt neceſſariæ diſpoſitiones ſpeciei quoad nativitatem; etiamſi quoad modum naturæ ſic inclinent: & in hoc ſenſu falſum eſt. Maturitatem Religioſam comitatur *diſcretio ſpiritûs*, ita ut cum timidis blandè, cum obſtinatis fortiter, cum frigidis fervidè, cum ardentibus bonô zelô religiosè & ſanctè, cum auſteris ſeverè agat. Confeſſarius præſertim virtutis hujus promptum habere exercitium ſtudeat.

Maturitatis porrò actus ſunt ſequentes, & omnium hominum, Religioſorum maximè, ſtatui convenientes.

1. Oblivíſci injurias, eásque DEO per ardentes preces offerre.
2. Injuriantibus ferre opem, parcere, ſubjici, quantùm per officium licet.
3. Cavere iram, mala prævidere, prudenter tolerare.
4. Molliter loqui irritantibus, ab omni vehementia abſtinere, ubi magna neceſſitas non urget &c.

LIBERALITAS juxta S. Thom. 2. 2. *q.* 117. & S. Aguſtinum ibidem, eſt *virtus, dum bene utimur his, quibus malè uti poſſumus, nempe rebus hujus mundi, conceſſis nobis ad ſuſtentationem vitæ.* Aſt de liberalitate hôc modô accepta hìc non agimus, ſed de liberalitate religioſa, qua quis ſe penitus ad bonum proximi impendit, Deóque libe- 221

liberali planè affectu ſe ſuáque tribuit. Hujuſcemodi acceptæ liberalitatis actus ſunt præcipui.

1. Tempus ſibi indultum proximi comodis accomodare.

2. Diem ſine utilitate proximi tranſactum dolere.

3. Tam temporali, quàm, & maximè ſpirituali auxilio egentibus alacriter ſubvenire.

4 Quibuslibet, cujuscunque ſtatûs ſint, præcipuè domeſticis & confratribus, exempla bonorum operum præbere.

5. Talenta ſua ſive ingenii, ſive gratiæ in alios libenter expendere.

6. Omnes juvare conſiliô, doctrinâ, ſolatiô, quocunque modo indigeant, præſertim puſillanimes, proclamatos, deſpectos, vel gravatos.

7. Sibi conceſſa etiam aliis concedere.

8. Temporalia bona pro honore DEI libenter expendere.

Quantùm virtutes modò deſcriptas in ſe expreſſerit eximius DEI ſervus Albertus de Altiſſimis, in Canonica S. Bartholomæi Eccleſia Vicentiæ Canonicus Regularis Congreg. Lateranenſis, ejus vitæ periodus exhibet, quam Reverendiſſimus D. Paulus Emilius Saracenus primùm italico idiomate, ac poſtea latino A. R. D. Dominicus Biſſelius ad S. Crucem Auguſtæ Vindel. Decanus digniſſimus palam orbi ſpectandam propoſuerunt. Natus eſt Albertus Anno S. 1547. Vicentiæ è familia *de Altiſſimis* nuncupatâ, Nobilitate generis, fortunæ bonis, & famoſis majorum ceris inclytâ, at Alberti virtutibus, & vitæ ſanctimonia illuſtriſſimâ. Patrem habuit Baptiſtam, qui è ſua conjuge Maria de familia *Padovani* tres ſuſcepit liberos, quorum natu minimus Albertus erat. Cum lacte materno chriſtianam pietatem, Deíque timorem eidem inſtillatum fuiſſe, innocentes puerulí mores ſatis indicabant; cùm à teneris coëtaneorum ſuorum ludos ſagaciter eluderet, & frequenter in templis ſacris diverteret; ubi Divinorum officiorum celebratione mirabiliter afficiebatur, ut videretur, devotum illius animum avelli non poſſe ab hac ſpirituali, quam ſentiebat, dulcedine. Evenit propterea perſæpe, ut horâ redeundi domum neglectâ, pia ejus Mater famulos amandare coacta fuerit, à quibus domum reduceretur Albertus. Interea optimus Juvenis, epilepſiâ correptus, ac frequenti caſu miſerè proſtratus, haud exiguam ſuis parentibus doloris materiam miniſtravit; ſibi verò tantæ erat afflictionis id genus morbi, ut in profuſas lacrymas eliqueſceret illius cor; dum morbi impedimento à Religionis, quam meditabatur, ingreſſu procul arcendum ſe prudenter judicabat. Quare Cœlitum Reginæ in arce urbi Vicentinæ

Digitized by Google

tinæ imminente, & eminente, ſummâ accolentium veneratione celeberrimæ, votô ſe obſtrinxit, ſi per ejus intereceſſionem ab immenſa Dei miſericordia deſideratam ab hoc malo liberationem impetraret, totum ſe in S. Religione per religioſa vota Deo conſecraturum fore. Votô vix emiſsô, ejus orationem Dei filio in Virginis ſanctiſſimæ gratiam fuiſſe probatam, effectus inde ſubſecutus oſtendit; ſiquidem è terra, quam : marîs humectârat lacrymîs, ſurgens, per omnia in corpore alleviatum ſe comperit, atque ad quævis officia idoneum. Ad hæc ſanctâ lætitiâ perfuſus cor omnis doloris ac mœroris expers ſentiebat; unde denuo nixus in genua clementiſſimo Deo, ac benigniſſimæ Deiparæ ardentiſſimas retulit gratias. Interea humanioribus literis, & muſicæ ſolertiſſimam navavit operam, quibus ſe ſe ad Religioſum ſtatum pararet: quem etiam 18. Cal. Octobris An. 1567. in Collegio Canonicorum S. Bartholomæi Vicentiæ fuit ingreſſus, nomine *Antonii Mariæ*, quod à ſacro fonte gerebat, in *Alberti* ſecundùm Congregationis leges commutato. In Tyrocinio variè à ſuis Magiſtris probata illius virtus ſemper fuit inventa velut aurum in igne. A ſuis Collegis junioribus per jocum, animíque causâ ſæpe traductus non tantùm iis non indignabatur, ſed potiùs ejuſmodi jocos, & ludibria, ceu ſingulares favores cælitus ſibi ſubmiſſos, excipiebat, haud aliter, quàm ſi à Divina Providentia admoneretur, ſupra humilitatem, ſuíque ipſius contemptum primum ſpiritualis ſui ædificii lapidem ponendum eſſe. Itaque tam abjectè ſubmiſſéque de ſe ſenſit, ut non ſolùm nulla ipſi moleſtia crearetur, quòd ab illis juvenibus ſua ſimplicitas derideretur; quin potiùs non ſine interno mentis jubilo tum his, tum aliis perlibenter anſam præbuerit, quatenus pro ſtulto haberetur; ut in conſpectu Dei ſapiens evaderet. Cautelam tamen prudentem adhibuit, ut ſupra hoc humilitatis fundamentum tale erigeret ædificium quod nullô inanis gloriæ ventô concuti poſſet. Tantum Candorem ſui animi Superioribus exhibuit, tantam obedientiam, & ad omnia promptitudinem, ut illos ad ſe magìs probandum, & exercendum pellexerit: hinc ad viliora opera, in Eccleſia & religioſa domo exercenda, amandatus labores duplicatos ſibi experiebatur: in quibus tamen infractus, & quaſi in delitiis quievit Alberti animus, ad Deum ſemper erectus, erga Superiores optimè affectus, erga alios promptus & amabilis, quos beneficio, ubi potuit, prævenire ſtuduit. Cùm à natura proprium in judicium propenſum ſe animadverteret, atque ab hoc irreparabile damnum ſuo tempore ſibi creari poſſe, optimè prævideret, ſummoperè laboravit initio Tyrocinij, ut à naturali vitio quantociùs ſe expedi-

pediret: inviolabile ergò propoſitum fecit, nequicquam, qnantumcunque ſecretum, ſanctum, ac licitum id eſſet, abſque judicio, & voluntate Magiſtri auſpicari: ubi præter ſingularem victoriam, de proprio judicio obtentam, ſuperbiam quoque omnem ſuperabat, nec non periculo cujusvis erroris comittendi ſe eximebat. Recreationis tempore ſuorum conſortio ſodalium nunquam ſe ſubduxit ad evitandam ſingularitatem, & maximè, ne videretur durus, difficilis, & obſtinatus: qui ſunt defectus, in quos facilè impingunt quidam imperfecti, vel ſuperbiæ cujusdam ſpiritu ducti, cùm vitia (ad quæ pronos ſe, & hinc occaſionem debere fugere nonnulli dicunt) non ſolitudine, ſed reſiſtentiâ vincantur. Ne proin eos contriſtaret, ſeſe cum illis exhilarabat: & quamvis intra ſe doleret ob temporis illius jacturam, animo nihilominus exultabat, & purâ in Deum intentione ferebatur. Graviſſimîs quoque à Diabolo ſuggeſtionibûs impetitus mirabili JEſu Chriſti ope victor evaſit: & ita exactô probationis annô ſolemnia emiſit vota, támque formidandus infernali hoſti poſt hæc fuit, ut viſibili forma aggredientes larvas diabolicas ſolô crucis ſignô ocyſſimè in orcum relegârit. Ob incomparabilem virtutem maturitatis, & animarum Zelum ad ſacerdotii dignitatem evectus, cùm primam Deo litaret hoſtiam, à Divina bonitate ſingularem adeptus fuit favorem, ut poſthac ſub tremendo Sacrificio ad initium Canonis totus quaſi immutari cæperit; poſt conſecrationem verò in aſpectu immaculati Agni, ſub S. Hoſtia abſconditi, præ reverentia planè reſolvi, ac liquefieri præ amore viſus fuerit. Plurimis etiam impetravit inſignia beneficia per devotiſſimam Sacrificii ſui oblationem; cùm Illuſtres quosdam in bello lethaliter vulneratos, & à Medicis jam deſperatos, ſanitati reſtituerit. Abhinc immenſa Alberti charitas, in tota vicinia civitatis Vicentinæ latè propagata, quorumque afflictorum fuit perſugium, mœrore oppreſſorum ſolatium, & infirmorum remedium, uti quibusdam demonſtrat teſtimoniîs, & allatîs exemplîs probat Auctor vitæ *L.* 2. *c.* 16. 17. & 18. Liberalitatis tantæ fuit in pauperes, ut in menſa ſibi ſubtraxerit de cibis, quos de Superiorum licentia egenis poſſet diſtribuere. Semel in defectu alterius auxilii novos calceos, primùm ab œconomo acceptos, egenti donavit: interrogatus autem, &, quòd non veteres dederit, increpatus, hoc memoratu dignum ſubjunxit reſponſum: *Minimè conveniens eſt, ut JEſu Chriſto donentur ea, quæ uſui non ampliùs ſunt apta; cùm tamen ab illo, quidquid boni in hac vita habemus, accipiamus, & inſuper futura in cælo bona exſpectemus. Mendicus ille JEſum Chriſtum repræſentavit, cui, quòd crepida attritæ prorſus eſſent inuti-*

inutiles, ipſi novas dedi. Quo reſponſo mitigatus œconomus majori in pretio Alberti virtutem habuit. Liberali adeò in pauperes exemplo multi divitiîs affluentes exciti largas in manus Alberti eleëmoſynas contulêre eô pactò, ut ipſemet illas pro ſuo libitu, & ſancta diſcretione in miſeros diſtribueret. Verùm diabolicas metuens inſidias Vir Dei, ut easdem declinaret, negotium hoc cum Superioribus contulit, qui eôdem approbatô benignam illi conceſſerunt licentiam, ut ejusmodi eleëmoſynas acceptaret, & ſecundùm piam offerentium intentionem diſpenſaret; uti plura continet *L.* 1. *c.* 13. *&* 14. Liberalitas hæc fuit Alberti in pauperes corporalis, majori tamen loco reponenda eſt liberalitas ſpiritualis; cùm enim in illo fornax charitatis ſemper arderet, deſiderio juvandi alios, cumprimìs autem Sacerdotes, Dei Miniſtros, & præſertim ſuæ Canoniæ, præter rigidas abſtinentias, vigilias, & continuas corporis ſui macerationes, ut linquam vix in verba laxare poſſet, voluit ſibi ipſi ſoli onus ad menſam legendi (omnibus cæteroqui commune) imponere; ídque quamdiu vixit. Magna quoque promptitudine ac modeſtia aliorum defectus excuſabat; ſe verò humilitatis ſtudiô iis ſcatere aſſerebat. Omnes honore & amore proſequebatur, ac in ſeipſo omnium infirmitates ſentiebat, continuas pro eorum ſalute preces effundens, quas ſingulis diebus largæ comitabantur lacrymæ. Eas porro ut redderet efficaciores pro peccatoribus vel mala conſuetudine detentis, vel perverſa voluntate obſtinatis, ſanguinem ex proprio corpore elicitum copiosè addidit, frequentiſſimè ingenti cum affectu, & alta voce ingeminans verſiculum illum ex Hymno S. Joan. Bapt. in ejus feſto: *Parce redemptis! parce redemptis!*

Poſt vitam tandem adeò ſanctè actam piiſſimè obiit Albertus An. 1618. ætatis ſuæ 71. 24. Januarij. Ubi animadvertit Reverendiſſimus Paulus Emilius, quòd eô ipsô momentô, quo Albertus è vivis exceſſit, omnes campanæ totius urbis junctim primum ad Veſperas Converſionis S. Pauli ſignum dederint, id quod nemini non mirum videbatur: ſiquidem antea nunquam ita ſimul pulſari auditæ fuerunt, uti eo die contigit; quippe quòd in hac civitate moris non ſit, ut, ſonantibûs Eccleſiæ Cathedralis campanîs, aliæ per urbem pulſentur. Ubi videtur vel ipſas campanas ad illius tranſitum, aut ejus natalem, ſive vitæ cœleſtis principium honorandum concurriſſe.

223 Studioſitas eſt virtus, quæ curioſitatem ſciendi, quod nobis non expedit, temperat: Nam ſicut naturaliter homo concupiſcit delectationes ciborum & venereorum ſecundùm naturam corporalem, ita ſecundùm animam naturaliter de-

Digitized by Google

ſiderat cognoſcere aliquid: unde & Philoſophus dicit in princip. Metaph. quòd omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. *Moderatio autem hujusmodi appetitûs pertinet ad virtutem ſtudioſitatis:* ita S. Th. 2. 2. q. 166. a. 6. Quod etiam S. P. N. docet in *lib. de mor. Eccleſiæ c.* 21. *curioſi eſſe prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt.* Studioſitas ergo efficit, ne quid homo ſcire velit, quod ei non convenit, & ne omittat acquiſitionem ſcientiæ eorum, quæ ei conveniunt, & eo modo, quo acquirenda ſunt, fugátque tum curioſitatem, tum torporem in quærenda rerum neceſſariarum notitia, ſed magìs curioſitatem, ad quam maximè natura noſtra propendet. In quibus igitur non eſt neceſſitas, utilitas, præceptum Superioris, aut alia ratio honeſtatis, ab iis curioſitas noſtra abſtineat, præſertim à lectione Poetarum, Oratorum profanorum, aut hiſtoriarum, novellarum, & ſimilium narrationum, maximè tempore, quod ex præſcripto Regularum & Superiorum ad ſpiritualia exercitia eſt deputatum, intellectus religioſi hominis abſtrahendus eſt. Delicatam ego judico mortificationem eſſe in ſenſu interiori, & potiſſimùm in intellectu, qui perpetuô ſciendi deſideriô, atque adeò abdita inveſtigandi, & ignota rimandi curioſitate non modica torquetur. Hinc apud Religioſos etiam profeſſos tanta ſubinde in choro evagatio evenit, cujus nulla alia cauſa eſt, quàm quòd potentia cognoſcitiva audita, ruminata, vel lecta repetat, & revolvendo ea voluntatem etiam abripiat. Hinc etiam apud Religioſos Novitios diſtractiones, levitates animi, cachinos, riſus, prohibito etiam tempore colloquia, ſtudioſitati contraria, curioſitas ſæpiſſimè extorquet. Proin ſtudioſitati ſtudeant Tyrones religioſi, quibus infra de mortificatione ſpeciales dabimus regulas, dum nunc de virtute obiter agimus. Ut autem fructus bonæ arboris uno velut intuitu ob oculos mentis faciliùs cadant, meliùs alliciant, & tenaciùs memoriæ hæreant, en arborem virtutum!

Sequi-

Digitized by Google

Sequitur Expoſitio compendioſa arboris: imprimis

De Humilitate, & ejus Comitibus.

COgnito jam horrendo procinctu ſuperbiæ, qui trahit ad ſiniſtram, humilitatis exercitum attende, qui ducit ad dexteram. Civibúsque cognitis Babyloniæ, cives attende Hieroſolymæ.

Humilitas eſt ex intuitu propriæ conditionis, vel conditoris voluntaria mentis inclinatio. Ejus autem hi ſunt comitatus principales;

Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, Fides, Spes, & Charitas.

De Prudentia, & comitatu ejus.

PRudentia eſt in ſui cuſtodia boni, malíque provida, ſagaxque dignoſcentia. Ejus autem comites ſunt.

Timor Domini, qui eſt in fide, & bonis moribus Divinorum præceptorum vigilans cuſtodia: initium ſiquidem ſapientiæ timor eſt Domini.

Alacritas eſt animi ad bonum opus perficiendum læta & circumſpecta promptitudo.

Conſilium eſt examinandarum, gubernandarúmque cauſarum ſubtilis animi proſpectus.

Memoria eſt ad mentis intuitum imaginaria quædam repræſentatio præteritorum.

Intelligentia eſt, ſtatum præſentium rationabili vivacitate penſitare, & dignoſcere.

Providentia eſt, per quam ſubtilitate ſagaci futurorum eventus colligitur.

Deliberatio eſt ante quodlibet inceptum plena maturitatis & ſolertiæ conſideratio.

De Juſtitia, & comitatu ejus.

JUſtitia eſt, per quam communitatis gratia tenetur, & ſua cuique dignitas non negatur: cujus comites ſunt.

Lex, per quam facienda jubentur, & non facienda prohibentur.

Severitas eſt, per quam judiciaria vindicta ſequendo veri rigorem diſtrictiùs in peccantem exercetur.

Æquitas eſt lancis juſtitiæ ex æquo libratæ digniſſima meritorum retributio.

Correctio eſt erroris innati, vel conſuetudine introducti, fræno rationis inhibitio.

Jurisjurandi obſervatio eſt, quæ plebiſcitô, civibus promulgatô, transgreſſionem ejus temerariam arcet præſtitô juramentô de conſervatione illius perpetua.

Judicium eſt, per quod ex audientia meritorum dignum redditur vel ſupplicium, vel meritum.

Veritas eſt, per quam probabili ratio-

ratione dictum aliquod vel factum immuttatum profertur.

De Fortitudine, & comitibus ipſius.

FOrtitudo eſt immobilis inter adverſa animi laborum & periculorum ſuſceptio. Cujus comites ſunt:

Magnanimitas, quæ eſt generoſa quædam excellentia animi, res difficiles & arduas pulchrè & fortiter adminiſtrantis.

Fiducia eſt, ex virtutum conſcientia immotam mentem inter adverſa ſibi conſtituere, & de bono exitu confidere.

Tollerantia, ſeu Patientia eſt diuturna alienæ improbitatis vel moleſtiæ ſufferentia.

Requies eſt, per quam menti quædam ſecuritas ex contemptu perfunctoriæ varietatis affertur.

Stabilitas eſt mentis fixa nulla locorum vel temporum varietate per diverſa jactatæ retentio.

Conſtantia eſt ſui ſimilis & ſtatu ſuo dignus, perpetuus, & immotus vitæ tenor.

Perſeverantia eſt, quæ virtutum quadam perfectione (longanimitate perficiente) confirmat animum, ne ante conſecutum finem deſiſtat ab incæpto.

De Temperantia, & ejus comitibus.

TEmperantia eſt in illicitos animi impetus rationis firma & diſcreta dominatio. Ejus comites ſunt:

Diſcretio, quæ eſt in dijudicandis rerum cauſis provida humanorum motuum moderatrix ratio.

Morigerationis eſt, ſervata propria virtute ſe juſtè, piéque moribus ſecum commorantium contemperare.

Taciturnitas eſt cum quadam fructuoſa animi quiete à verbis etiam utilibus linguæ ſuæ coerctio.

Jejunium eſt interiorum vigilantia, diſcreta parſimoniæ cuſtodia.

Sobrietas eſt pura ab illecebris utriusque hominis temperantia, dicta quòd ebrietate ſeorſum, ac ſeparata ſit.

Afflictio carnis eſt, per quam laſcivæ mentis ſeminaria caſtigatione diſcreta comprimuntur.

Contemptus ſæculi eſt ex intuitu caducorum ratione inductus amor æternorum.

De Fide, & ejus comitibus.

FIdes eſt in ſtudio ſancto, quæ ex promiſſorum veritate ad inviſibilia futura mentem facit pendere: eſt enim argumentum rerum non apparentium. Ejus comites ſunt:

Religio, per quam reverenti famulatu cæremoniæ divini cultus exercentur.

Munditia eſt conſumata integritas utriusque hominis intuitu Divini vel amoris vel timoris.

Ob-

Digitized by Google

Obedientia eſt innixa pio ſtudio propriæ voluntatis voluntaria abnegatio.

Caſtitas eſt per edomitas vitiorum furias munda & honeſta totius corporis habitudo.

Reverentia eſt caſtus Deo exhibitus ob fidem, quam de eo habemus, cultus.

Continentia eſt, per quam carnalium affectuum impetus conſilii moderamine refrænantur.

Affectus eſt concepto per fidem ſancto gaudio pii amoris in proximum effuſio.

De Spe, & ejus comitibus.

SPes eſt animi motus immobiliter ad ea, quæ certa ratione expedit, accipienda ſuſpenſio. Cujus comites ſunt:

Contemplatio ſupernorum, quæ eſt per ſublevatæ mentis jubilum mors carnalium affectuum.

Gaudium eſt ex contemptu præſentium veniens feſtinæ mentis jucunditas ſpiritualis.

Modeſtia eſt pudici & honeſti habitus de laudabili profectu verecundia.

Confeſſio eſt, per quam animæ morbus latens ſpe conſequendæ veniæ in Dei laudem aperitur.

Patientia eſt æternæ reſpectu gloriæ voluntaria & inſuperabilis contrariorum perpeſſio.

Compunctio eſt quoddam animæ ſuſpirantis incendium, natum vel timore ſupplicii, vel amore præmii.

Longanimitas eſt ad complenda juſta deſideria infatigabilis laborum ſuſtinentia.

De Charitate, & comitatu ejus.

CHaritas eſt mentis affectus, & pius amor ad Deum & proximum ferventer & ordinatè porrectus. Ejus comites ſunt:

Gratia, in qua mutuæ benevolentiæ alterius ad alterum affectuoſus cultus oſtenditur.

Pax eſt concordantium in bono animorum ordinata tranquilitas.

Pietas eſt ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix affectio.

Manſuetudo eſt, per quam manſueti vel modeſti tranquillitas animi nullius improbitate limitem ſuæ quietis excedit.

Liberalitas eſt, per quam liber animus in largitione poſſeſſorum nulla tenacitate coarctatur.

Miſericordia eſt clemens & æqualis in omnes dignatio, & in afflictos compaſſibilis animi inclinatio.

Indulgentia eſt remiſſio reatûs alieni, ex ſui conſideratione deſcendens.

Compaſſio eſt, per quam ex proximi dolore condolenti animo quædam afflictio generatur.

Benignitas eſt cum quadam ſplendida morum ſuavitate diligentis animi fervida conſpectio.

Concordia eſt conveniontia in recto animorum indirupta quædam & unita complexio.

Atque

Digitized by Google

Atque hæc de virtutibus, tum Religioſum maximè, tum chriſtianum hominem decentibus, ſcripta & dictata pro aſcetica doctrina, & vario illas acquirendi modo inſerviant: quæ omnes & ſingulæ ut in cordibus tam Novitiorum, quàm aliorum altùm ſint inſcriptæ, ex intimo peropto animo, atque in gradu intenſiſſimo tam acquiſitas, quàm ſupernaturales ardentiſſimè cunctis apprecor ad majorem Dei Gloriam.

CAPUT IV.

De Mortificatione ſenſuum tam externorum, quàm internorum.

SUMMARIUM.

N. 224. Velut proëmio brevi ratio dicendorum in hoc cap. explicatur.

PErceptâ in cap. præcedenti virtutis naturâ, progrediendum ulterius eſt, quâ ſcilicet commodiore viâ illa attingatur: Satìs enim non eſt proxima ad virtutem diſpoſitio, ùt diximus n. *99.* nec ſufficit ſimplex virtutis apprehenſio; ſed efficax inſuper requiritur & pertinax ſtudium, ſedula indagatio, quâ tandem viâ, quibus mediis ſolida acquiratur virtus. Neque ſolus ſcopus eſt virtutem anhelanti, eam tenere, ſed ulteriùs tendit animus, quô modô obtenta conſervetur, augeatur, & ita ad ſummum perfectionis faſtigium promoveatur. Hanc viam acquirendi, hoc medium conſervandi, hunc modum augendi mortificationem eſſe, communiter aſceſeos Magiſtri aſſerunt; quia per hanc corporis cupiditatibus, & inordinatis paſſionibus moritur homo, ſolìſque ordinatis motibus virtuti vivit; per eam abſcinditur occaſio omnis militantibus contra virtutem actibus, fitque, ne rebellia corporis membra virtutem impediant in ſuo exercitio: atque adeò conſervatur illa à contrariis ſive *directè* (nonnullæ enim mortificationes ſunt ipſi actus virtutum exerciti) ſive *indirectè* per modum removentis prohibens; ùt aiunt Theologi cum S. Thoma. Nunc igitur de mortificatione, Religioſis apprimè neceſſaria, virtutis conſervatrice ac nutrice, ita agemus, ut in primo Art. de ea quaſi in genere, in reliquis de eadem in ſpecie daturi ſimus documenta.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Quid ſit mortificatio in genere: & unde etymologia ejus?

SUMMARIUM.

225. *Mortificatio eſt ſpiritualis mors hominis.*
226. *Graphica deſcriptio hominis immortificati, & mortificati à S. Aug.*
227. *Mortificatio eſt duplex, interna, & externa.*
228. *Cauſa & motiva adſtruuntur Religioſo ſe mortificandi. Exemplum à S. Hartmanno.*

225 MOrtificare idem eſt ac morificare, ac ſi is, qui ſe mortificat, ſe mori faciat: Sicut enim mortui nullum ampliùs motum vitalem habent, ita etiam mortificati nullam vitam agunt peccato, ſæculo, & concupiſcentiæ. Id quod S. Paulus inſinuat ad *Col.* 2. *v.* 20. *ſi ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?* Pariter *ad Col.* 3. *mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in DEO.* Unde ſequitur: qui vivere cupit DEO, mori debet peccatò: *ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini Rom.* 8. Hoc genus mortificationis in eo potiſſimùm conſiſtit, quòd omnes motus tam interiores animi, quàm exteriores ſenſuum in ordine ad virtutem, quam quisque intendit, limitatè teneantur, ne exinde impedimentum obveniat, vel ex vehementia paſſionum, & perturbatione ſenſuum, qui ad malum continuò ſunt proclives, detrimentum virtuti naſcatur.

Immortificati hominis ſpecies perpulchrè deſcribitur à S. calamo illuminatiſſimi Doctoris Africani *L. de ſalut. docum. c.* 17. 226
„ igitur ille ſecundùm carnem vi-
„ vit, qui ſecundùm ſe ipſum vi-
„ vit; quia ipſe homo eſt, & vi-
„ vit, & ſecundùm ipſum vivit:
„ Id eſt, pergit, quò vult, dor-
„ mit, quando vult, & quamdiu
„ vult; loquitur, quæ vult, & cui
„ vult, & ubi vult; manducat,
„ & bibit, quando vult, & quan-
„ tum vult; ridet, & jucundatur
„ turpiter, inter quos vult, &
„ quando vult. Poſtremò, quod
„ naribus ſuave eſt, quærit; quid-
„ quid tactu blandum, quidquid
„ oculis delectabile, quidquid
„ corpori ſuo jucundum, exercet,
„ & ſequitur, qualiter vult, &
„ quando vult, quia omnia licita
„ & illicita carnaliter vult. Dele-
„ ctatur in veſtimentis pulcherri-
„ mis, & equitibus, & armis, ſi-

„ cut vult, & quando vult; & ſic
„ non ſecundùm DEUM, ſed car-
„ naliter vivit, & delectatur, &
„ omnia deſideria carnis ſuæ per-
„ ficit, ſicut vult, & quando vult.

Capite verò anteriore l.c. genericam mortificati hominis deſcriptionem facit, dum mortuo corporaliter aſſimilat his verbis:
„ quid eſt peccato mori, niſi ope-
„ ra maligna in nobis damnare, &
„ hoc miſerabile ſæculum fugere?
„ ut, ſicut homo mortuus in ſe-
„ pulchro nulli detrahit, nemini
„ violentus exiſtit, neminem ca-
„ lumniatur, neminem opprimit;
„ non invidet bonis, non inſultat
„ malis; non luxuriæ carnis ſer-
„ vit, non bibendo magìs ac ma-
„ gis in ſe ſitim accendit, non
„ odiorum flammâ inardeſcit,
„ non inquieta curioſitate rapta-
„ tur; non eum ſuperbia inflat,
„ non ambitio hujus ſæculi necat,
„ non vana gloria turpiter jactat
„ &c. Et, ut his talibus non tor-
„ queamur, ſed ſtudeamus, quan-
„ tùm poſſumus cum DEI adjuto-
„ rio, corpora noſtra cum vitiis
„ & concupiſcentiis mortificare,
„ & induamus novum hominem,
„ qui ſecundùm DEUM creatus
„ eſt in juſtitia & ſanctitate veri-
„ tatis &c. Vide Lairvelz *lect.* 58. *doc.* 2. Addit porrò S. P. ſupra illud *Rom.* 8. mortificationem *carnis fieri non poſſe ſine moleſtia, cui patientia neceſſaria eſt. lib.* 83. *qq.* 67.

Patet ex his, mortificationem vix aliud eſſe, quàm generoſam victoriam difficultatum, quas rebellis voluntas & caro adversùs ſpiritum excitant. Cùm ergo id genus militiæ, & ſuperandarum difficultatum duplex ſit, ſcilicet in homine interiori & exteriori, conſectaneum eſt, duplicem quoque eſſe mortificationem, interiorem nempe & exteriorem. *Interior*, ac nobilior circa intellectum, voluntatē, memoriam, ſenſúsque internos occupatur; unde ſpiritualis profectûs indicium non in maceratione corporis, ſed in interiore compoſitione animi, ordinatione paſſionum, collectione ſenſuum, & correctione morum deprehenditur. Atque vel ideo præſtantior eſt, quòd hoſtem non ſolùm externum, qualis eſt corpus, ſed & maximè internum certiùs attingat, & latentem citiùs indicet, ſerpens vitium jugulet, & ab anima exterminet. *Exterior* mortificatio quinque ſenſus externos afficit, dolorem & moleſtiam quamdam creat. Ut verò rationem mortificationis veræ gerat, oportet, interiorem huic eſſe conjunctam, ſine qua externa non erit opus bonum, vitio contrarium, quod hìc intendimus. Dein omnis mortificatio debet eſſe voluntaria, & cum ſancta intentione aut virtutem acquirendi, aut couſervandi ſuſcepta, ſine qua hypocriſis cenſenda eſt.

Neceſ-

Digitized by Google

228 Neceſſitatem mortificationis in omni Religioſo ſequentes erunt cauſæ. 1. Quia per Religioſam profeſſionem mundo eſt mortuus; ſic etiam illi mundus crucifixus eſt. Crux autem quotidiana eſt mortificatio, ſine qua non differt Religioſus à Sæculari, niſi ſolo habitu. 2. Clauſtra eſſe pœnitentiæ loca, conſtat ex Cap. 1. ergo mortificationes in iis magis exerceri debent, quæ corpori & ſenſibus ingratæ dolores inferant, ac in modum pœnitentiæ diſcrucient. 3. Caſtitatem, cujus perpetuò ſervandæ voto obſtrictus eſt, aliud remedium potentiùs non conſervat, quàm mortificatio; prout atteſtatur Cornel. à Lap. comment. in Eccleſ. c. 43. fol. 891. conjugium eſſe puritatis, & pœnitentiæ, ſive crucis; unde *Maria* hæbraicè idem eſt, quod *Myrrha*, vel *amaritudo maris*, quæ ſymbolum eſt pœnitentiæ & crucis, quam Beatiſſima Virgo totâ vitâ ſubiit, præſertim aſtans Chriſto crucifixo, ut nos doceret, matrem puritatis & caſtitatis eſſe pœnitentiam & mortificationem. Qua de cauſa S. Patriarcha Benedictus, ſentiens tentationem carnis, in ſpinis ſe volutavit, illóque dolore noxiam voluptatem extinxit. Dumetum hoc ſpinarum viſitans S. Franciſcus An. Dom. 1222. ſpináſque exoſculans, eiſque ſignum crucis imprimens miraculô dumetum in roſetum pulcherrimarum roſarum ferax convertit, quæ etiamnum perdurant, multíſque ægris ſanitatem attulerunt. Ita Wadingus in Annal. Min. Anno 1222. 4. A putredine vitiorum conſervat mortificatio, quæ eſt tanquam Myrrha, quæ parit in anima miram DEI conſolationem, & ſuavitatem, quaſi aroma ſuaviſſimi odoris: hæc animam ſervat à putredine vitiorum incorruptam, ſicut myrrha corpora defunctorum ſervat incorrupta. Quâ Myrrhâ excelluit B. V. Maria Cant. 3. *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris &c.* in thure enim *oratio* ſurſum aſcendens, ſicuti in Myrrha amara carnis *mortificatio*, inſuavis illa quidem, ſed contra vitiorum putredinem apprimè utilis, quæ orationem, ut ſit efficacior, comitari debet, adumbrantur apud cit. Auth. fol. 529. Sicut ergo quivis Religioſus adſtringitur vi ſui ſtatus tendere ad perfectionem; ita pariter tenetur ad iminutionem vitiorum & peccatorum ſuorum, conſequenter obligabitur eatenus ad mortificationem, quæ putredinem vitiorum abſtergit. 5. Gratias efficaces, & ſingulares pro adverſis quibusque patienter tolerandis, pro ſuggeſtionibus diabolicis vitandis, & vincendis, pro virtutibus implantandis, quæ ſine ſpecialibus DEI auxiliis, & gra-

tiis non introducuntur; in animam, mortificatio voluntaria impetrat. Veritatem hanc ipſa docuit gratiâ plena Deipara, uti ſcribit S. Bonaventura in medit. vitæ Chriſti c. 3. B. Virginem cuidam ſibi devotæ (quam ipſe putat, fuiſſe S. Eliſabetham) hæc verba dixiſſe: *Filia, dico tibi, quòd nullum donum, gratiam, vel virtutem habui à DEO ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lacrymis, & multa afflictione, dicendo, cogitandóque ſemper placita ſibi, ſicut ſciebam, & poteram, exceptâ ſanctificationis gratiâ, qua ſanctificata fui in utero matris.* Addiditque: *pro certo ſciat, quòd nulla gratia deſcendit in animam, niſi per orationem, & corporis afflictionem.* Atque ex his neceſſitas, incitamentum, amor, ac deſiderium appetendæ S. mortificationis proſpicienda ſunt, quæ in genere præſcripta Religioſo ſufficiant. Futura ſint, quæ ſequentur, ad praxin, & cumulanda merita eidem peropportuna.

RELIGIOSA ROSA.

SIt Roſa regina florum, & veris purpura; quia candidat, ut adamas, rubet, ut pyropus. Placeat aliis terræ ornamentum, plantarum decus, florum oculus, prati rubor, pulchritudo coruſcans, & velut terræ riſus, Roſa. Floribus coronentur Muſæ, atque Diis Gratiis olim ſacrentur roſæ. Brevis doctrina, & graviſſima Eucherii noſtri ſententia nunc præplacet, dum in Form. Alleg. ait, *roſas eſſe hieroglyphicum martyrii, Martyrésque coronari roſis ob ruborem ſanguinis pro Chriſto effuſi.* Spinæ etenim roſis conjunctæ genus quoddam martyrii, ſeu mortificationis virtutibus familiaris & agnatæ indicant, quia ſine ſpinis non ſubſiſtit roſa, & virtus. Hinc acutè Poëta:

Scire cupis, roſei flos exeat unde pudoris?
Sola roſas potuit gignere puncta Venus.

Inter vepres ciliciorum, & aculeos flagrorum conſervatæ virtutis ſymbolum oſtentat Religioſa roſa, à Religione candida, à virtute mortificatæ carnis purpurea; atque hinc Religioſa Roſa. Hanc S. Epiſcopus Brixinenſis B. Hartmannus conſpiciendam proponit; quin etiam cœleſtis odorem ſuavitatis ſuo diffundit exemplo, ut religioſas mentes ad imitationem trahat, aut ſcintillante è pro-

è propria ſua carne eliciti ſanguinis oſtro ruborem injiciat delicatulis, quibus paloris cauſa eſt nomen mortificationis. Hartmannus honeſtis parentibus in agro Pollingenſi haud procul Paſſavio infans ortum ſuum, ſed puer litteras, ac pietatem debet inclyto Collegio ad S. Nicolaum Ordinis noſtri, quem etiam profeſſus eſt ibidem. Inde à Conrado Salisburgenſium Archi-Epiſcopo, qui ſacrum ibi Canonicorum Cathedralium Collegium in Ordinem redigere, & ad D. Auguſtini normam efformare ſtatuit, evocatus, ut mores ejus legis loco eſſent, dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Decanus fuit præfectus. Non multò poſt adiit Chiemenſis Cathedralis Prælaturæ dignitatem, cúmque illius virtus nondum attigiſſet honoris faſtigium, à D. Leopoldo Auſtriæ Marchione expetitus, recens à ſe pro Canonicis Regularibus conſtructo Aſceterio Neuburgenſi primus Antiſtes, Regularis diſciplinæ fundator, ipſiúsque Canonicæ vitæ vivens regula fuit. Multa hìc conſtituit ſalubriter, plura egit ſanctè, plurima docuit ſapienter, & ipſe divinitus multa edoctus. Aliquando enim, cùm inter domeſticos ſacræ lectioni incumberet, ſubitò exiliens è collegio properavit ad vincinas ædes, ubi quidam è ſuis Religioſis cujusdam negotii à ſe illis commiſſi causâ colloquebantur, ad fores verò, ubi conſtitit, eos magno clamore juſſit, ut ex ea domo celeriter ſe ſe proriperent: & ecce! vix pedem extulerant, illa procubuit haud dubiè omnes oppreſſura, niſi Hartmanni beneficio evaſiſſent. Ejusdem ope exitio erepti fuerunt nautæ quidã, B. Præſulis ſuffragia implorantes cum vectoribus, qui haud procul à cœnobio in Danubio, navi ad ſcopulum undarum vi impactâ, hæſerant, nihil propiùs; quàm interitum expectantes. Mortuo interea Reinberto Sabionenſi apud Brixentas in comitatu Tyrolenſi Epiſcopo, ſacrum ibi Patrum conſilium Hartmanno infulam obtulit: ubi rem ſibi cœlitus commiſſam quoque præclarè geſſit, ac primo ſtatim anno Reinbertum nobilem Dynaſtam & copioſum induxit, ut viris Religioſis cænobium extra Brixinam moliretur, qui communicato cum conjuge nobili Doja conſilio Novam Cellam in honorem *Deiparæ Virginis ad gratias* dictam pro Canonicis Regularibus S. Auguſtini anno 1142. poſuit, cujus initia cœleſti non caruêre prodigio. In eo etiam Reinbertus ipſe facultatibus ſæculi abdicatis nudus nudum Chriſtum ſecutus vitam beato fine concluſit, omniáque inter cælites centuplicato fœnore recepit. Interea Epiſcopales honores non mutarunt religioſos mores; Hartmanus enim eundem

Digitized by Google

vitæ tenorem à tempore Religioſæ converſationis initum conſtanter obſervavit. Inter varia munia & dignitatum gradus nonniſi ſemel de die præter celebriora anni feſta cibos admiſit, eósque plerumque quadrageſimales. Intimæ tunicæ locò moleſtam, & ſetis horrentem telam, quæ aſſiduè fodicabat corpus, induit, eodémque textu femoralia geſtavit, quæ nec per noctem quidem exuit. Proximam cilicio tunicam (quamvis thoracem ferreis acubus intertextam monitu familiarium rogatúque depoſuerit) è lana factam nonniſi cum corpore, & vita ſibi detrahi paſſus eſt. Quin &, quod obſtupeſcas, nullo non die tergum virgis cædendum præbuit, cùm de quotidianis lapſibus ſumma animi demiſſione ſe apud Sacerdotem accuſaret. Nec id ſupplicii genus pro ſuis duntaxat noxis ſubibat, ſed, quod ab aliis etiam per urbem & Provinciam peccabatur, id ſuis culpis aſſignabat, & quotidie de tergo ſuo pro alienis culpis DEO ſatisfaciebat. Salutari Hoſtia nunquam non inter largos lacrymarum imbres litabat, niſi valetudine gravi impediretur. Ori frænos tam arctos impoſuit, ut horis certis non minùs coleret ſilentium, quàm ii, qui in mediis clauſtris tacendi, & loquendi tempora, legéſque obſervare coguntur. Longiora ſomni ſpatia non ſolùm veſtis aſperitas excluſerat, ſed amor aſuetæ devotionis magnam noctis partem pro ſe quoque vendicâ-rat, cùm dies non ſuffeciſſet publicis impenſa negotiis, ac pauperum ſolatiis. Ut cœleſtium porro rerum contemplationi animus vacaret quietiùs, curam rei familiaris per totam Diœceſin, omniúmque cenſuum, proventuum, & decimarum Epiſcopalium procurationem Conrado Collegii Pollingani Præſuli, familiari ſuo, atque à ſacris ſibi Adminiſtro commiſerat, viro in paucis fido, probo, & religioſo. Quoties verò ardentiori Hartmannus cœli capiebatur deſiderio, ex publicorum negotiorum pelago in vicinum Novæ-Cellæ Collegium ad gratias B. V. tanquam ad portum confugiebat placidiſſimum; ubi cœleſti quiete paſcebatur, & meliore Divinarum illuſtrationum, ac conſolationum nectare inundabatur. Quem tamen receſſum differebat, cùm reipublicæ uſus, & amittendæ dotis Eccleſiaſticæ periculum immineret, quod per ſe Conradus avertere non poſſet. Tum enimverò Hartmannus contra Dynaſtas & Potentes bonorum Eccleſiæ invaſores cum ſigno victricis crucis in hoſtes agebat, ut adeò impius & contumax non facilè repiretur, qui illius authoritate, & ſanctitatis famâ territus non illicò ceſſerit, ablatáque reſti-

reſtituerit. Auſus eſt etiam contra potentiſſimum Imperatorem Fridericum, quando libertas Eccleſiaſtica operam illius efflagitabat, prodire, ejúsque mandata relinquere. Nam Adriano Pontifice Maximo rebus humanis exempto; cùm de ſufficiendo alio inter Cardinales Electores, & Imperatorem ultimis odiis decertaretur, & melior pars Alexandro legitimo Pontifici adhæreſceret, Imperator verò Victori triplex diadema conaretur imponere, eáque de re ad Eberhardum Salisburgenſem Archi-Epiſcopum, & Hartmannum, qui ſoli prope ex omni Germania Principis gratiam negligebant, literas daret, nunquam à ſententia potuit dimoveri; & cùm Imperator alios hoc nomine vexaret, proſcriberet, eorúmque fines omni genere gladium affligeret, huic uni pepercit, cœleſtem in ſe ratus vindicem animadverſurum, ſi tantum numinis amicum offenderet. Poſtea cùm idem Imperator in tranſitu S. rogaret Epiſcopum, ut ſibi aram viatoriam, & plicabilem ad rem Divinam in itinere faciendam initiaret, ſpopondit Hartmannus, facturum ſe, quod peteret, ſed non niſi Alexandri Pontificis nomine, quod Fridericus libenter admiſit, dummodo ab Hartmanno conſecraretur. Adeò etiam ab impiis vera æſtimatione honoratur virtus. Nec mirum; cùm Hartmanni ſanctitatem raris prodigiis mundo innoteſcere Deus voluerit. In Admontenſi monaſterio R. R. P. P. Benedictinorum purum aquæ putealis laticem, quem ille delibaverat, in generoſum mutavit vinum. Grandem lapidem, à multis immobilem manibus, ſolus loco debito repoſuit. Chriſtum in ſacra Hoſtia viſibili corporis ſpecie ſibi præſentem adoravit, prout Conrado familiari faſſus eſt. Excellens adeò caſtitatis donum ſuis mortificationibus à DEO obtinuit, ut ſi quis obſcænis cogitationum imaginibus agitatus ipſi adſtaret, id illicò ſenſerit, & vultûs ſeveritate ſic deluſi animum caſtigârit, ut vel mox reſipiſceret, vel ab intuentis conſpectu ſe ſe proripere è veſtigio cogeretur. Tandem Numen, virtutem & labores præmiaturum, mortis jam præſcium Hartmannum & benè præparatum ad cœleſtem gloriam evocavit A. 1165. 23. Decembris, Epiſcopatûs 25. ubi jam tot cœleſtibus & immarceſcibilibus coronatus roſis, quot purpureas guttas in terra profudit, & plantavit puncta caro. Quod enim hic *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*, Apoſtolo teſte ad Corint. 1. 15. v. 42. *Ex Bavar. S. Rad. vol. 2. Annal. Bav. Adlzreid. p. 1. l, 22. & Metrop. Saliſb. Tom. 1.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De mortificatione viſûs.

SUMMARIUM.

229. *Regulæ mortificandi oculos traduntur.*

229 PRæter dicta n. 205. de oculorum modeſtia adhuc ſequentia pro mortificatione viſûs ſunt notanda.

1. Mortificandi oculi ab aſpectu corporis, & illarum partium, quas pudor vetat aſpicere in quovis ſexu & ætate.

2. Avertendi etiam oculi ab omnibus rebus turpibus, & ſordibus, non tam ex naturalis nauſeæ impulſu, quàm honeſtatis, puritatíſque, & DEI reverentia.

3. Diligentiſſimè cavenda eſt oculorum curioſitas etiam inſtantanea, tempore ſacrarum functionum, ſive in templo, ſive in choro, aut alio S. loco.

4. Ubi occurrunt nobis etiam nolentibus fœminæ, ſummo ſtudio avertendi ſunt oculi, etiamſi nullum timeatur ex tali aſpectu mali gravioris periculum. Quod Sancti etiam in gratia confirmati ſtudioſè obſervârunt juxta illud Eccleſ. 9. *averte faciem tuam à muliere compta.* Sic S. Joſephum Chriſti Nutritium lectiſſimum ab aſpectu puriſſimæ Virginis Mariæ oculos refrænâſſe ſcribunt varii Authores, ſicque viſum ſuum mortificâſſe S. Joannem Evangeliſtam, ſupra n. 205. diximus; cùm tamen uterque in gratia jam fuerit confirmatus.

5. In res non malas, ſed indifferentes, non figendus aſpectus, niſi ob meram neceſſitatem; ſicut tradit S. Laur. Juſt. de perfectionum gradibus cap. 4.

6. Pro ſanctiore oculorum cuſtodia maximè etiam juvat eos avertere ab iis objectis, quæ honeſtam oblectationem habent; prout Chriſtus monuit S. Birgittam l. 1. revel. c. 11. *quia oculi mei erant ſanguinolenti, & pleni lacrymis, ideo oculi tui debent abſtinere à delectabili viſu.* Sic ſcribitur in vita S. Caroli Porromæi, quòd is verno tempore ab aſpectu florum, & hortorum delitiis maximè abſtinuerit. Huc pertinet inſignis planè mortificatio, quam non ſolùm Novitii, ſed etiam veterani ſingulis diebus cum maximo meritorum fructu exercere poſſunt, dum ad oculorum lenocinium frondentes in horto arbores, pratorum virorem, florum elegantias, aliáque curioſæ naturæ oblectamenta è feneſtra ſui cubi-

cubiculi non aſpiciunt, oculos Chriſti causâ crucifigentes. Quodſi nimis rigoroſum videatur per feneſtras in hortum nunquam proſpicere, difficile tamen non eſt, per horam, quadrantem, vel aliud majus, aut minus ſpatium oculorum concupiſcentiam refrœnare, præſertim tempore, quo ſacrum obſervari debet ſilentium, & ad religioſa ſtudia incumbendum eſt. Et cui talis ad tempus mortificatio oculorum intolerabilis eſt, bonum non reputo Religioſum.

7. Sine neceſſitate è cubiculo non egrediendum ad curioſa videnda: & ſi quandóque ad Parochias egrediendum eſt, aut Religioſa ambulatio conceditur, concupiſcentia oculorum, & curioſitas quæque videndi ſupprimenda eſt hoc modo, ut ſaltem ad tempus à delectabili viſu inhibeantur oculi, atque ambulatio in horto, vel in pratis exterioribus non tantùm honeſta, ſed etiam ſancta & meritoria evadat.

8. Religioſo abſtinendum eſt in præſentia aliorum à torvo, minaci, triſti, aut lepido vultu, unde conviventes offendi valent, ſed modeſtè componendi ſunt oculi coram aliis: licèt in corde ſacra triſtitia ob meditationem Paſſionis Domini, vel dolorem ſuorum peccatorum abundet; quia, ut monet S. P. nihil in nobis fieri debet, *quòd cujusquam offendat aſpectum*, *ſed quòd deceat noſtram ſanctitatem.* Docuit id etiam S. Baſilius ſ. 1. de inſtit. Monach. *Iracundia, aut memoria injuriarum, aut invidia, aut contentionis nullus prorſus ſit neque geſtus, neque motus, non verbum, non oculorum acris obtutus, non vultûs conformatio ulla, non aliud quidpiam, ex quo eorum, quibuscum vivimus, irritari animus poſſit.*

9. Incitamentum ad mortificationem oculorum debet eſſe Religioſis, quod venerabilis Thomas Kempenſ. adducit, ita ſuos Novitios alloquens p. 7. ſerm. ad Novit. *oculos claudens, ne videat vanitatem, coronabitur cum illis margaritis cœleſtibus, martyribus ſcilicet, quibus eruti ſunt oculi.*

CORDIS NUNTIUS.

Sympathiam oculi ac cordis optimè expreſſit S. P. N. Reg. c. 5. hoc lemmate: *cordis nuntius* oculus, pudicus pudici, impudicus impudici: & ſerm. 18. de verb. Dom. hortatus ſuos, *tota*, inquiebat, *fratres opera veſtra in hac vita eſt, ſanare* (mortificando rectificare) *oculum cordis, unde videatur Deus.* Et paulò infra: *Quid turbat*

bat oculum carnis? aut humor, aut aliquid irruens terrenorum; cupiditas, avaritia, iniquitas, concupiſcentia carnalis turbat, claudit, excæcat oculum cordis: ergò frœnandi ſunt oculi corporis, & ad leges Divinas efformandi, ùt rectum uſum oculi cordis, & animæ non impediant, ac perturbent. *Deus*, inquit Cicero de nat. Deor. l. 2. *lubricos oculos fecit, & mobiles, ut declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum, quò vellent, facilè converterent.* Excelluit oculorum mortificatione Venerabilis Conradus, Collegiatæ Pollingenſis Eccleſiæ in ſuperiori Bavaria Præſul VI. ita digniſſimus, ſicut ſanctiore vitâ probatiſſimus. Vir planè, uti illum indigitat P. Math. Raderus S. J. in Bavaria S. To. 2. f. 266. *in paucis fidus, probus & Religioſus*: vel, ùt habet authorCatalogi Præpoſ. Polling. in Metrop. Salisburg. to. 3. f. 117. *vita Venerabilis, ſtrenuus, fidelis, prudens, & familiaris.* B. Hartmanno noſtro Brixinenſium Epiſcopo à ſacris erat officiis, ſanctæque vitæ, quam Hartmannus duxerat, ſocius, ac Divinorum myſteriorum particeps; ita quidem, ut propter ſeveritatem morum, & continuum Canonicæ Religioſitatis exercitium, ac præſertim ob commiſſum à S. Epiſcopo ſibi officium *alter Epiſcopus*, imò *Magiſter Epiſcopi* diceretur. Procul à religioſiſſimo viro erat aſpectus blandus fœminarum: nec in ſe, neque in aliis clericis, vel aulæ miniſtris vagos oculos patiebatur, rigidioris ubique diſciplinæ clericalis ſectator. Mortificationis quotidianæ tantus fuit amator, quantus Hartmannus ejusdem obſervator. Nulla dies elabi poterat, quin utérque ſingularem de ſua carne victoriam reportâſſet. Ad clavum Pollingenſis Eccleſiæ promotus, dignitatem illam pro innata ſibi modeſtia ægrè quidem admiſit, ſed optimi, religioſiſſimi, ac mortificationis ſtudioſiſſimi Prælati partes annis duobus ſuprà triginta, quos eo in munere vixit, explevit, mortem vitæ parem nactus, ſcilicet ſanctam 2. die Novembris A. 1180. *ex Auctoribus allegatis.*

Placet etiam domeſticum jungere oculi mortificati typum in ReverendiſſimoSimone Pauhofer, Præpoſito XXXVI. Beyrbergenſis Canoniæ. Hic poſt abſoluta Ingolſtadii altiora ſtudia presbyterio initiatus, prudentiâ, eruditione, & religione eximius, per omnia munia tanquam ſuccedaneos gradus ad ipſum uſque Præpoſituræ faſtigium feliciter aſcendit. Quantæ fuerit in ſpiritualibus obſervantiæ, facilè ex eo patet, quòd in matutinis vigiliis ferè quotidianus, religioſis exercitiis, & orationi tum in templo tum alibi adeò frequens, ardens, & compoſitus vacaverit, ut ſuos ſibi incognitos obſervatores (inter

quos,

Digitized by Google

quos, qui vitam illius ſcripſit, digniſſimus Succeſſor, Reverendiſſimus Paulus Steinherr) in ſtuporem rapuerit, imò confuderit veluti non imitandus. Diſciplinæ regularis rigidiſſimus extitit cultor, nil magis in ſuis Canonicis averſatus, quàm oculorum vagationem: hinc, ut aliis vivam ſe præberet regulam, compoſitum ad omnes modeſtiæ regulas vultum præſetulit, nunquam non oculos in terram defixos tenens. Sibi tam auſterus erat, quàm aliis benignus, in cibo potúque tantæ temperantiæ, ut omnibus admirationi eſſet, otioſitatis cæteroquin tam in ſe, quàm aliis hoſtis plùs quàm Vatinianus. Scientiarum tantus amator, quantus eruditorum æſtimator: quotquot profeſſione habuit ſubditos, & filios, tot miſit Anglipolim, ùt omnigenâ eruditione Canoniam ſuam exornaret, ex quibus quidam magno Collegii noſtri bono ad ſupremam Philoſophiæ & Theologiæ lauream pervenerunt. Ad Superos abiit 6. Novemb. A. 1653. *ex Chronico Beyrbergenſi.*

ARTICULUS III.
De mortificatione auditûs.

SUMMARIUM.

230. *Utilitas ac neceſſitas hujus mortificationis.*
231. *Regula circumcidendi aures.*
232. *Contraria ponuntur.*

230 PRæcipit Chriſtus, ſummus Magiſter noſter, Eccl. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras.* Mandato huic contraeunt, qui non lectioni & ſilentio, ſed rumoribus, & curioſitatibus vacant. Eandem doctrinam mellifluus D. ſer. de trip. cuſt. man. lin. & cor. tradit: *facilè,* ait, *lingua labitur, nec minùs facilè illabitur cordi, ita, ut multis inter loquendum minùs profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non caverint alienam.* Omnia velle audire, quæ extra & intra religioſum clauſtrum contingunt, multas moleſtias creavit, & ejusmodi curioſis inquiſitoribus lapſum, centúmque anxietates protulit. Unde non ſolùm à curioſo aſpectu cohibendus eſt oculus, ſed etiam auris ab auditu. *Fruſtra,* ait Plutarchus, *clauduntur portæ civitatis, ſi una relinquatur aperta, per quam hoſtes irrumpant.* Exin patet neceſſitas hujus mortificationis in Novitio, & quolibet Religio-

ligioſo. Multipliciter verò mortificatio auditûs fieri poteſt, nempe dum aliqua ſancta & ſalubria libenter audimus, & dum aliqua peccaminoſa, licèt delectabilia, non percipimus, nec hujuſce locutionibus aurem præbemus.

231 1. Ergo Novitius auditum mortificat, dum à vanitatibus ſæculi, vaníſque colloquiis aures avertit.

2. Qui ea, quæ Dei ſunt, audit, & audita diligenter exequitur; ſicut ait S. Bernardus: *auris bona eſt, quæ libenter audit utilia, prudenter diſcernit audita, & operatur intellecta.*

3. Qui à propoſito S. Religionis, aut diſciplinæ quavis ratione revocantem non audit.

4. Qui ſalutaria loquentem, præſertim Superiorem admonentem, reprehendentem etiam, objurgantem, & punientem æquo audit animo, atque emendationem vitæ & morum correctionem inſtituit: miram enim vim habent verba Magiſtri, per quem Deus loqui, ejúſque voci vocem virtutis ſuæ addere ſolet. Sic S. Alippius inſaniam Circenſium ludorum explicantem audiendo adeò permotus fuit, ut ſtultæ illi voluptati deinde non indulſerit l. 6. confeſſ. c. 7. Sic S. P. N. Ambroſium concionantem excipiendo ad deteſtandam Manichæorum hæreſim fuit à Deo illuſtratus; nam, dum cor aperiret Aug. ad excipiendum, quàm diſertè diceret, pariter intrabat, & quàm verè diceret l. 5. confeſſ. c. 13.

5. Qui jam audita ſæpiùs ſalutaria non faſtidit; *quod* enim *novimus*, teſte Chryſoſtomo in epiſt. ad Hebr. *ſi ſæpius audimus, ampliùs compungimur.*

6. Qui præterquam quòd abſtineat omni vano, turpi, & ſcandaloſo colloquio juxta illud Epheſ. 5. *non nominetur in vobis turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas &c.* qui, inquam, præterea ſtatis horis ſtrictiſſimum obſervat ſilentium, & alios intra id tempus loquentes non patitur.

Contraria huic mortificatio- 232
ni ſunt 1. vana, curioſa, vel contra Superiores & Confratres dicta libenter audire, incœptam telam proſequi, & ulteriorem convitiandi anſam præbere. 2. Verbum ſalutare à benè ſuadentibus, & adhortantibus aure quidem ſuſcipere, at ſecundùm illud non operari; quod exprimit S. P. N. l. ſent. ubi ait: *inutiliter meditatur legem Dei* (id eſt audit verba diſciplinæ religioſæ) *qui laborat, ut memoria teneat, quod aliàs non implet.* 3. Malo propoſito adverſantes ne levi quidem aure dignari: perverſorum enim *molliti ſunt ſermones ſuper oleum, ſed ipſi ſunt jacula* Pſal. 54. 4. Superioris dicta faſtidire, & juſſa averſari, ſuggillare, & arguere, alios etiam murmurantes, & Superiorum diſpoſitiones malè arguen-

arguentes audire libenter, & cum delectatione; nam hac curioſitate aurium peſſimus inquieti animi, & toti communitati Religioſæ nocivus oſtenditur genius; quin etiam odio, aliiſque tacitis paſſionibus infectus animus notatur, quando aut Superioris juſſa, & correctiones averſatur, vel eadem averſantibus facilem præbet aurem. Hanc peſſimam contrarietatem proſequitur Rever. Lairv. f. 542. his verbis documenta proferens: „ Aures non ſolùm præ„parent Novitii, & Religioſi ſub„diti reprehenſionibus quorum„cunque, ſed etiam opere teſten„tur, ſe illas libenter ſuſtinere, ne „ſint illis aretalogis ſimiles, qui „mortificationis ſuæ verba ven„dunt confratribus, & ad primam „etiam leviſſimam correctionem „verbalem toti extra ſe ponuntur, „& indiſcretionis vel injuſtitiæ „Superiorem ſuum arguunt.

Quiſquis igitur alienam famam, Dei gloriam, diſciplinæ religioſæ ac morum honeſtatem intendit, hanc de mortificatione „auditûs doctrinam altùm cordi „habeat: ſi verò contrariam alius tibi perſuadere laboret, ruinam animæ tuæ tibi perſuaderi judi„ca: noli audire malignè loquen„tem, ſepi aures tuas ſpinis mor„tificationis, ſtudioſè devita, & hoſtem non admitte.

SENSUS DISCIPLINÆ.

Auditum eſſe ſenſum diſciplinæ, Ariſtoteles pronuntiavit; nam ſicut amor ſapientiæ prima eſt diſpoſitio ad eam, ita auditus altera eſt via eam acquirendi; cùm ſapientes, doctos, & Sanctos audire reſpuens, nunquam ſapiens, doctus, & ſanctus evaſerit. Unde Eccleſiaſt. 6. v. 34. ſapiens dat monitum: *ſi inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſapiens eris.* Id eſt, uti explicant alii apud Cornel. hìc. ſi dilexeris audire, recipies intellectum, ſcientiam percipies.

B. Blaſius Vicentinus ex Congregatione Lateranenſi, poſtquam Canonicum Ordinem in Novarienſi Cœnobio profeſſus fuit, adeò Regularis diſciplinæ Magiſtris benignam ſemper præbuit aurem, ùt brevì ad perfectionem religioſam, & ſanctitatem pervenerit. Beneficio etiam tenacis memoriæ totum Decretalium librum ita ſibi impreſſum habuit, ùt quoslibet textus memoriter recitaret, & variè interrogatus promptiſſima daret reſponſa, ex jure petita. Theologus præterea, & Orator præclarus Italiæ provincias per-

currebat, ac mundi vanitates, ejúſque perituras illecebras, horrendas inferni pœnas, & perennia cœlitum gaudia ita exaggerare noverat, ùt in uberes lacrymas auditorum ſuorum oculi proſilirent: Ipſe verò ad lacrymas pronus largiſſimas in concionibus profundebat. Spiritu fervens, in oratione aſſiduus, animi demiſſione longè infra ſe in nihilum ſuum deſcendit; quóque magis cœleſtibus affluebat donis, eò minùs de ſe ſentiebat. Diei ac horæ obitûs ſui præſcius vivere deſiit Novariæ 10. Auguſti A. 1499. poſt mortem miraculis coruſcus. Ejus Sepulchro à D. Petro Apollonio Colatino appoſitum Epitaphium refert Reverendiſſ. Pennottus L. 3. c. 51. *Ex Carolo à Braſilica, Joan. Philippo, & aliis l. c.*

Reverendiſſ. Joañes Milecker, Mildorfio oriundus, hunc ſenſum diſciplinæ habuit, dum à puero morum pudicitiæ, ſingulari pietati, ac animi ſubmiſſioni ſtuduit. Sociis ſcholaribus, qui mala perſuadere conabantur, cautè declinatis, religioſum Canonicum profeſſus prioribus virtutibus conſtans mortificationis exercitium junxit. Superiores ſuos perdemiſsâ veneratione proſecutus, eorum dicta & juſſa, veluti cœlo delapſa, excipiebat, & ſedulò injuncta executus à nutu mandantis pendebat. Ad clavum Beyrbergenſis Eccleſiæ evectus illa exercuit, quæ Superioris prudentis munia depoſcunt, ſemper ſibi ſimilis, nullius doli conſcius, pacis amator, ac fraternæ concordiæ cultor eximius. Præterea adeò humilis, caſtus, & ſobrius vixit, ùt omnibus venerationi eſſet. In affectibus refrœnandis nihil ſibi indulgens, recti veríque ſtudioſus, à vitio aſſentationis ita abhorruit, ut ſibi adulari volentes ne levi quidem aure dignatus ſit. Fatali paruit neceſſitati die 18. Octobris 1527. Illius memoriam ſequenti elogio epitaphii inſtar in tabula, parietis lateri appensâ, inſigniri juſſit D. Leonardus ejus Succeſſor.

Spectatæ vitæ & Religionis,
Joanni Mileckero Müldorphio,
Canonicali Sacerdoti,
Venerabili Decano,
Reverendo Prælato
Peulburgenſi, Seni optimo, &
pientiſſimo,
ac Patri benè meritiſſimo
Conventus Canonicorum Peulburgenſium
Gratitudinis ergò fieri curabat.
Obiit à ſervata humanitate
ſupra ſeſqui milleſimum
vigeſimo ſeptimo anno,
Menſis Octobris
die XXVIII.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De mortificatione guſtûs.

SUMMARIUM.

233. *Quàm utilis ſit, ac commendata à S S.P.P. guſtûs mortificatio: qua*

234. *Documentis quibuſdam, & regulis traditur.*

233 QUàm nobilis ſit mortificatio guſtûs, vel ex eo patet, quòd antiqui Patres & ſpiritualis vitæ Magiſtri veluti anteſignam poſuerint in acie adversùs vitia. Sic enim Caſſianus l. 5. inſtit. c. 3. ait: *primum ineundum certamen eſt adversùs gaſtrimargiam, ſeu concupiſcentiam gulæ.* Sanctus item Greg. M. fatetur l. 30. moral. c. 26. quòd *neque ad conflictum Spiritualis agonis aſſurgitur, ſi non priùs intra nosmetipſos hoſtis poſitus, gula videlicet appetitus, edometur.*

Sic S. P. N., poſtquam c. 1. S. Regulæ de fraterna concordia, & rerum communione, veluti de fundamento religioſæ communitatis, & conventionis; c. 2. verò de oratione, veluti fine primario, quo intenditur divini Numinis gloria, egiſſet, ſtatim c. 3. medium pro virtutibus implantandis, & religiosâ diſciplinâ ritè inſtituendâ præſcribit moderatiſſimâ diſcretione mortificationem gulæ hiſce verbis: *carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentia eſca, & potûs, quantùm valetudo permittit.* Ex quo S. Regulæ textu neceſſitatem mortificandi guſtûs haud difficilè metietur, qui juravit in illius S. Patris præcepta, aut jurare intendit.

Igitur ſequentia documenta diligenter ſunt obſervanda. 234

1. Eſto contentus cibis communibus, nullúmque alium petas ſpecialem: quin etiam oblatum modeſtè, & efficaciter recuſes, niſi ſanitas Superiorum, & Medici judicio id exigat. Si verò aliquis cibus noceat, non alium petas, ſed vel ſolo pane naturæ neceſſitati ſuccurras.

2. Ex portionibus allatis juxta ordinem tibi contingentem, licèt minorem, vel guſtui tuo non arridentem, accipe, aliámque non quære.

3. Nunquam conqueraris de ſubſtantia, vel qualitate ciborum.

4. Cibum inſulſum, aut ſufficienter ſale non conditum, non con-

condias; niſi in iis neceſſarius ſit uſus ſalis, v. g. ovis, raphanis.

5. Id ſimiliter obſerves quoad cibos, quibus acetum adhiberi ſolet.

6. Panem ſine delectu comede, non mollem duro anteponendo, vel viciſſim.

7. Extra tempus ordinarium refectionis nec comedas, nec bibas ſine licentia; ut præcipit S. P. N. in reg. c. 3. *nemo extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat &c.*

8. Si ſitis torqueat, delicata eſt mortificatio, ſi nec aquam bibas, ſed nec ſiccum os aquâ eluendo humectes. Nam S. Philippus Nerius id adeò magni faciebat, ut diceret, neminem fore virum ſpiritualem, qui extra tempora prandii & cœnæ aliquid comedit, vel bibit. Quod locum habet, ubi conſuetudo probata Superiorum judicio non tenet.

9. De quolibet cibo polum unum, vel delectabiliorem partem relinque, ut appetitum refrœnes.

10. Cibos ſuaves admixtione amarâ inſipidos reddere, major eſt mortificatio; ut de S. Franciſco teſtatur S. Bonaventura.

11. Nunquam te ægrum fingas, ſed infirmitatem potiùs tegas, ne delicatiùs tracteris.

12. Vinum temperare aquâ, quinque tantùm facere ſorbilationes in honorem S. Vulnerum Chriſti, vel tres ad laudem SS. Trinitatis, ſancta & benè meritoria eſt mortificatio.

13. Ad tempus, vel etiam perpetuò guſtus mortificandi gratiâ abſtinere à delicatiore cibo, ad quem natura propendet, heroica eſt mortificatio.

14. Plusquam adhuc heroicum eſt, & nobiliſſimum mortificationis genus, ſaniem ex aliorum vetitis ulceribus manantem exſugere inſtar dulciſſimi lactis; uti ex divino inſtinctu fecerunt S. Catharina Senenſis, S. Franciſcus Xaverius, S. Ludovicus Bertrandus.

15. Nunquam cum aviditate, & voluptatis deſiderio comedas, neque exceſſum committas: in his tamen omnibus exceſſiva mortificatio vitanda eſt, neque aſſumenda cum detrimento vitæ, & ſine Superiorum licentia. Huc etiam ſpectant, quæ ſupra n. 97. tradidimus contra vitium Gulæ, remedia.

MEDICINA SALUTIS.

MOrtificationem guſtûs eſſe medicinam ſalutis, aſſeruit Hippocrates L. 6. Epidem. p. 5. aphoriſ. dum *indigentiam* (id eſt, cibo-

ciborum parſimoniam) *matrem ſanitatis* appellavit: Depreſſo enimverò guſtûs, velut inſatiabilis helluonis, appetitu, & ad rationabilem ordinem redactô, è menſa frugali hauſtos cibos faciliùs ſuſcipit, & meliùs digerit ſtomachus. Unde ſequentes eruuntur effectus: Inprimis temperies humorum, ut nec cholera, nec melancholia, nec phlegma, nec ſanguis prædominetur, ſed hi quatuor ad humanam vitam conſervandam neceſſarii humores in quodam æquilibrio contineantur; in quo conſiſtit recta corporis ſanitas. 2. Cauſatur quies ſtomachi & inteſtinorum; nec flatibûs, & torminibus ita exagitatur, qui ſobriè vivit. Ad quod illud Poëtæ alludit:

Si cupis eſſe diu felix, utaris oportet
Vel medico modicè, vel modico medicè.

3. Sobria menſa ſomnum ſuavem, facilem, & horridis, funeſtis, ac cruentis inſomniis immunem conciliat, ſecundùm illud Eccleſ. 31. v. 24. *Somnus ſanitatis in homine parco*, ſobrio ſcilicet, & frugali: *dormiet uſque manè*, propter ſuavitatem, & facilitatem, æqualémque humorum confluentiam, *& anima illius delectabitur*; quia excitata ſuo tempore alacris, & prompta eſt ad ſuas functiones, ſtudia, preces, exercitia religioſa, & quævis per diem negotia peragenda. 4. A contrario *vigilia, cholera, & tortura viro infrunito*, cit. c. v. 23. Quia, *ubi cibus præter naturam* (& plus æquô) *ingeſtus eſt, morbum facit*, Doctore Hippocrate l. 1. c. 17. hinc regula ſcholæ Salernitanæ medicè præſcribit;

Ex longa cœna ſtomacho fit maxima pœna.
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

5. Atque exin Galenus deduxit, probavítque, medicinæ partem eſſe Philoſophiam morum, non ſolùm quæ ad reipublicæ pertinet conſtitutionem, ſed quæ ſingulorum moribus componendis ſe accomodat; hæc enim affectus temperat, quæ una quidem pars eſt totius victûs. 6. Præterea intemperantia virtutes omnes enervat, præſertim caſtitatem. Unde non multùm inquirant aliqui, quòd graviora ſubeant carnis certamina, & inter fœda volutentur ſpectra, caſibus aut proximi, aut obnoxii. In promptu cauſa eſt ex Climaco religioſiſſimo Magiſtro P. 1. c. 14. quippe, *qui ventri deditus ſpiritum ſcortationis ſuperare conatur, ſimilis eſt reſtinguenti incendium cum oleo.* Ex quibus omnibus mortificatio guſtûs apparet, quæ ſervit ad corroboranda dicta Art. 8. cap. 2. à n. 91. ut adeò non immeritò ſobrietas ſit conſervatrix ſanitatis, virtutum nutrix, & cœleſtis *medicina ſalutis.*

Innocentius III. ex Canonico

Digitized by Google

Regulari Lateranenſi Summus Pontifex, hujus ſalutaris medicinæ ſtudioſiſſimus, ſobrietatem, quam priùs in menſa regulari conſtanter tenuit, in ſublimi poſitus magìs excoluit; menſæ etenim Pontificali tria duntaxat fercula apponi juſſit, ut omnem exceſſum procul arceret. Ad talem mediocritatem in altiſſimo ſtatu ipſe ſe reduxit, ut vaſa aurea, & argentea utenſilia in lignea & teſtacea, pelles Armeninas in agninas comutaverit. Duos Capellanos, nec plures, niſi in feſtis ſolemnioribus, aut alia urgente neceſſitate, admiſit: Regulares, & Lateranenſes Canonicos magis à ſervitiis ſibi eſſe voluit; conſuetis tamen officiis nobiles viros, probos, ac doctos præpoſuit, qui diebus feſtivis ſua exhiberent miniſteria. Ut ſuperfluitatem, quam tantoperè in ſe deteſtabatur, à Prælatis, & Clericis tam Regularibus, quàm ſæcularibus eliminatam cerneret, ſaluberrima decreta emanare fecit, celebrato A. 1215. in Lateranenſi baſilica Concilio magno, cui Patriarchæ Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, Metropolitani LXX. Epiſcopi CCCC. Abbates, & Patres DCCC. Græci, & Romani Imperii Legati, Regum Hieruſalem, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores interfuerunt. Anno 15. ſui Pontificatûs V. Idus Septembris, id eſt, A. 1613. parochiam Tegerndorfenſem cum ſuis attinentiis pleno jure Beyrbergenſi Collegiatæ Eccleſiæ noſtræ incorporavit; uti teſtes inviolatæ extant literæ: quod ad gratam memoriam perpetuò à nobis conſervandam pro Pontificali beneficio reticere hic non poſſumus. Sanctè obiit 16. Julii Anno 1216. Pontificatûs 18. *Ex Joanne Bapt. Melegario, Pennotto, Palatio, aliiſque &c.*

Pariter Silvanus Maurocenus Venetus, ex Congregatione Lateranenſi Canonicus, ad ſtuporem mortificationem guſtûs in ſua vita exercuit: Nam licèt paternis in ædibus delicatè fuerit educatus, à carnibus tamen, quoad regulariter vixit, ſemper abſtinuit, tegendóque nudo corpori non linum, ſed lanum craſſius adhibuit. Præfuit Lateran. Congregationi altera vice Rector Generalis Anno 1494. & 1498. Piiſſimè obiit 1500. *ex Lyceo Lateranenſi Abb. Roſini L. 17.* Non minori virtutum religioſarum, ac doctrinæ (utpotè SS. Theologiæ, ac Canonum Doctor) ſplendore illuſtris, diſciplinæque Canonicæ religioſiſſimus Zelator extitit Reverendiſſ. Thomas Jurichius Luſatienſis, Cathedralis Eccleſiæ Seccovienſis in Styria Decanus Regularis. Ob frugalitatem, & gulæ refrœnationem, dum nunquam delicatioribus veſci cupiebat, aut volebat cibis, Canonicis

nicis ſuis in maxima erat æſtimatione. Atque hinc A. 1659. piiſſimè defunctum amariſſimo luctu, & ſolemniſſimâ pompâ, velut glorioſum ſui & mundi victorem, condiderunt. *Ex Relat. M. S. & Reverendiſſ. Grueber.*

ARTICULUS V.

De mortificatione odoratûs.

SUMMARIUM.

235. *Varii hunc ſenſum mortificandi modi.*

235 QUamvis Religioſi minùs odoratu, aliqui tamen etiam hoc modo peccare ſolent, præſertim quia illi, qui odoribus utuntur, aliàs minùs mortificati videntur; nam appetitus odorum ſignum eſt incontinentiæ, dum aliqui odores ad gulam, aliqui ad libidinem provocent; ut docet S. Chryſ. hom. 4. de Lazaro, ita loquens: quis præclarum aliquid, aut bonæ frugis opinabitur de eo, qui ſpirat unguenta: quandoquidem corporis ac veſtium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem, & immundum. Dein odorum uſus mollem demonſtrat animum, & eſt ruina militis magnanimi. Hinc c. 12. S. P. N. cupit nos eſſe *ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona converſatione fragrantes.* Quare

1. A fœdarum rerum odoratu curioſo non tantùm, ſed etiam delectabilium odorum uſu omninò abſtineas.

2. Nihil odoriferum circumferas, nec balſamo, vel odorifero oleo manus inungas vel caput ad effundendum, vel ſentiendum ex te odorem; nam lenonum, & impudicorum ſunt iſtæ illecebræ. Id etiam deteſtatus eſt Seneca, inquiens de ſe: *inde in omnem vitam* (cùm aliquid muliebre ſit odoribus uti) *unguento abſtinemus; quoniam optimus odor in corpore eſt nullus.*

3. Niſi neceſſitas, & honeſtatis ratio exigat, in cubiculo tuo ſuffitu odorifero non utaris.

4. Nec aliquas confecturas ſuavè olentes in os ſumas, ut alii ex te ſentiant, vel nares paſcendi tuas gratiâ.

5. Nec etiam datâ operâ res fœtidas in cubiculo tuo retineas; quamvis legeris quoſdam Sanctos ſolitariæ vitæ magis, quàm actuoſæ deditos calvariis, & fœtentibus immixta carne oſſibus odoratum mortificâſſe, in cella aſſervatis,

tis, ut hoc modo thymiamata, & moſchata, quibus in ſæculari converſatione ſine intermiſſione fruebantur, caſtigarent; uti faciebat Abbas Arſenius, & alii ob alias cauſas. Ob ſimilem aliámve occultam ſpectatæ virtutis, & raræ innocentiæ, ac ſingularis pietatis viros quosdam Ord. N. loca ſeceſſui deſtinata perpurgâſſe, & non modicè attracto in ſe fœtido odore ſenſum odoratûs mortificâſſe, referunt circulares literæ: ex quibus adduximus jam quosdam hucúsque, & imposterùm referemus, tacitâ ob aliam rationem hac mortificatione, ab illis exercitâ. Atque hinc etiam Ethnici abhorrebant à fœtore; utì Epictetus apud Arianum monuit: *Ne moleſtiùs ſis convictoribus, ſi te ipſum dignum cenſeas, qui fœteas, eſto, ſis dignus. Num etiam alii, qui tibi aſſident, qui tecum accumbunt? aut in ſolitudinem abi, qua dignus fueris, aut etiam ſolus vive, tuôque fætore oblectare. Æquum enim eſt, te immunditiâ tuâ ſolùm frui.*

THUS FRAGRANS.

IN antiquo teſtamento omni victimæ (exceptâ pro peccatis) thus imponebatur, illúdque unàcum victima adolebatur, ut ſuavem ederet ſuffitum, qui nares hominum & Dei quodammodò oblectaret; ùt patet Levit. 2. 2. Sic ſacrificium Noë laudatur, Geneſ. 8. quòd *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis.* In myſtico autem ſenſu virtus, vitæ pietas, devotio, & ſanctitas thus & thymiama apud Deum æſtimantur. Ita S. Chryſoſtomus, *Juſti Noë virtutem, fumum, & nidorem victimæ Deo feciſſe odorem fragrantiæ*, explicat. Quare ex doctrina S. P. N. Tr. 50. in Joan. *Odor bonus fama bona eſt. Qui malè vivunt, & Chriſtiani vocantur, injuriam Chriſto faciunt: Et per bonos nomen Domini laudatur.* Sic etiam in Pſalm. 37. *Qui habet ſanum olfactum anima, ſentit, quomodo puteant peccata: cui putori peccatorum contrarius eſt odor ille, de quo dicit Apoſtolus 2. Corinth. 2. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco &c.* Hinc, quò ſanctior erit vita, eò majorem ſuavitatem odoris capiet Divina Majeſtas, quæ vano & mundano odore ſuppreſſo mortificatam animam ſuaviùs ſuſcipit, illâque magìs delectatur, in qua nullus mundi odor. Ita Numini placuit puritas & innocentia S. Theodorici, ut panni, quibus ipſe adhuc infans involvebatur, cùm abluerentur in fonte, nullis ſordibus inquinaverint aquas, ſed lotione peracta quemdam cœleſtis ſuavitatis odorem emiſerint.

Digitized by Google

Ex quo facilè conjectabant tunc omnes, quiqui miram faſciarum fragrantiam naribus ſuis hauſerant, qualem in Eccleſia Dei diffundendum olim fore odorem ſanctitatis ab eo, cujus cunabula tanto redolerent prodigio. Conſiliorum bonorum remigio è pelago mundani maris enatans, Remigio ſancto Rhemorum Navarcho adhæſit, & habitu Canonico inſignitus haud procul ab urbe ſylvoſum montem in conſtructa à ſe Eccleſia, atque Collegio pietate celebrem, regulari diſciplinâ ſpectabilem, & operum mirabilium perpetratione copioſum reddidit. Aliquando cum S. Remigio Canonicas in ambulando perſolvit horas, & ecce caſtum Theodorici odoratum! Ad locum proſtibulis infamem in tranſitu vix utérque pervenit, Theodorici vox illicò ita faucibus hæſit, ut ne verbum quidem valeret ampliùs proferre. Stupenti iſtum rei eventum S. Remigio cùm Theodoricus aperuiſſet, Deum averſari preces, quæ in loco, ab infamibus lupis deturpato, funderentur, S. Antiſtes regiâ facultate obtentâ funditùs evertit ſpurciſſima lupanaria, ac pro iis S. Virginum Cœnobium excitavit. Nec tota Gallia liliorum ſuorum, uti Theodoricus ſuæ ſanctitatis odorem, in omnem propagavit regionem. Nam catervatim advenientes cæci, claudi, muti, à dœmonibus & maleficiis oppreſſi, ipſéque Rex Theodoricus malè affecti oculi, ac à medicis deſperati expertiſſimum probavêre Æſculapium. Ejus funeri Calend. Julii circa A. Dom. 520. Rex cum magno comitatu Nobilium interfuit, ſuóſque ſuppoſuit humeros, ut medici ſancti patrocinio fulciretur. Et certè diutiùs portâſſet S. pignus, ſuaviſſimo, & empyreo repletum odore. Unde Poëta:

Cur malè non olet, inquiris, corpus? tibi dico:
Quod bene ſemper olet, non malè olere poteſt.

Ex Conſtant. Chin. Offic. Can. Reg. qui cum ſpeciali approbatione S. Congreg. Rituum 20. *Novembris* 1683. *ſancti Theodorici Canonici Regularis & Abbatis* 4. *Julii ſub ritu duplici feſtum celebrant.*

ARTICULUS VI.
De mortificatione tactûs.

SUMMARIUM.

236. *Tactus omnium ſenſuum periculoſiſſimus eſt.*

237. *Documenta quoad mortificationem ejus referuntur.*

 S. Baſi-

Digitized by Google

236 S. Baſilius l. de vera virgin. ita ſcribit ad ſuos: *Tactum, ut ſenſuum omnium pernicioſiſſimum, & ſaviſſimè blandientem, ſenſúſque reliquos in ſua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum, & perturbationibus minimè pervium ſemper, quàm maxima poterit, cura ſervabit.* Nam ſenſus iſte malitiâ ſuarum illecebrarum adeò contentus non eſt, ut cæteros etiam ad voluptatem non moveat, & impellat. Dein tactus, ſicut ignis, totum corpus penetrat, & velociſſimè inflammat; uti habet ibidem S. Baſilius. Quare, quia pluribus tactûs mala diducere hìc non vacat, ad religioſas mortificationes convertimur.

237 1. Ergò Religioſus curam maximam impendat, ut carnem ſuam delectationis gratiâ, imò etiam ſeclusâ omni delectatione, nunquam, ſi fieri poteſt, tangat.

2. Fœmineam carnem, etiam propriæ matris vel ſororis, non contingat. Nam, ut ait S. P. N. in Reg. c. 5. *non ſolo tactu, ſed affectu quoque, & aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum.* Nam, ſi *etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit caſtitas ipſa de moribus*, quò fugiet à tactu immundo?

3. Nunquam ab alio in nuda corporis parte ſe tangi, vel attrectari, aut oſculum figi, vel manibus comprimi etiam joci gratiâ ſinat.

4. Quia mox data documenta mortificandi tactum *negativa*, ut ajunt Theologi, ſunt, alia, & quidem *poſitiva*, ſunt frequentes diverberationes corporis flagellis factæ, geſtationes cilicii, & ſimiles diſciplinæ.

5. Muſcarum morſus, item culicum & pulicum tolerati, moleſtiſſimum tactui incutiunt ſenſum doloris.

6. Si genuflexus per horam meditationis, vel tempore examinis nullo fulcro utatur, neque quoad pectus, manus, tergum, & latus, ſed ex omni parte liber opus peragat.

7. Dum ſedet, tergum ad parietem, vel ſellæ retinaculum, vel fulcrum non reclinet; uti ſcribitur de S. Laur. Juſt. quòd, dum Divina canerentur officia, non dextrâ, non lævâ ſedilibus hæſerit, & hunc ſitum ſemper in pſallendo ſervârit. Ita etiam ſcribit P. Nic. Lanc. opuſc. ſpir. f. 145. de P. Balt. Alvarez, quòd is ſedens unum attolleret pedem, & ita directiſſimum ſublatum in aërem non ſine magno ſenſu moleſtiæ ſine fulcro teneret. Nunquam etiam in ſede coriacea ſedebat, aut in alia, quæ retrò haberet reclinatorium, etiam cùm eſſet convaleſcens, & corpus aliqua requie indigeret: ac propterea nunquam in cubiculo ſuo habuit, niſi ſellam ligneam plicatilem ſine reclinatorio.

8. Su-

Digitized by Google

8. Super humum, vel nudos aſſeres cubare, aut molliore lectulo non uti, vel ita jacere in lecto, ut tantùm media pars corporis inferior cubet, altera à cingulo uſque ad caput inſtar ſedentis ſe habeat, bona eſt mortificatio: ubi tamen obſervari debet, ne ſanitas detrimentum patiatur.

9. Fricatione carnis pruritum, è ſanguine accenſo oriri ſolitum, non leniat: ſi frigoris incommoda toleret, non accedendo hyemis tempore ad fornacem; ſi ſtando vel ſedendo diu uſque ad defatigationem corporis & moleſtiam legat, ſtudeátque, eáque ex ferventi Dei amore faciat, materiam præbet magnorum apud Deum meritorum.

10. Manè excitatus ſine ulla mora proripiat ſe ex lecto, nec luctam, aut diuturniorem morulã ſomni inſtituat. Item ſi poſt prandium ſomno adrepente nolit in ſella obdormire, multò minùs in lectum concedere.

11. Dum ſolus eſt in cubiculo, expanſis brachiis, flexîs genibûs ad Deum orare, humum oſculari, præſertim manè & veſperè, ante & poſt ſomnum inſigniter meritoria mortificatio eſt.

12. Denique centenæ interdiu, & continuò poſſunt occurrere ſe ſensúſque corporis mortificandi occaſiones, ſi attendat, & accumulandis meritis, impetrandis gratiis, minuendis malis habitibus, & peccatis ſedulò ſtudeat Religioſus. Et quia à teneris aſſueſcere pietati ſemper bonum eſt, incumbat Religioſus Tyro totis viribus per annum Novitiatûs ad quotidianas mortificationes, & heroicas ſui victorias: nihil tamen mortificationis durioris aſſumat ſine præſcitu ſui Magiſtri; hac enim ratione indiſcretio, quæ ſummè eſt vitanda, cavebitur, & opus cum præſcitu Superiorum peractum magìs erit meritorium. Hinc mirum aliquando non eſt, quòd quidam putent, inſigniter ſeſe mortificare, nec quidquam tamen proficiant in virtutibus. Cujus nempè cauſa eſt; quia ſpirituali Patri ſinceriorem vivendi modum, & aſſumptas mortificationes ſtudiosè abſcondunt. Ille verò Religioſus, qui mortificationes, & ſe mortificandi occaſiones fugit, vel negligit, nullum plerúmque in virtutibus progreſſum, nullámque vitiorum extirpationem faciet, quin etiam vix nomen Religioſi meretur; utpotè qui mundo, carni, ejúſque concupiſcentiis mortuus, nempe mortificatus, eſſe debet.

IGNIS

Digitized by Google

IGNIS URENS.

TActum in alieno corpore, illecebroſæ præſertim fœminæ, eſſe quaſi ignem, urentem animos virorum, Cornel. in Eccleſ. c. 9. diſertè probat. Atque hinc monet Sapiens v. 12. *Cum aliena muliere non ſedeas omninò, nec accumbas cum ea ſuper cubitum.* Quæ monita ſalutaria explicat S. Hieron. l. 1. contra Jovin. quòd mulieris tactus, quaſi contagioſus & venenatus, ſit viro fugiendus non minùs, quàm rabidiſſimi canis morſus. Ignem ergò urentem projiciat, nî in favillam abire velit.

Quàm gratam cœlo eſſe mortificationem corporis, demonſtrat Cœlitum Regina, quæ S. Thomæ Cantuarienſi aliquando apparuit, ipſúmque in reficiendo cilicio, quod frequenti uſu attriverat, ita familiariter juvit, ut extremum cilicii tenente Thoma, ipſa ex adverſo alteram ejus ſumitatem teneret. Erat in ejus Diœceſi Sacerdos pauper, & parùm doctus, qui nullum aliud Sacrum niſi de B. Virgine dicere poterat. Hic apud S. Th. delatus, juſſus eſt deinceps Sacrificio abſtinere. Unde mœrore confectus ad Dei Matrem ſe convertit ſimplex, ſed pius Presbyter, ſuámque inopiam ac bonam mentem eidem exponit. Conſolata ſuum famulum B. Regina juſſit, ut ad Archiepiſcopum à ſe miſſum ſe conferret, quo facto priſtinam facultatem ſacrificandi eſſet obtenturus. At ille, *Virgo ſanctiſſima*, inquit, *me pauperculum ſacerdotem non audiet, neque ad eum aditus mihi patebit.* Monuit nihilominùs S. V. denuò Sacerdotem, ut Præſulem adiret, ejúsque miniſtros, ſi prohibere vellent, moneret, habere ſe magni momenti negotium, quod audire ipſum oporteret: admiſſus deinde ad colloquium pro ſua cauſa diceret, ſe à Matre Dei miſſum, quæ Antiſtitem tali hora & loco adjuviſſet cilicium reſarcire. Quare magnæ Matris mandata executus ſanctum Præſulem tam amabili argumento convicit, ut protinus indulſerit Sacrum pro more in honorem Deiparæ peragendi facultatem. *Ex vita, & auct. cap. 2. cit.* Reverendiſſ. Richardus Olzenagus Vercellenſis Italus hoc genere mortificandi carnem inſignis effulſit. In ſacrum Ordinem & illuſtriſſimam Congregationem admiſſus 37. annis Philoſophiam ac Theologiam maximo cum honore & labore prælegit. Præditus erat memoriâ prorſus ſtupendâ, ut, quidquid legit, retinuerit, capaciſſimi ingenii acumine obſcuriſſima penetravit adeò, ut illum Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalis Hercules Conzaga Mantuanus in epiſtola quâdam ad Ludovicum Majo-

Majorarum noſtrum Epiſcopum Caſtelanum A. 1562. datâ *Summum Theologum* appellârit. Probitati ac Innocentiæ vitæ ſemper ſtuduit, nec ſenex, & in Abbatiali dignitate exiſtens ea omiſit, quæ juvenis adhuc in mundo poſitus exercuit, vigilias ſcilicet, jejunia, ac inſignes corporis macerationes. Fuit ex illis unus, qui à Congregatione Lateranenſi ad Concilium Tridenti congregatum fuerunt miſſi: ubi durante Concilio diem clauſit extremum A. 1562. ætatis 70. *ex Lycæo Lateran. Abb. Roſini l. 16.*

Pariter Gebhardus, Engelberti Halæ Oenanæ Dynaſtæ filius, florenti etiamnum ætate poſt tredecim annorum ſtipendia facta Cæſari Oenobarbo, res, quibus affluebat, ampliſſimas, ac arridentis fortunæ invitamenta Reicherſpergenſis Collegii in Bavaria diſciplinæ poſthabuit, cui ſtatim ſe poſt comitia Babenbergenſia anno 1169. octavo die Septembris ipſo Virginis Virginum Natali conſecravit matris Hedvvigis, & duarum ſororum exemplo, quæ nuper in parthenonem, eodem loco à Venerabili Gerhoho Præpoſito conditum, & ſanctis informatum moribus conceſſerant. Poſt inſignia mortificationis ſacratæ opera 16. Octobris deſiit vivere A. 1175. *Ex Chron. Reicherſperg. f. 239. & 248. Annal. Bav. p. 1. l. 22. n. 35.*

Concludimus cum Reverendiſſimo Georgio Wagner Canoniæ Dietramicellenſis Præpoſito digniſſimo, qui poſt eximias à corpore ſuo reportatas victorias in Præſulem electus ſtatim pro innata in B. V. pietate ſodalitium SS. Roſarii, nec non ſacellum inſigne doloroſæ Virgini in Eremo dictum à fundis erexit. Vixit A. 1661. *Ex lit. mort. & doc. M. S.*

ARTICULUS VII.
De mortificatione intellectûs.

SUMMARIUM.

238. *Mortificatio intellectûs difficillima, pro qua*
239. *Quædam ſunt notanda, &*
240. *Præſertim curioſitas refrænanda,*
241. *Iudicium proprium regulandum.*
242. *Mala judicii temerarii, & cauſa iſtud rejiciendi.*
243. *Regula mortificandi. Additur frænum rationis.*

238 Cùm ex ſupradictis ſatis jam conſtet, mortificationem externam in corpore inutilem, & vix ullam eſſe, niſi acceſſerit interior,

Digitized by Google

rior, nempe in potentiis ſpiritualibus, quarum primatum tenet intellectus, ſine quo voluntas operari nequit: quia, quod non cognoſcitur, deſiderari non poteſt; nam *ignoti nulla cupido*. Et apud Philoſophos, *nihil volitum, niſi præcognitum*. Maximè igitur oportet rectificare, & regulare cognitionem, ut ſic etiam ordinata fiat volitio. Difficillima planè ab omnibus judicatur mortificatio intellectûs, à quo curioſitas initium trahit, quæ Religioſo pernicioſa, & ſummè eſt vitanda; ut ait *Eccl. c. 3. in ſupervacuis rebus noli ſcrutari.* Conqueritur etiam Chriſtus de quibusdam curioſis Religioſis apud Venerabilem Thom. Kemp. *l. 3. c. 4. his verbis: quidam non ſincerè coram me ambulant, ſed quadam curioſitate, & arrogantiâ ducti volunt ſecreta mea ſcire, & alta Dei intelligere, ſe & ſuam ſalutem negligentes. Hi ſæpè in magnas tentationes & peccata propter ſuam ſuperbiam & curioſitatem, me eis adverſante, labuntur.* Quod idem S. P. N. *l. 1. confeſſ. c. 35.* deplorat, ſuámque curioſitatem ſciendi deteſtatur.

Unde ab intellectu expellenda eſt curioſitas ſciendi naturæ ſecreta, & ſcrutandi arcana Dei, Superiorum, & proximorum facta. Legitur in vitis SS. PP. apud Surium in Novembri de S. Winoco, quòd, cùm Molendinum ejus ſponte per Dei gratiam curreret, curioſus frater, volens hoc cernere per foramen, cæcus factus ſit. Tales curioſi ſunt ſimiles gallinis è ſtercore granum quærentibus, quæ bona prætereunt, & mala proferunt; uti h. l. Reverendiſſ. Udalricus conqueritur.

Igitur ante omnia purifican- 239
da eſt phantaſia, ne hauſtis fœdis ſpeciebus intellectus per cogitationes guloſas, immundas, avaras, ſuperbas, odioſas, aliáſque cogitationes peccaminoſas, & prohibitas extra ſe vagetur: de quibus S. P. N. L. *Salutaria documenta c.* 14. tradidit, *ne quæſo*, inquiens, *permittamus cogitationes pravas, ne tanquam minima negligamus; quia, qui minima ſpernit, paulatim decidit: abſcindamus virgulta ſpinarum de agro cordis noſtri, ne defigant in nobis malas radices.*

1. Cogitationes turpes fovere idem eſt, ac ſtercus & porcos admittere in nobile palatium, & turpem meretricem ad amplexum. Tunè diu ſervabis carbonem in manu? ſimiliter cogitationes malæ maturè à te abjiciantur. Præcipuè curioſitas evitanda eſt in precibus, illuſtrationibus, viſionibus, revelationibus, aliíſque Divinis gratiis; ſicut conqueritur S. P. *l. 10. confeſſ. c. 35. à te Domine Deus meus, cui humilem famulatum, ac ſimplicem debeo, quantis mecum ſuggeſtionum machinationibus agit inimicus, ut ſignum aliquod petam.*

2. Evi-

2. Evitanda eſt curioſitas varia experiendi, diſcendi, legendi Poëtas, Oratores, Philoſophos &c. niſi adſit neceſſitas, aut Superioris voluntas, quæ ad altiorem finem dirigit hæc ſtudia: unde tunc iis magna induſtria impendenda eſt ad majorem Dei gloriam. Teſtatur enim in ſuis confeſſ. S. P. lectionem Philoſophorum cauſam fuiſſe, quòd fidei verum lumen aſpicere non potuerit, quantovis ingenii acumine polleret. Certè experientia docet, quòd illi Religioſi, qui nimiô plus Poëtarum, & ejusmodi nugas continenti lectioni incumbunt, ad ſapientiam Divinam nunquam pertingant, nec ſatìs apti fiant ad officia Religionis. Igitur Religioſi ſtudium præcedat oratio, & ſit ex mandato Superiorum.

240 3. Pro mortificanda curioſitate Religioſus circa ea, quæ ſui ſunt inſtituti, animum teneat occupatum; hoc modo vanis, otioſis, maliſque cogitationibus non erit locus.

Cogitet ſæpè illud Sapientis conſilium *Eccleſ. 3. altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus.* Vide 4. *l. de imit. c. ult. Thom. Kemp.*

4. Cogitationes ſuas vanas, & frequentiores Patri ſpirituali aperiat.

5. Eas ſingulis quaſi horis diſcutiat, & exacti temporis ab eis ſeveras rationes repetat. Hujus S. diſcuſſionis memoria à quibusdam cruce, in pectore ad primum cujusque horæ ſonitum occulto pollice conſignata, refricatur.

6. Quotidie mentem bona cogitatione, dum ſurgit, præoccupare ſtudeat, obfirmando animum contra malas cogitationes.

Porrò ad actus intellectuales 241
maximè ſpectat proprium judicium, quod fertur vel ſuper rebus ſacris & profanis, vel adverſùs perſonas ſacras, aut ſæculares; quoquo modo id fiat, fallibilitati, & errori obnoxium eſt ex amore proprio juxta monitum Sapientis *prov. 3. ne innitaris prudentiæ tuæ.* Id eſt, uti interpretantur DD. judicium tuum alterius judicio ſubjicias. Similes ſunt adeò proprio judicio adhærentes ebriis, qui nolunt eſſe vel dici ebrii, ſed ſobrios ſe putant, pertinaces ſcilicet, quod ignorant etiam, ſe credunt ſcire; ſicut oculus læſus non poteſt bene videre, ita judicio proprio præoccupatus non rectè valet diſcernere; ùt ait S. Baſil. *in pſalm.* 33. *Quemadmodum enim oculis viſibilia exactè deprehendere non valemus, ſic corde turbato nemini conceditur incumbere veritatis cognitioni.* S. etiam Chryſ. id exponit in *c.* 2. *ep. ad Gal. Quemadmodum oculus turbatus aliud pro alio cernit, ita*

mens pravarum cogitationum confuſione perturbata idem pati conſuevit. Mortificatione ergò indiget intellectus in ſuo judicio, quod fit ſequentibus. 1. Si nihil ſine conſilio agas juxta exemplum S.P.N. qui ajebat: *Ego ſenex, & Epiſcopus paratus ſum à puero doceri.* 2. Alienum conſilium etiam ſimplicioris Confratris lubens ſequere; niſi ſit contra diſciplinam regularem. 3. Conſilium Superioris ſuper omnia æſtimes, & perfectiſſimè ſequaris; quia ſanitatis conſilium petentibus reſpondit Chriſtus *Lucæ 17. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*: promiſit enim Deus *Exodi 4. Ego ero in ore tuo, docebóque te, quid loquaris.* Quis autem Deum loquentem non libenter audiat, bonáque ejus conſilia ſequendo approbet? Odioſi certè maximè ſunt Deo, tanquam Providentiæ Divinæ contemptores, pœnámque ſuo tempore luent graviſſimam, qui Superiorum conſiliis, in bonum Monaſterii datis, adhærere nolunt; uti oſtendit exemplo miſerabili Lairv. f. 726. 4. Secretò data Patris ſpiritualis conſilia nulli alteri aperias, cùm hæc in bonum tuum data præſumantur. 5. Nihil de te ipſo determines, ſed totum te Superiorum diſcretioni committas. 6. Judicium proprium ſuſpectum habe, & frequenter cogita, nihil gratius Deo offerri poſſe propriô tuô judiciô.

Judicium proprium ſequitur 242
judicium temerarium proximi; quod Divinæ odioſum eſt Majeſtati, & maximè diſplicet Deo, habétque ſpeciem detractionis mentalis; quod enim contra bonam famam proximi ore exprimitur, id judicium temerarium in mente retinet. Judicare enim de proximo ad Deum & Superiores pertinet: & hinc humanum judicium *imprudens direptio Divinæ dignitatis* palàm aſſeritur à S. Climaco gradu 10. Quàm verò nocivum ſit tam temerè judicare, docet S. Macarius, dum ait: *viam ordinariam ad excidendum ex gratia Dei eſſe cogitationes, quibus homo incipit extolli, & condemnare alios*: ùt fuſiùs deducit P. Lanc. *de b. paſſ. Dom. c. 17. f. 313. n. 161.* Plures itaque ſunt cauſæ judicium temerarium mortificandi. 1. Quia Divinam ſibi vendicat dignitatem, & auctoritatem, cui relinquendum eſt judicium de homine; ùt mox diximus. 2. Quia velociſſimum eſt, & propterea non bene ponderatam, ſed potiùs crudelem fert ſententiam; ſicut David in eum, qui ovem pauperi ſurripuit, dum Natan Propheta allegoricè ipſum accuſârat 2. *Reg.* 12. 3. Quia in proprium authorem injurioſum eſt; indicat enim malè affectum eſſe temerariè judicantis animum: tales enim ſunt aquæ, quales continentur in fonte, ſi hic ſit limpidus, lympha promanans etiam erit

Digitized by Google

erit pura. Ita *omnis affectus habet, ut in quo ipſe inſanit, omnes furere putat*, teſte Climaco: prout inſinuat etiam Eccleſiaſtes 10. *c. in via ſtulti ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* 4. Quia, qui alterum judicat, exiguúmque defectum arguit, majorem in ſe plerumque non notat; ut monet Chriſtus *Matth. 7. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* 5. Quia, quamdiu alterius vitia & defectus curiosè ſcrutatur temerarius judex, tamdiu ad correctionem ſuorum non venit: quod S. Proſper noſter l. 2. de vitæ contempl. c. 6. clarè demonſtrat his verbis: tamdiu quis peccata ſua, quæ noſſe ac deflere debet, ignorat, quamdiu curiosè aliena conſiderat: quòd ſi mores ſuos ad ſe converſus aſpiciat, non inquirit, quod in aliis ſpecialiter reprehendat, ſed in ſe ipſo quod lugeat. 6. Quia judicium temerarium quietem animi perturbat, concordiam & pacem fraternam tollit, externos mores & vultûs amabilitatem fœdè inficit, atque converſationem humanam maximè difficilem reddit. Hæc de cauſis: nunc de modo refrænandi judicium noſtrum tractare oportet.

243 Mortificatur itaque judicium temerarium 1. charitatem ſinceram exercendo: hæc enim non æmulatur, non agit perperam &c. nam, qui rectè diligit, rectè judicat. Experientiâ etiam conſtat, ibi eſſe nullum judicium temerarium, ubi ſincerus eſt amor: quod ſanctè docet S. P. N. *in pſal.* 118. *Profectò contra malum hoc, quo quisque libenter de homine malum, quod non proſpicit, ſuſpicatur, charitas habenda eſt, quæ non æmulatur.* 2. Bonum à malo priùs prudenter diſcerne, vitium & virtutem ob oculos tibi pone; & quidquid audis, vel vides de proximo, magis excuſa apud te, & in meliorem partem trahe. 3. Semper bonum de alio cogita; bona enim cogitatio cogitanti nunquam fuit noxia, & pacem internam bene cogitanti adfert: de quo S. P. N. ita agit *in pſ.* 147. *quid agit pax?* & ſibi reſpondet: *De incertis non judicat, incognita non confirmat, proclivior eſt ad benè credendum de homine, quàm ad malè ſuſpicandum.* 4. Cogitandum non eſt, & malè judicandum de ſæcularibus, ſi paulò liberiores deprehenderis, nec indiſcretè admonendi de defectibus ſunt, niſi alia corripiendi neceſſitas adſit, ut in Superiore &c. 5. Propria peccata ſemper ob oculos tuos habeas, aliena verò in tergum tuum rejicias, quaſi nec videre velis, & poſſis. 6. Neminem damnes, deſpicias, neque de ullius peccatoris converſione deſperes, &, ſi peccantem ante oculos tuos videres, cogita te ſtantem æquè labi poſſe, & turpiùs, ſi Dei gratia te deſe-

Digitized by Google

deſereret. 7. Superiorum actiones nunquam carpe, nec tibi præcipientibus in corde tuo obloquere, vel indiſcretionis argue; quia per Superiores regit Deus, qui temerario hoc judicio offenditur.

FRÆNUM RATIONIS.

MOrtificatio proprii judicii haud inepto ſymbolo exprimitur *frænum rationis.* Sicut enim componere os ad rectè loquendum & tacendum, eſt refrænare linguam, ùt notat Siracides Eccleſ. 29. *Verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos &c.* Ita quoque proprium judicium ad leges veræ prudentiæ & ſapientiæ dirigere, eſt frænum injicere rationi, ne ad quasvis ſpecies à phantaſia communicatas, ſicut ad apprehenſionem, ita ad judicium tam facilè & temerariè prorumpat. Rationis frænum ſit illud Matth. 7. *nolite judicare, & non judicabimini.* Rationis frænum ſit, quod docet S. P. N. epiſt. 174. to. 2. quia *iniquum eſt, ut quisque judicare de alio velit, & judicari de ſe nolit.* Et in pſal. 139. in præfat. *Difficile eſt in hac vita, ut nos ipſos noverimus, quantò minùs debemus de quoquam præproperam ferre ſententiam? quia ſi hodie malum novimus, cras qualis futurus ſit, ignoramus.* Hinc idem S. D. ſer. 236. de temp. *perverſum judicium* à propria malitia deſumendum eſſe ait. Si frænum Catholicæ veritatis intellectui ſuo injeciſſent Calviniſtæ, illorum non perverſum fuiſſet judicium.

Beatus Joannes Oſtervvicanus Belga Canonicus Regularis Rüggenſis Congregationis Windeſemenſis, glorioſus pro fide orthodoxa Gorcomii athleta, enſi potiùs, crudeliqúe lanienæ ſubjiciendum corpus eſſe cenſuit, quàm ſanum de Sede Apoſtolica Romana, & præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia judicium Calvinianæ hæreſi ſubmittendum. Crudeliter igitur A. Chriſti 1572. ætatis verò ſuæ 70. à Sectatoribus Calvini cum aliis glorioſis Martyribus occiſus cœleſtem promeruit laureolam.

Scribitur de eo, quòd, dum vixit inter ſuos Concanonicos, in more poſitum habuerit, nunquam focum accedere ſe calefaciendi gratiâ, ſive bona ſive adverſa frueretur valetudine, etiam in provecta ætate, & regione tam frigida minúsque ſalubri conſtitutus. Ut adeò ob tam præcellentem mortificationem à Deo Martyrii coronam eidem fuiſſe deſtinatam, mirum non ſit. Ea quoque charitate Deo ſemper inſerviebat, ut morum accedente pro-

probitate omnibus eſſet exemplo. Prætereà religioſa prudentique ſimplicitate ſpectabilis ob generoſam ſuiipſius victoriam, & omnis ſenſualitatis ſubjugationem Canoniſſis Regularibus Gorcomii regendis præfectus ad tantam vitæ regularis perfectionem illas perduxit, ut inter graſſantes Calvinianæ hæreſeos crudelitates pro Deo & fide conſtantes in omni occaſione perſtiterint. Cùm quendam ex ſuis Canonicis Brilæ ferro martyrii coronam reportâſſe audiiſſet, maximo inflammatus deſiderio exclamavit: O utinam! utinam & mihi hæc gratia fieret à Deo meo! quantas quantas ipſi agerem gratias! quam etiam accepit 9. Julii. *Ex Guilelmo Eſtio, auctario ad nat. Belgii Joan. Molani, & off. Can. Reg. Windeſ.*

Conſimilem pugnam fuerunt ingreſſi, parémque triumphum promeriti P. Jacobus Cruquius Goudanus, & P. Cornelius Reinerus Schonhovienſis ex Congregatione Windeſemenſi, & Monaſterio S. Michaëlis propè Schonhoviam: Quibus accedit Theodoricus Gerardi Hollandus paris Profeſſionis & Martyrii Regularis Canonicus.

Vigeſimus primus dies menſis Octobris Anni 1572. illuxerat, cùm hi duo viri ab Hollandis in odium Catholicæ Religionis in vincula darentur. Jacobus quidem vir erat mitis ingenii, placidiſſimorum morum, ferventis charitatis, ac inconcuſſæ fidei, jámque ætatis egerat annum 58., Cornelius Reinerus verò florentis ætatis, ac elegantis formæ.

In carcere proinde conſtituti totâ nocte convitiis, execrationibus, ſannis, alapíſque affecti, tandem pedibus ab improbiſſima ſcurrarum colluvie uſque adeò proterebantur, ut ne vix quidem à civibus dignoſci potuerint. Manè cùm ad præfectum rerum criminalium adducti eſſent, hujusmodi calumniam gens fallax ac perjura cominiſcitur, infectas nimirum veneno glandes plumbeas in veſtibus eorum repertas fuiſſe. Quibus auditis Britanni Gallique globatim magno cum furore prætorium versùs decurrentes, poſtquam haſce glandes caſtrorum præfecto Lummæno, aliisque tum præſentibus oſtendiſſent, Canonicos ad pœnam rabie perciti depoſcunt. Annuit ſtatim Lummænus, atque captivos non auditâ ulteriùs causâ illicò decernit extremo afficiendos ſupplicio. Deducuntur ergo ad furcam, pias interim preces ad Deum fundentes. Inter eundum obviam habuit Cornelius ſororem & matrem: quas dum inopinatò conſpicit, *en*, inquit, *mater chariſſima, túque amica ſoror, quo modo ad ſupplicium, nil tale promeritus, pertrahor: vos Deum interim, ut delictorum juven-*

ventutis meæ immemor eſſe, meique miſereri velit, rogate. O ſanctum & ſanum, quia humile, de ſe judicium B. Martyris! Stabant ſubinde ambo vincti ſub ferali nucis arbore, cùm Cruquius confertam, quæ ad ſpectandum ultimum ejus ſupplicium advenerat, multitudinem poſtremis non tam allocutus, quàm ad virtutis amorem vitiorúmque odium adhortatus eſt verbis. Tum ad ſcalam, quæ arbori inclinabat, in genua complicatis manibus provolutus, ſupremo Numini animam ferventi oratione commendavit. Deinde plenus ſpe, fiduciáque in Domino, à malo vinci nolens, ſed in bono malum ſacratiori ratione vincens, ex imo pectore pro perſecutoribus ſuis, Chriſtum imitatus, tali formulâ orabat: *Pater ignoſce illis, quia ignorant, quid faciunt.* Poſt hæc ambo fide clari atque invictâ conſtantiâ ex arboris cæteris eminentioris ramo ſuſpenſi glorioſum Martyrii curſum compleverunt 21. Octobris. Deciderant poſtmodùm præciſis funibus ex arbore martyrum corpora, veſtibúſque detractis fœdè ad opprobrium Catholicorum, & ludibrium petulantis plebis pudendum in modum nuda, in platea jacuêre: dum interea animæ eorum ſtolâ immortalitatis, quas in ſanguine agni laverant, veſtiebantur. Sub veſperam in B. Eliſabethæ cœnobio ad templi introitum eodem, quo pependerant, modo terræ mandabantur abſque pompa & Eccleſiaſtica ſolemnitate, Catholicis ſub pœna capitis interdictâ.

His accenſendus Theodoricus Gerardi Hollandus ejusdem Cœnobii, & Congregationis vir omni ex parte tenax recti, ſcelerísque purus; qui, cùm concubia nocte in S. Eliſabethæ Monaſterio dormiret, pro fide orthodoxa à Britannis 34. vulneribus miſerè confoſſus 20. Octob. A. 1572. animam Superis reddidit. *Ex Decade 1. lib. 6. Martyrum Hollandiorum Opmeeri.* Ubi adhuc plures, qui vitam pro Deo & fide Catholica poſuerunt, ex Ordine Canonico Congregationis præſertim Windeſemenſis annotantur.

Annectimus his Martyribus alium è Patria noſtra, effuſo quidem cruore purpuratum, at violentiâ militis alieni extorto non probatum; triumphat tamen candidati exercitûs gloriâ, quia propria voluntate religioſiſſimus Martyr occubuit. Is eſt Innocentius Keferlocher natione Moſpurgenſis, profeſſione Canonicus Dieſſenſis. Peractis ſingulari cum laude in Academia Dilingana Theologiæ ſtudiis, domi poſtea Novitiorum curam aliquamdiu geſſit, tum Decanus electus eam Provinciam raro ſed imitando poſteris exemplo ſtrenuè adminiſtravit. Quò altiori in loco lucerna cæteris prælucerèt, inno-

cen-

centiſſimos mores præſetulit, nomine & re Innocentius, jam à ſuis Convictoribus religioſis communi titulo *Angelus* compellatus. Silentii regularis quà domi quà foris rigidiſſimus & exactor, & obſervator: ſi in alio ſubinde moraretur Cænobio, ubi ſuo tempore ſignum ad ſilentium dari audivit, mox interrupto omni colloquio piſce magìs mutus, exercitiis ſuiſque negotiis vacaturus ſecedebat. Carnem ciliciis, flagellis, aliisque mortificationum operibus non tantùm interdiu domabat, ſed nocturno etiam tempore plerúmque nudo aſſeri, trunco, culcitræ locò capiti ſubſtrato, indormiebat. Æſtate ex horto urticas ad cubiculum ſuum deportabat, quas in lecto hinc inde diſperſit, ſomnum in illis noctu capturus. Choro die ac nocte interfuit; ubi ardentiſſimè, & tanta compoſitione corporis canonicas preces perſolvit, ut alios ad parem devotionem excitârit. Suis cum oculis velut Job fœdus pepigiſſe videbatur, ut ne cogitaret quidem de virgine; tantoperè ab aſpectu diſparis ſexûs abhorruit: atque hæc angelica Innocentii caſtitas ex oculis, & venerandâ vultûs modeſtiâ emicabat. Aſſeruerunt quidam, quibus viri virtus magìs erat perſpecta, Patres ſcilicet ſpirituales, Innocentium præſentem ſibi habuiſſe Angelum Tutelarem, ac aliquoties ſecum familiariter colloquentem, arduum quoque cum S. V. Thereſia emiſiſſe votum efficiendi ſemper, quidquid perfectius eſſe intelligeret. Hinc poſt Reverendiſſ. Præpoſitum Simonem Werlinum reformatæ diſciplinæ cauſa fuit. Quorumdam futurorum, & obitûs ſui præſagus 22. Octob. vitam cum morte, aut potiùs religioſam mortem cum meliore vita commutavit A. 1652. *Ex Reverendiſſ. Grueber, & M. S. Dieſſenſibus.*

ARTICULUS VIII.
De mortificatione voluntatis.

SUMMARIUM.

244. *Deſcriptio voluntatis propriæ, & reſignatæ.*

245. *Ponuntur gradus perfectæ voluntatis; & quidem primus,*

246. *Secundus,*

247. *Tertius,*

248. *Mala voluntatis propriæ graphicè deſcribunt S. S. P P.*

249. *Regula mortificandi voluntatem propriam.*

250. *Indicia certa reſignatæ voluntatis.*

244 S. Bernardus *ſerm.* 3. *de reſurr. Dom.* deſcribit voluntatem propriam, eámque vivis coloribus depictam ita ob oculos ponit: *Propria voluntas eſt, quæ non eſt communis cum Deo, & hominibus; ſed noſtra tantùm, quando, quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum.* Se ipſam igitur quærit, in ſe delectatur, ſe totam ſibi & propriis tradit commodis; atque ubi imperium eſt regnantis hujus voluntatis, ibi omnes animæ portæ mox aperiuntur, omnes corporis ſenſus in promptu ſtant, ut ancillentur, & omnes Reginæ hujus malæ nutus exequantur.

A contrario reſignata voluntas eſt Deiformis, quia quidquid ille vult, ipſa quoque placitum habet, approbat, & purè ad Dei gloriam vult. Recta hæc & integra eſt, nihil omnino vitioſæ habens admixtum proprietatis, adeò in voluntatem divinam transformata, ut quidquid Deus facit, jubet, & vult, id tanquam gratiſſimum etiam ſibi placet, facit, exequitur, & vult.

Hanc voluntatis reſignationem Divinus Magiſter *l.* 3. *c.* 1. *de imt.* Thomam Kempenſem noſtrum docuit: *Fili, ſic dicas in omni re: Domine, ſi tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine, ſi fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo &c. Domine tu ſcis, qualiter melius eſt: fiat hoc vel illud, ſicut volueris. Da, quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit, & major honor tuus fuerit. In manu tua ſum, gyra, & reverſa me per circuitum. En! ſervus tuus ego paratus ad omnia: quoniam non deſidero mihi vivere, ſed tibi; utinam dignè & perfectè!* Ecce reſignatam, ſanctam, Deiformem, rectam & integram voluntatem! Alio in loco Novitios ſuos abnegationem voluntatis propriæ ab hac prorſus alienus vir Dei *p.* 2. *ſer.* 8. *ad Nov.* docuit, *magna*, inquiens, *& laudabilis prudentia eſt induſtria propria renuntiare, humiliter Superiori obedire, doctiori credere, experientiori aquieſcere, & in omnibus bonis Deo placitis hilarem ſe ſemper exhibere.*

Perſpectâ voluntatis propriæ & reſignatæ naturâ perfectiones & gradus ſanctæ & reſignatæ voluntatis inquirimus ex duplici ratione. 245 Primò quia ſine vera cognitione virtutis nec pretium æſtimari, nec illa appeti poteſt. 2. Quia Doctore Seraphico *in ſpec. diſc. c.* 4. *Tota Religionis perfectio in voluntatis propria abnegatione conſiſtit*: & ſapientiſſimo Præceptore noſtro Aug. *in manuali c.* 29. quia *unicuique propria voluntas cauſa eſt damnationis vel ſalvationis.*

Proin

Proin doctrina S. Bonaventuræ *to. 2. tr. de reform. p. 1. c. 12.* notanda eſt, ubi tres gradus reſignatæ voluntatis ponit, & explicat: *renuntiatio noſtræ voluntatis tres habet gradus. Primus eſt, reſiſtere vitiis, qui eſt ſtatus continentium.* Qui gradus ita explicatur. Quamdiu in nobis peccatum regnat, evidens eſt, voluntatem noſtram Deo non adhærere, ſed magis vitioſæ ad concupiſcentiam inclinationi, proin maximè recedere à ſummo bono, ut nec vitiis reſiſtat, nec ſe contineat à malo ſenſuum imperio. Hoc modo *S. Anſelmus l. de ſimilit. c. 2.* voluntatem, quæ adhuc eſt in peccatis, velut *adulteram Sponſam Chriſti* appellat. Et *eodem l. c. 37.* voluntatem propriam *ideò* vocat *adulteram*, *quia ſeparatur à Deo, cui deberet eſſe conjuncta; & Diabolo conjungitur, à quo deberet eſſe disjuncta.* Hunc primum abnegatæ voluntatis gradum *l. c.* à contrario idem S. Doctor ſic explicat: *Diabolus itaque, propriáque voluntas Deo Regi regum adverſantur, & congregatâ vitiorum militiâ regnum illius, ſcilicet hunc mundum, aggredientes prædantur.* Similiter id exprimit S. Bern. *S. c. 3. de reſur. D. quia impugnat, ipſúmque ad necem quærit.* Qui igitur peccata peccatis adauget, nec vitioſæ voluntati reſiſtit, is rebellat adversùs voluntatem Dei, ejus mandata infringit, neque Deiformem, & cum Divina convenientem voluntatem, neque primum abnegatæ gradum conſecutus æſtimari debet, aut poteſt.

Secundus gradus eſt, paſſionibus imperare, & pace frui. Effectus hic 246 planè inſignis eſt mortificatæ voluntatis, pax ſcilicet, quies, libertas, & paſſionum rebellium dominatio. Cor enim propria quærens velut mare efferveſcit, ſemper inquietum, inconſtans, & deſideriorum variorum fluctibus perturbatum: quia continua ei contingunt contraria, nec poſſibile eſt, cuncta ordinari ad nutum proprietariæ mentis. Econtra abnegando voluntatem ſumma animi pax, & tranquillitas enaſcitur; cùm animus à perturbationibus inordinatis libertatem conſequatur. Ita S. Dorotheus apud Lanc. *op. 10. f. 812.* docet, ſuóſque inſtruit diſcipulos: *ſi liberari perfectè volumus, & ab hoc ſeculo diſcedere, oderimus imprimis voluntatem noſtram, & ſic brevi divino præſidio ad impaſſibilitatem animi perveniemus.* Id eſt, ad quietem, & pacem, & ab impertinentibus affectionibus liberam mentem, & veram *libertatem Spiritûs, quam habent perfecti, & quæ per obedientiam promptam acquiritur, & in qua omnis, quæ in hac vita deſiderari poteſt, conſiſtit felicitas, ac bonum. Dum enim omnino nihil deſiderat, poſſidet omnia. Tales qui ſunt, nihil omninò terræ hujus aut timent, aut deſiderant: non illos turbant, aut percellunt labores,*

non movent gaudia ; denique nihil omninò eſt, quod pacem mentis ipſis eriperet aut eos inquietare poſſit. Verba ſunt S. *Thereſiæ l. fund. c. 5.*

247 *Tertius gradus abnegatæ voluntatis eſt, Deo adhærere, & uniri, quando jam virtutes tranſeunt in affectum cordis.* Intelliguntur autem hìc virtutes acquiſitæ, quæ ſenſibilem operandi facilitatem præbent, v. g. frequens exercita patientia promptitudinem patiendi, frequens prompta obedientia, & animi demiſſio facilitatem generat juſſa exequendi, frequens abnegatio voluntatis, & reſignatio ſuæ in voluntatem Dei tantum affectum cordis producit, ut eas appetat, & eſuriat ex amore Dei, nihilque magìs cupiat, quàm transformari in divinum beneplacitum. Et iſte gradus nobiliſſima eſt perfectio, quam anima attringere poteſt, neque enim majus bonum pura creatura affectare valet, quàm unionem, & aſſimilationem ipſius Deitatis, in reſignata voluntate noſtra expreſſæ. Omnes quidem homines ad imaginem Dei ſunt, ſed non omnes Deo ſimiles; cùm ſimilitudo tantùm competat iis, qui voluntatem ſuam Divinæ ſimilem habent, id eſt, Deiformem. Hanc doctrinam S. Bonaventuræ multis ante ſæculis S. Diadochus tradidit. *l. c. apud Lanc. Omnes homines ſumus ad imaginem Dei, illud autem* ad ſimilitudinem *illorum tantùm eſt, qui per multam charitatem libertatem ſuam Deo in ſervitutem addixerunt. Quando enim non ſumus noſtri, tunc ſimiles ſumus ei, qui nos ſibi per charitatem reconciliavit.*

Quod mox ſcribendo aſſeruimus, Chriſtus confirmavit S. Catharinæ Senenſi *in dial. c. 1.* dum cuidam famulæ ſuæ dixerat: *ſi peteres à me* (ſunt verba vitæ) *qui ſunt iſti?* (ſanctos illos intelligit, qui voluntatem mortificaverunt ſuam) *tibi reſponderem, ipſi ſunt, alter ego, quia ſpontè perdiderunt, & abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, & uniti, & in omnibus ea induti.* Et *c. 4. in fine* ſic Deus ait: *dico tibi, & patri animæ tuæ, quam dedi tibi ſuper terram, ut viriliter toleretis, quæ conceduntur vobis, omni voluntate propria ſenſitivâ peremptâ. Hac enim ratione omnes virtutes acquiruntur.*

Unde Caſſianus narrans, quibus viis Abbas Paphnutius Presbyter ad vitæ ſanctimoniam pervenerit, ait: *humilitatis & obedientiæ diſciplina omnes ſuas mortificans voluntates, per hanc extinxit omnia vitia, cunctáſque virtutes conſummavit &c.* Hæc de perfectione reſignatæ voluntatis, ex qua in S. Religione Superiorum & Inferiorum maxima oritur concordia, animorum fraternorum ſtabilitur pax, quieſcunt jurgia, fomes inimicitiarum extinquitur, invidia eliminatur, charitas firmatur, atque

que in tanta unione devotio augetur, in ſpiritualibus & temporalibus ad ædificationem proximorum proficiunt religioſa Collegia, & Aſceteria.

248 Si mala voluntatis propriæ & immortificatæ attendamus, tanta profectò ſunt, ut quisquis ſanæ mentis eam deteſtetur, & à ſe abjiciat, neceſſe ſit. Illa enumerantur apud ſpirituales Magiſtros, & ad hæc præcipuè capita reducuntur, prolixiùs ab aliis tractata, à nobis paucis relata; ut contraria juxta ſe poſita magìs illuceſcant.

1. Quamdiu voluntas propria dominatur in homine, tamdiu nihil, niſi mortem, eámque æternam, ſecum vehit inſtar herbæ venenoſæ atque mortiferæ, quam medicus periciſſimus interdixit. Ita S. Anſel. *l. ſimil. c.* 30.

2. Propria voluntas impugnat Deum, ipſúmque ad necem quærit, omninò enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire; ut habet S. Bern. *ſer. cit. de reſur.* Cujus ratio eſt: quia ſe ipſam ſubtrahit ejus dominatui, Ccreatori ſervire detrectat, ſuas tantùm cupiditates non obſtante præcepto Divino adimplet; quod deplorat S. P. N. *in pſal.* 48. *hoc eſt hominibus magna, & uſitata perverſitas. quia cùm debeant vivere ipſi ſecundùm voluntatem Dei, volunt vivere ſecundùm voluntatem ſuam: & cùm ipſi nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes, quod ille vult, ſed quod ipſi volunt.*

3. Hoc vitio infectus animus nequit ſe à paſſionibus inordinatis extricare, non peccata maximè habitualia evitare, non triſtitiam depellere, nec ullam virtutem acquirere poteſt, quin quod Caſſ. ſcribit *l.* 4. *de inſtit. renu. c.* 43. *ſed nec in cœnobio diutiùs perdurare eum qui priùs voluntates ſuas non didicerit ſuperare.* Econtra idem Magiſter docet *l. c. c.* 3. *poſſe aſcendere eum ad ſumma perfectionis culmina, qui primitùs edoctus fuerit ſuas vincere voluntates.*

4. Juxta SS. Patres certa eſt ad infernum via, & ſubinde, ut pluribus exemplis oſtendit Lairv. *de mortificatione voluntatis lect.* 89. *& ſequentibus*, æternæ reprobationis ſignum; quia Deus prævidet propriæ ac obſtinatæ voluntatis ſectatores ad magnam virtutem nunquam perventuros, nec è cæno peccatorum emerſuros, numerum eorum à Deo præſtitutum completuros, & ita tandem in peccatis ſuis morituros eſſe. *Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit*, graviſſimè declamat S. Bern.

5. Propria voluntas eſt immundiſſima lepra animi, inimica pacis & fraternæ charitatis, vanitate tumens, alios contemnens, ſibi ſoli placens. Hæc hominem Diabolo efficit ſimillimum, qui ex obſtinata voluntate non niſi

voluntatem propriam contra Deum ſequitur. Hæc gratiarum divinarum fontem reſtinguit, ùt in quadam extaſi S. M. Magdalena de Pazzis clarè à Deo edocta cognovit. §. 1. *noſt.*
„Ab amore proprio,
„& propria voluntate impeditur
„flumen divinæ gratiæ tanquam
„aggeribus quibusdam, ne adeò
„ſe communicet, & expandat, &
„redundet in animas, uti Deus
„faceret, ſi hæc impedimenta ab-
„eſſent. Et quemadmodum are-
„næ exiguæ in littore maris ejus
„fluctus refrænant, ne ultra pro-
„fundantur; ſic amor proprius,
„& propria voluntas obſtat cur-
„ſui & flumini Divinæ gratiæ,
„quæ alioqui ſine ulla difficultate
„totum genus humanum traheret
„ad cœlum. Non eſt hoc modi-
„cum malum: ſicut non ſunt ne-
„ceſſarii montes ad cohibendum
„mare, ne effluat ulteriùs, ſed
„ſufficit ei littoris arena; ſic non
„ſunt neceſſarii montes peccato-
„rum enormium ad retinendum
„rapidum curſum Oceani gratiæ
„Divinæ, ſed ſufficit arena vilium
„defectuum, qui nobis videntur
„parvi, & non ſunt. Hæc S. Magdalena. Ex quibus graviſſimis malis facilè conjici poteſt neceſſitas mortificandi voluntatem propriam: quod fieri poteſt modis mox tradendis,

249 Propriam igitur & malam voluntatem mortificabis,

1. Tuam Deo, Superioribus, ſanctisque regulis penitus ſubjiciendo.

2. Aliorum æqualium & inferiorum voluntatem ſequere relictâ tuâ.

3. In omnibus operibus tuis beneplacitum Dei facito, & nihil proprii commodi quære.

4. Paratiſſimum te exhibe ad inſtinctum internum Dei, & ad nutum Superiorum, quomodocúnque, & quocúnque velint te duci, agi, & moveri.

5. Nunquam incurves, vel flectas voluntatem Dei, vel Superioris ad tuam; nam S. P. N. *in pſal.* 31. monet, *duas eſſe voluntates, Dei, & tuam: ſed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei; non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava enim eſt tua regula eſt illa. Stet regula, & quod eſt pravum, ad regulam corrigatur.*

6. Cogitationes omnes, & volitiones, & deſideria tanquam ſuſpecta habeas, de quibus illud Davidicum dicere non potes: *Conſilium meum juſtificationes tuæ.*

7. Quotidie magìs conare frangere voluntatem tuam, eámque rigido examine perſcrutare, quam mortificationem corporalem aſſumas. Nam S. Aug. *S. de Sanctis* diſtinguens duo crucis genera, & explicato corporali, ſic ſpirituale extollit. *Alterum eſt pretioſius & ſublimius, ſcilicet regere motus animi, litigare quotidie contra vitia ſua, increpare ſe quadam*

dam cenſurâ auſteritatis, & votis, & rixam quodammodo cum homine interiore conſerere.

8. In dubiis à Superiore voluntatem Dei exquiras, nec unquam, ſi commodè fieri poteſt, ex te aliquid determines, vel voluntati tuæ à Superiore te relinqui ſinas.

9. Si vilia tibi injungantur officia, age hilariter, & impigrè. Sic enim imperioſa voluntas ſuique amans mortificatur; ut teſtatur S. Baſ. *in reg. fuſ. reſpo.* 10.

10. Si in progreſſu alicujus operis à voluntate Dei, & Superiorum declines, & propria voluntas prædominetur, magísque tibi placeat tua, quàm Superioris, vel aliena, ocyùs corrige, & ad regulam Divinæ voluntatis tuam ordina. Ita S. P. N. *in pſal.* 32. *recti ſunt*, inquit, *qui dirigunt cor ſecundùm voluntatem Dei, & ſi eos conturbat humana fragilitas, divina conſolatur æquitas.*

11. Præſtare obedientiam exactam, voluntatis propriæ mala perpendere, & merita à voluntate reſignata provenientia æſtimare, abnegatæ voluntatis magnum eſt indicium.

12. Interdiu aſſueſce precibus jaculatoriis, animúmque recollige, & in beneplacitum Dei te offer ſimilibus: *Domine, quid me vis facere? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum! paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua! Pater non mea, ſed tua voluntas fiat! Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me!* Joan. 6.

Quod attinet ſigna, ſeu indicia mortificatæ voluntatis, ea in Religioſo facilè dignoſci poſſunt: & enumerantur communiter à myſticis Doctoribus ſequentia. 250

1. Dum juſſa, etiam quæ videntur à ratione aliena, promptè exequitur. Cujus exemplum eſt in vitis Patrum, quòd quidam Frater aridum baculum quotidie affusâ aquâ ad virorem reduxerit, dum voluntatem ſuam Superioris ſubmiſerit, licèt videretur præceptum irrationabile.

2. Minima æquè libenter, quàm maxima à Superiore injuncta peragere; ubi enim voluntas propria adhuc reſidet, illius animus in minimis non erit ſine murmuratione.

3. Opus inchoatum ad primam Superioris vocem relinquere. Hinc quidam Anachoreta Marcus nomine mediam litteram O ſcribendo non abſolvit, cùm vocaretur ab Abbate Sylvano; ut habetur in vitis Patrum.

4. Cùm quis rerum facie turbatâ nihil inde turbatur, ſed in Dei voluntate, & beneplacito velùt in aſylo quieſcit; ùt ſupra n. 246. oſtenſum eſt.

5. Abnegatæ voluntatis ſignum

num notabile eſt, quando quis ſpontanea devotionis exercitia alacriter deſerit, ut Superiore mandante alia levia, vel abjecta etiam opera perficiat; prout exemplis id deducit Reverendiſſ. Lairv. *de mort. vol. doc. 5. ſ. 663.* Quædam enim virgo, cui Jeſus Chriſtus puerili formâ apparuit, vocata à Superiore Jeſum reliquit in Cella, & mandatum fuit executa, rediens verò jam juvenem 24. annorum invenit, ac poſt interrogationem admirabunda reſponſum tulit: *O Filia chariſſima! profunda velocis atque impigra obedientia tua humilitas me tam brevi tempore tam grandem effecit.* Bene igitur Religioſis notandum, etiam in privatis piis exercitiis proprietatem latere poſſe, eósque falli, qui illa Superiorum mandato anteponunt, vel ægrè ab illis avelli ſe patiuntur; *cùm melior ſit obedientia, quàm victima.* 1. *Reg. c. 15. Nam* teſte M. Greg. L. ult. moral. c. 12. *per victimas aliena caro per obedientiam propria voluntas mactatur.* Nobis, qui fuſiorem explanationem refugimus, hæc pauca libâſſe ſufficiat: quibus tamen integram materiam de mortificatione voluntatis comprehendimus.

MAGNES AMORIS.

QUi ita ſe abdicat propriæ voluntatis imperio, ut eam potiùs alieno ſubjiciat ex ratione ſancta & ſanâ, prudens, & ſapiens judicatur. *Magna enim & laudabilis prudentia eſt, induſtria propria renuntiare, humiliter Superiori obedire, doctiori credere, experientiori acquieſcere, & in omnibus bonis Deo placitis hilarem ſe ſemper exhibere;* prout B. Thomas Kempenſis *p. 2. ſer. 8. ad Novit.* perorat.

Prudentiam hanc cœleſtis docuit Magiſter *Joan. 6. Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.* Magnetem amoris ſi expropriationem dixero, nemo mihi improbaverit, quando oſtendero, hoc medio animos provocari, corda attrahi, & amicos ſibi conciliari; quia amor erga alium magis propalabitur nunquam, quàm ſi omnia agas, quæ altèri placent, ab eo nunquam diſſentias, ejusque placita alacriter amplectaris, & fideliter exequaris. Voluntas ſic alterius voluntati ſubmiſſa, ſicut transfertur quodammodo in voluntatem alterius, ita eam ſibi devincit, prolicit, conjunctionémque voluntatis ſuæ cum illius efficit. Unde amor, mutuus conſenſus, mutua benevolentia, mutuus favor enaſcitur, ut adeò nec inferior à Superio-

periore, nec ſervus à Domino diſſentiat, aut diverſus fiat. *Nam in Domino juſtè viventes*, (ſententia eſt S. P. N. Aug. in ſent. n. 163.) *etiam, qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare, quia non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi beneficio.* Cui convenit textus in S. Regula. *c.* 11. *ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem.* Vis ergo tuæ voluntati obſecundari? deſere prior tuam, & alterius voluntati vive, ſic trahes alienam, tibíque ſubditam reddes. Vis amari ab omnibus? tu prior ama. Vis, ut nemo te averſetur, & odio perſequatur? tu prior neminem averſeris, vel oderis. Sic abdicata voluntas tua *Magnes* certus *amoris* erit, non quidem Cyprii, aut à ſenſuum illecebris notati, quem à noſtro Tyrocinio millenis paraſangis abſentem volumus, & de quo Poëta:

Laſcivam Venerem magnetica gemma figurat:
Ut trahit hæc ferrum; ſic trahit illa virum.

Non hujuſce amoris magnes erit bene ordinata voluntas, ſed ſacratioris, & fraterni, genuini, & religioſi, ex quo in Collegio nulla diſſenſio, ſed ſuaviſſima, Deóque gratiſſima voluntatum harmonia proveniat.

Ita S. Fulcus omnium voluntati bonæ inſerviebat. Ob extremam rerum omnium inopiam ab aliis victum, veſtitúmque precariò, ſolùm à Magiſtris doctrinam gratìs accepit, ut nec minùs literas propterea coleret, quòd puriores, abnegato mero, in Helicone aquas potare cogeretur. Refractariam ſemel exhibuit voluntatem, cùm ditiores fortunâ ædes fortè pulſanti ancilla ſtipem eâ per jocum lege porrexit, ut ne infulam unquam acceptaret. Enimverò jamjam prehenſurus panem, manum illicò retraxit moriger adoleſcens, indignum ratus, tam parvo lucello magnas adeò ſpes vendere. At tam generoſus in pauperculo animus tantùm placuit ædium Domino, ut victum deinceps, cæteráque vitæ præſidia liberaliter Fulco ſuppetitârit. Poſitâ itaque paupertatis moleſtæ ſarcinâ, poſt decurſa jam liberiùs ſtudiorum ſtadia, Canonicum Regularem in Canonia Placentina S. Euphemiæ induit: ubi ad omnem Prælati, ſuorúmque Canonicorum nutum obediens Tyrocinium ſacrum explevit, profeſſúsque fuit. Poſtmodum Pariſienſis Doctoris titulo Lutetiis ornatus, mox, ut domum repetiit abſolutis ſtudiis, Cœnobii ſui Præpoſitus nondum 30. annos natus, inde à Grimerio Epiſcopo Cathedralis Eccleſiæ Placentinæ Archipreſbyter, ac tandem poſt

illius obitum ſummus Antiſtes renuntiatus fuerat.

Hìc verò Fulcus magneticam ſui in proximos amoris vim exeruit, traxítque ad larga ſtipendia muſarum clientes, atque ad propriam etiam menſam egenos induxit, ut melioris redderet fortunæ ſuæ participes, quorum miſeram aliquando expertus ſortem, omnium jam eſſe voluit parens communis. Subriſit cœlum ad inſolitos pauperum applauſus, &, ne minus donaret, quàm Placentini Præſulis ubíque deprædicata largiri poſſet liberalitas, opes & honores cum Papienſi mitra adauxit.

Ita Fulconis amor exaltatus traxit omnia ad ſe pauperum genera, ut aut hi divitiis & fortunâ illi pares, aut ille iſtis paupertate ſemper eſſet ſimilis, & ubique triumpharet, quæ permanet, charitas.

Non minori virtute magneticâ ſubditum ſibi gregem crebris concionibus, publicíſque precibus devinxit per 6. annos in Placentino, & 13. in Papienſi Epiſcopatu conſummatos. Solus Deus aureum pauperibus magnetem hunc, velut primum movens, & cauſa cæterorum mobilium rapuit ad ſe, & perennem quietem 26. Octobris A. 1230. Corpus in templo Cathedrali Papienſi honorificè conditum, ac anno Chriſti 1567. mirum ſpargens odorem repertum, ab Hippolyto Rubeo Epiſcopo eminentiori loco ad publicam cunctorum venerationem repoſitum fuit. Naturam ſuam non exuiſſe modò Fulcum credas; attrahit enim etiamnum ferrea corda, ut tandem ſeriò curramus in odorem ſanctitatis ejus. *Ex Philip. Ferrario, faſtis Marianis, & offic. Can. Reg. & aliis.*

Wichardus ex illuſtri Bolheimiorum proſapiâ ortum & agnomen ducens à teneris jam virtutibus & muſis dedit operam.

Prætextam vix exuit, cùm togam Aurelianam inter Canonicos Regulares Metropolitanos Salisburgi induit, vitæ integritate promeritus, ut poſt Presbyterium ſuſceptum in Decanum, & communi tandem Canonicorum calculo in Archiepiſcopum fuerit electus. Eum Romæ conſecratum in vigilia S. P. N. Auguſtini Clemens V. pallio condecoravit A. 1312. multa Sanctorum in Metropolitana Eccleſia quieſcentium corpora invenit, & majori cum honore in novis altaribus à ſe ſolemni ritu conſecratis recondidit. Poſt præclara merita in ſuam Sponſam collata 3. Octobris percuſſus ſpaſmo in toto corpore & graviſſimâ lethargiâ obiit 4. Novemb. Præfuit annis 3. cum dimidio, & ſepultus eſt ante aram D. Ruperti. *Ex Wigul. Hund. in Metrop. Salisburg. To. 1. & Bzovio to. 14. Annal. ad A. 1308.*

Simi-

Similiter magni amoris fuit tum ſuis Superioribus & Inferioribus Reverendiſſ. Gebhardus Reicherſpergenſis, qui Engelberti Halæ Oenanæ Dynaſtæ filius poſt 13. annorum ſtipendia Cæſari facta florenti etiamnum ætate res, quibus affluebat, ampliſſimas, ac arridentis fortunæ invitamenta regulari in Celeberrima Canonia Reicherſpergenſi diſciplinæ poſtpoſuit. Statim enim poſt comitia Babenbergenſia A. 1169. 8.vo Septembris ipſo Virginis virginum natali ſeſe cônſecravit vocanti Numini, Matris Hedvvigis & duarum ſororum exemplo, quæ nuper in parthenonem eodem loco à Gerhoho Præpoſito conditum, & ſanctis informatum moribus conceſſerant. Vivere deſiit, poſtquam rara variarum virtutum, & abnegatæ præſertim voluntatis documenta omnibus reliquerat, A. ſalutiferi partûs 1175. *Ex Chron. Reicherſperg. f.239. & 48. Annal. Bav. p. 1. l. 22. n. 35.*

ARTICULUS IX.

De mortificatione memoriæ.

SUMMARIUM.

251. *Duplex officium memoriæ, & regula eam regendi, ac mortificandi.*

251 NOn multa reſtant de mortificatione memoriæ dicenda; cùm enim cogitationes ab intellectu abſcinduntur, & ad regulam recti judicii, & præcepti Divini ordinantur, non habetur, quod in memoria quoad actus ſuos reguletur. Habet tamen ſpecialia duo officia memoria, quæ diſtinguuntur ab intellectu, & ejus actibus. Primum officium memoriæ eſt, conſervare ſpecies, tum à ſenſibus exterioribus, tum etiam ab intellectu acquiſitas, quod non pertinet ad actum cognoſcendi, ſed ad paſſivam informationem, & retentionem ſpecierum. Alterum officium eſt, recordari præterita, quod pertinet ad actum cognitionis: qua ratione mortificatio intellectûs quoad ſuos actus proprii conſilii, & judicii eſt mortificatio etiam memoriæ. Si primum memoriæ officium ſpectemus, nempe paſſivam retentionem ſpecierum, aliqua ſpecialis mortificatio in memoriam introduci poteſt, & quidem

1. Memoriam mortificare debet Religioſus abſcindendo à ſe omnem imaginationem in mundo perceptam deliciarum, honorum, & bonorum poſſeſſorum.

2. Si occurrat memoria commiſſo-

miſſorum peccatorum magìs delectabilium, ocyùs avertenda eſt, atque illorum loco paſſio Domini JESU Chriſti, & mala ab eo pro nobis tolerata, ut redimeret à peccatis, ſimileſque ſanctæ ſpecies in memoriam revocandæ ſunt: manè verò ad memoriam peccati, magìs ad relapſum allicientis, dolor, contritio, deteſtatio, amor Dei ſuper omnia, meliora propoſita inſtituenda &c.

3. Adeò injuriarum obliviſcatur, ut ne ſpecies quidem inimicitiæ, vel modi, vel cauſæ, vel ſimilium circumſtantiarum, quibus charitas læſa fuit, pro levi ac momentanea rememoratione relinquatur.

4. Deum, ejusque bonitatem, miſericordiam, ſanctitatem, providentiam, beneficia creationis, redemptionis, conſervationis, aliáſque plurimas & quotidianas gratias, ab ipſo in ſe derivatas, quaſi continuò rememoretur Religioſus; nam S. P. N. aſſerente *l.* 14. *de Trin. c.* 12. *qui ejus* (Dei) *non meminit, eúmque non intelligit, nec diligit.* Quare memoriam Divinæ bonitatis ut continuò refricaret, ardentiſſimè exclamavit *de Trin. l.* 15. *c.* 28. *meminerim tui, intelligam te, diligam te, auge in me iſta, donec me reformes ad integrum.*

5. Recordatione mortis, judicii extremi, inferni, & beatitudinis æternæ magìs, quàm inutilibus, & vanis phantaſmatibus imbuenda eſt memoria; hæc enim ſi recorderis, in æternum non peccabis, ſicut tenet Eccleſia Catholica.

Mortificationem denique hujus potentiæ ſpiritualis facilè deſumet Religioſus ex iis, quæ hactenus ſunt dicta. Proin diutiùs inhærendum non eſt, cum adhuc ſuperſit non modica in ſchola religioſæ virtutis via. Certè faciliùs refrænabit memoriam, qui habenas injecerit ſenſibus externis, & internis, à quorum ſpeciebus nutritur illa.

Officium quoque memoriæ quoad cognitionem ſuos, eóſque continuos habet actus; uti M. Hugo *de An. L.* 3. *c.* 46. recenſet. *Ex anima viribus quaſi excellentioribus jubemur Deum diligere, ut diligamus eum toto corde, tota anima, tota mente, id eſt, toto intellectu, tota voluntate, & tota memoriâ, hoc eſt, toto affectu, ſine defectu, cum diſcretionis intuitu. Nec ſolus ſufficit de Deo intellectus ad beatitudinem, niſi ſit etiam in amore ejus voluntas. Imò hæc duo non ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis & volentis maneat Deus, ut, ſicut nullum poteſt eſſe momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, vel miſericordiâ, ita nullum ſit momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.*

Digitized by Google

SPIRITUS ALATUS.

QUamvis Amor Dei, & amor proximi duæ ſint alæ animæ, utì docet S. P. N. *ſer. 54. de temp. ſpirituales* enim *diverſarum virtutum pennis elevantur in altum, & duabus velut alis, duobus ſcilicet præceptis diligendo Deum & proximum, eriguntur in cælum.* Memoriam tamen bene à rebus vanis abſtractam, & ad Deum directam, alam eſſe rationalis animæ, docet *Lud. de Ponte apud Cornel. in c. 33. Eccleſiaſt.* Ut opera ſingula perfecta ſint & excellentia, ſingulis addantur ſex alæ Seraphim, quibus evolent in cœlum. Prima ala eſt, *memoria præſentiæ Dei.* 2. *Pura majoris ipſius gloriæ intentio.* 3. *Oratio.* 4. *Fiducia in Deum.* 5. *Fortitudo in arduis rebus aggrediendis,* 6. *Perſeverentia.* His alis uſus fuit, & continuò evolavit in cœlum Cherubini adinſtar B. Petrus de Arboes, dum non ſolùm ſanctam memoriam, & ab omni vindicta ergà inimicos alienam, ſed & pro beneficiis Divinis gratam in vita & morte glorioſa ſervavit. Natus A. ſalutis 1440. in Caſtello Epilengi, urbis Cæſarauguſtanæ dominio ſubjecto: parentes Antonium de Arboes, & Sanciam Ruiz non minùs nobilitate, quàm virtutibus conſpicuos adeptus eſt. Solicita progenitorum curâ educatus, in tenella ætate ob nativam ad probitatem ſimul ac litteras indolis inclinationem magnum quid Magiſtris ſuis de ſe opinandi anſam præbuit. Bononiæ Philoſophiæ lauream conſecutus, ac in Collegio ejusdem Univerſitatis inter Alumnos adlectus, Theologiæ quoque Magiſter declaratus, ſupremum Doctoratûs apicem totius civitatis applauſu conſcendit. Domum reverſus, cùm ſe ad ducendam vitam perfectiorem intus trahi adverteret, ad Ordinem noſtrum aſpiravit: quem ultimo die Septembris A. 1475. in Eccleſia Metropolitana Cæſarauguſtæ amplexus, & An. inſequenti ſolemni formulâ profeſſus eſt. Propter exemplarem vivendi rationem tantò clarior inter ſuos refulſit, quantò majoribus meritis ditatus & gratiarum dotibus à Deo erat cumulatus. Profunda tamen illius humilitas elationem omnem ſuppreſſit, ut adeò animus illius aliud objectum extra Deum non agnoſceret, ſenſúsque non aliò, niſi ad Divinum tenderent; non alias intellectus niſi altiſſimas de cœleſtibus myſteriis contemplationes foveret; non aliud memoriæ inhæreſceret, niſi infinita Creatoris bonitas; non voluntas operaretur, niſi ſe ipſam continuò immutabili Omnipotentis voluntati ad nutum offerendo,

Digitized by Google

totámque ſe in holocauſtum ſacrificando. Erigebatur tum temporis in Arragoniæ regno S. Pont. Innocentii VII. authoritate, ita poſtulante Ferdinando Caſtellæ Rege Catholico, ſacrum in Hæreticos inquiſitionis tribunal, cui Inquiſitores primi præficiebantur Petrus noſter, & Caſparus Inglarius ex Ordine Prædicatorum; qui tamen A. 1485. Menſe Januario vitâ functus, totum inquiſitionis munus ſoli Petro reliquerat gubernandum. Is verò tanto illud zelo, & ita invicto animi robore ſubiit, ut ſacratis pro Deo, & fide Orthodoxa laboribus ſola martyrii laureola merces condigna videretur. Primas ad hanc diſpoſitiones vigilantia Petri in hæreſibus occultis detegendis, & detectis extirpandis; alteras, & demum ultimas poſuêre perditiſſimi quidam ſicarii ab Hebræis pecuniâ conducti, quibus piiſſima Petri innotuerat conſuetudo quotidie ſum̃o mane ex ædibus inquiſitionis extra Cathedrale Cœnobium, contiguis tamen Eccleſiæ, ad Matutinas in Choro laudes perſolvendas ſe conferendi. Quare in eodem Metropolitano templo nocte quadam abſconditi ac incluſi Petrum pro more ſuo ſacro indutum habitu, & ad Altare B. V. Mariæ flexis genibus orantem ſubitò invadunt, ac ejus capiti validiſſimos ictus infligunt, corpus verò gravibus, variiſque vulneribus adeò afficiunt, ut ſecundo poſt die, qui fuit 17. Septembris A. 1485. ætatis ſuæ 45. animam ſuam cœlo immiſerit, Martyrii palmam reportaturus. Eodem tempore notatum fuit, chorum decantaſſe verſiculum: *quadraginta annis proximus fui generationi huic* &c. ubi lethalia accepit Petrus ante Aram vulnera. Dum cum morte luctabatur, verba alia proferre non eſt auditus, niſi: *laus ſit Salvatori JESU Chriſto, pro cujus fide morior.* Hortatúsque eſt ſuos, ne ullum iræ aut vindictæ de hoſtibus ſumendæ locum darent. Cùm in templo gladiis impeteretur, Villillæ campana nullo eam impellente miraculoſum edidit ſonum, ſeu potiùs applauſum ad glorioſam Tutoris ſui victoriam. Sanguis verò, in templi pavimento effuſus, etiam poſt dies 12. efferveſcere, ac ebullire conſpectus eſt. Sentiunt etiamnum ipſius opem ſpiritibus, & morbis immundis affecti, quibus, pluribúsque aliis probatis miraculis, Alexander VII. Rom. Pont. eum ſolemni pompâ 20. Aprilis A. 1664. Beatorum Martyrum Catalogo adſcripſit:

Epitaphium V. M. Petri de Arbues, qui

A ventre in ſtudia, à ſtudiis in munera venit

Canonicus, Judex, Doctor, qui ſemina verbi

Diſper-

Diſperſit populis, cauſas fideique, ſacríque
Jura tribunalis rexit, qui Numine plenus,
Martyrio, vitâ, miraclis, nomine clarus,
Supremis ductus meritis ſuper aſtra triumphat.

Marmoreo plano ſuperſcriptum A. 1623. die 30. Jan. cùm ex commiſſione Apoſtolica monumentum aperiretur, inventum eſt ſequens:

Hic jacet Reverendus Magiſter
Petrus Arboes, Epilâ oriundus;
Hujus almæ ſedis Canonicus:
Hæreticæ pravitatis inquiſitor
Integerrimus: eodem in loco ab
Hæreticis interemptus
XV. Kalendas Octobris An.
MCCCCLXXXV.

Aliud adhuc refertur monumentum B. Martyri à Ferdinando & Eliſabetha in utraque Hiſpania regnantibus erectum, priori mox non abſimile. *Ex Martyrologio Hiſpan. Joan. Tamai Salazar. Joan. Nadaſo. in Anno cœleſti, Abrahamo Bzovio To.* 18. *ſub A.* 1483. *n.* 10. *Rainaldo Oderico & Compendio vitæ, ſtudio A. R. D. Dominici Biſſelii ad S. Crucem Auguſtæ Vindel. Canonici latinitate donato ac typis A.* 1664. *vulgato.*

Venerabilis Egbertus de Linghem Ummenſis Belga virtutis famâ celebratiſſimum montem S. Agnetis prope Swollas ut elegit, & habitum Canonicum aſſecutus eſt, ad magnam omnium virtutum perfectionem feliciter evolavit *jugi memoriâ præſentiæ Dei.* Hinc Prior conſtitutus ad cœleſtia animos omnium ſua pietate erexit. Læſus à quopiam ſtatim remiſit injuriam, nec ampliùs recordabatur vindictæ. Mærore afflictis præſtò fuit admonitione, aut quavis alia conſolatione. Cùm ipſe ad altiorem perfectionis religioſæ verticem tenderet, mirè lætabatur ejus animus, ſi quos in virtutibus incrementum capere conſpiceret.

Canoniſſarum Regularium in Monaſterio Diepen Rector ingenti cum fervore eas per varias exhortationes ad ſanctitatem vitæ perduxit, identidem memoriam Dei illis inculcans. Alliger illius Spiritus (nam *qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut aquilæ. Iſaiæ* 40.) feliciter in cœlum abiit ibidem 2. Septembris A. 1427. *Ex Chronico Montis S. Agnetis c.* 21. *& Reverendiſſ. Grueb.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS X.

De mortificatione amoris proprii.

SUMMARIUM.

252. *Proprii amoris genuina deſcriptio.*
253. *Mala ejus proponuntur.*
254. *Signa quædam amoris ſenſualis, & modus mortificandi.*
255. *Notanda quatuor pro complemento.*

252 Amor ſenſualis ac proprius duplex eſt, unus honeſtus & ordinatus, qui etiam eſt regula amoris erga proximum ſecundùm illud Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Alter vitioſus & inordinatus, quem hic ſpecificè proprium nominamus. Hic eſt perpetua, vel ad tempus immoderata ſui dilectio, & propriæ comoditatis quæſitio. Hunc *amorem proprium* appellat Dion. Carth. *apud Lairv. f.* 634. *amorem privatum, quo homo ſe in ſe, vel alios in ſe amat;* ſicut amor ſpiritualis ſuper omnia amat Deum, & in Deo ſe & alias creaturas omnes; ſibi igitur vult bona, vitat adverſa propter ſe, in ſeipſo hæret veluti in ſuo legitimo fine proprius amor.

Provenit iſte amor immoderatus ſui à primo protoparentum peccato, & vocatur primogenitum peccati originalis, ipſiúſque adeò corruptæ naturæ monſtrum primum: Antea enim non niſi amor in Deum, amor propter Deum ſui, & creaturarum fuerat. Deſcribitur ab Aſcetis apud *P. Lanc. opuſc.* 10. *f.* 808. amori proprio inſerviens, quòd is commoditates aliis non communes expetat, cibum, potum, veſtitum, habitationis locum, cubiculum, labores ſibi placitos quærat, & ſpeciales, atque ſuæ in omnibus quoad actiones diurnas, quoad lectum, ſomnúmque commoditati ſtudeat. Dum à contrario amoris proprii inimicus nihil in omnibus ſibi ſpeciale deſiderat, ſed ſatis contentus eſt, quidquid à Superioribus ſibi ad neceſſitatem miniſtratur, atque adeò de nulla re ſibi moleſta conqueritur. *Duos oculos habet amor proprius*, ut ajebat S. M. Magdalena de Paz. *p.* 4. *vita. c.* 34. *alterum propriam reputationem*, dum ſe magnum, alta ſapientem, prudentem, ſcientificum, dotibus excellentem, cæteróſque homines cum deſpicientia ſupergredientem, plúſque ſibi propter labores, ſpecioſa officia, munera, nobilitatem, & nobilium favo-

Digitized by Google

ſavores deberi, quàm aliis, reputat. *Alterum proprium commodum*, quod conſiſtit in omnimoda ſenſualitate, & quorumvis deſideriorum expletione. *Qui* (duo oculi) *ſi eruantur*, *amorem proprium timendum non eſſe*, S. Virgo aſſeruit.

253 Quanta mala ſecum ferat amor proprius inordinatus, tradunt vitæ ſpiritualis Magiſtri, ſcilicet

1. Quòd judicium humanum pervertat: nam S. *Gregorio Magno Doctore hom.* 4. *in Ezech. Multa ſunt peccata, quæ comittimus, ſed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clauſis nobis oculis in noſtra deceptione blandimur.* In eandem M. Pontificis ſententiam abit M. Hugo *L.* 3. *de anima. c.* 44. *to.* 2. *ſcire vellem*, ſcribit, qualis ipſe ſum, ſed *vix de me ipſo vera diſcernere poſſum. Amor namque privatus, quem erga me ipſum habeo, aufert mihi verum judicium de me ipſo Idcirco parum mihi credo de me ipſo* (ecce mortificationem amoris privati) *utpote homini mendaci, timens, ne, ſi me ipſum judico, mentiatur iniquitas ſibi.*

2. Pacem animæ ſubvertit, & Spiritûs tranquillitatem aufert: ita Venerabilis Thom. Kemp. *p.* 2. *med.* 17. *Amor ſui cor obſcurat, parit rixas, tollitque profectum; qui autem propter Jeſum ſe abnegat, liber fit, & pacatus.*

3. Eſt origo omnium vitiorum, & tyrannico quodam auſu dominatur, nec ullas virtutes admittit in anima: quod S. Paulus clariſſimè expreſſit 2. *Tim.* 3. dum ante omnia alia vitia poſuit: *erunt homines ſeipſos amantes.* Dein enumerat crimina, quaſi ex amore pullularent: *cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, inobedientes &c.* Quod idem annotavit illuminatiſſimus Doctor Ang. illa Apoſtoli verba explicans *tract.* 123. *in Joan.*

4. Eſt perditio ſui, & animæ ruina oraculo Chriſti dicentis *Joa.* 12. *qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*; id eſt, ut exponit *S. P. N tract.* 51. *in Joan. ſi amas, perdes, ſi cupis vitam tenere in Chriſto, noli mortem* (præſertim ſenſualitatis, & amoris proprii) *timere pro Chriſto. Noli amare, ne perdas. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amâſti.* Signa hujus peſtiferi amoris S. Baſilius detegit *in reg. brev. Q.* 54. *alia ſigna ſunt*, ſuiipſius amantis, *triſtitia ex propriorum deſideriorum impedimentis nata, occultatio virtutum proximi, ne ſuper nos extollatur, & indignatio, qua in eos, qui deſideria noſtra non exequuntur, ſed præpediunt, ferimur.* Quam doctrinam paucis expreſſit Apoſtolus ad *Philipp.* 2. *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.*

Indicia porrò proprii, ac ſenſualis amoris habentur certa, 254

quando naturalis hominis inclinatio, & major propenſio eſt ad perſonas genio ſuo arridentes, voluntati commodiores, & per omnia quoad converſationem conformiores. Cognoſcitur autem iſte amor ſenſualis, dum inquietudinem in animo cauſat, & affectus creſcit recordando ſæpius objecti amabilis abſentis, etiam tempore exercitiorum ſpiritualium, orationis, meditationis &c. Si cum præſente verò nimis tenera inſtituitur converſatio, ac ultra præſcriptum à S.Regula terminum protrahitur, & ulteriùs eam protrahendi quæruntur occaſiones, benevolentiam ſuam oſtendendi, & affectum alterius provocandi gratiâ. Utrinque demum factæ donationes, zelus animorum, & cordis laniatio, dum propenſior ad aliud ſubjectum advertitur amantis affectus, pluſquam aperti ſunt effectus ſenſualis amoris, ſeu flammæ fumo commixtæ; uti habet Religioſiſſimus Aſceta P. Petrus Pinamonti Relig. ſolit. lect. diei 8. Senſualis quoque, & non ſatis purificatus eſt affectus, ſi in ſpiritualibus operibus guſtus devotionis, abundantia cœleſtis influxûs, & ſenſibilis facilitas appetitur; à contrario ariditas, derelictio, humiliatio triſtitiam inordinatam, ac deſolationem progerminat. Proprio etiam amore capti ſunt, qui in ſuis exercitiis, utut bonis, à ſuis Superioribus, aut Patribus Spiritualibus nullam directionem ſuſcipere volunt, ſed juxta ſuam induſtriam, prudentiam, ac voluntatem procedunt; ſicut altiſſimæ contemplationis, & profundiſſimæ aſceſeos Vir D. Seraphinus de Bologna Canonicus Regularis in ſuis documentis vitæ ſpiritualis cap. 3. animadvertit.

Huic ſenſuali amori opponitur amor virtuoſus & cœleſtis, qui 3. conditionibus circumſcribitur. 1. Eſt gratuitus, ſolo præcepto divino innixus: 1. *Joan. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Non quærit ſe ipſum, aut utilitatem à proximo, ſed ſolum intendit amore proximi adimplere mandatum cœleſte. 2. Eſt conſtans: *omni tempore diligit, qui amicus eſt. Prov.* 17. 3. Eſt univerſalis complectens omnes gratos & ingratos, amicos & inimicos abſque ullo diſcrimine ſecundùm dogma cœleſte. *Matth.* 5. *v.* 44.

Prætereà mortificatio amoris proprii ſequentibus inſtituitur.

1. Sancto ſui odio; uti S. P. N. num. priori expoſuit.

2. Si cogites, amoris proprii affectus odibiles eſſe Deo, ac hominibus.

3. Si communia officia omni diligentia peragas, & nunquam iis relictis ad opera ſupererogatoria te convertas.

4. Si

Digitized by Google

4. Si nunquam cupias, ab aliis diligi, timeri, extolli, vel opera tua laudari: nec timeas, contemni, ignominiis affici. Aut ſi imperfectiones tuas inſtar hypocritæ non occultes, vel excuſes, niſi quatenus Dei gloriam, & ſalutem proximi promovent, vel retardant ejusmodi excuſationes; inſignes enim hypocritæ ſunt, ſeipſos amantes, qui ex reſpectu humano nihil non agunt, ut ſuos defectus tegant *ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

5. Si omnia purâ, & defæcatâ intentione ad Deum referas, nec quicquam de tuo admiſceas: Ita docet Chriſtus L. 3. imit. c. 27. *Si fuerit amor tuus purus, ſimplex, & bene ordinatus, eris ſine captivitate rerum.*

6. Si in obeundis ſpiritualibus exercitiis, aliiſque piis operibus aliorum oblocutiones, irriſiones, & id genus proprio amori contraria nihili ducas. Atque hoc non modicum ſignum eſt profectûs; uti c. 3. ſupra, & infra c. 7. & 9. docetur.

7. Si corpus tuum non nimis delicatè tractes ſive in refectione, labore, quiete. Prout ad extirpandum amorem proprium B. V. Maria S. Birgittam *rev. extravag. c.* 85. in hæc verba docuit: *In corpore tria debent eſſe, refectio, labor, & voluptatis, ac conſensûs carnalis cohibitio. Primò ſatietas ſomni, vigiliarum, & refectionis cum temperamento, ut nec minus, nec plus ſit, ſed ſic, ut corpus ſufficiat ſtare in ſervitio Dei. 2. Continuatio in labore cum omni diſcretione. 3. Voluntas hilaris in ſervitio Dei, & cohibitio prava voluptatis, ex qua anima illuminatur.*

8. Efficaciſſimum amoris proprii remedium à Richardo de S. Victore *Tract. de grad. charitatis* aſſignatur amor Dei; hic enim à contrario expellit terrenum, & ſenſibilem. Sunt autem apud cit. Auth. 7. gradus, quorum *primus eſt, ut amor ſit inſeparabilis, ut anima cum Apoſtolo dicere poſſit: quis me ſeparabit à charitate Chriſti?* 2. *Quòd ſit inſatiabilis; ignis enim nunquam dicit, ſufficit: nihilque ſibi egiſſe unquam videntur, & ſervos ſe dicunt inutiles, qui eo ſunt ſuccenſi.* 3. *Quòd ſit invictus: Fortis enim ut mors dilectio, & aqua multa non potuerunt extinguere charitatem.* 4. *Quòd ſit delectabilis, dicereque anima poſſit amore iſto ſuccenſa: introduxit me Rex in cellaria ſua. Memor fui Dei, & delectatus ſum.* 5. *Quòd vulneret animam ardentibus deſideriis & plurimis, quibus optat, ut omnes ei ſerviant, & omnes trahere ad eum conatur.* 6. *Quòd ſemper Deum ſitiat, ſemper eum præſentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet.* 7. *Quòd deſideret conjungi, & eſſe cum Chriſto, non tædio vitæ, ſed charitate impulſus, quisquis eâ fuerit inflammatus.* Utinam

diligant te, Deus, omnes creaturæ, & memores ſint mandatorum tuorum ſemper!

Denique ad abnegationem omnis amoris ſenſualis mirè conducit, ſi in hoc mundo nos peregrinos eſſe cogitemus; Sicut enim à patria ſua alieni nihil in via amant, itineris moleſtias omnes perferunt, ſuáſque cogitationes ad optatum terminum dirigunt; ita ad cœlum tendentes nulla re terrena delectantur, exuúntque affectum ad vana, in quibus hæret amor ſenſualis: quod pluribus eleganter oſtendit S. Baſilius in *pſal.* 14. Tandem veriſſimum eſt, quod de ſeipſo teſtatur eximia vitæ ſanctitate & aſceticâ doctrinâ notiſſimus Thomas Kemp. de mortificatione ſui; eò minus quémque invenire, quò plus ſe quærendo deſideret; verba illius ſunt: *Tantum lucror, quantum pro Chriſto dimitto, & tantum proficio, quantum à me exuo. Ubi me relinquo, ibi me invenio: & ubi meipſum quæro, ibi me perdo. Ubi meipſum prætendo ad commodum, ibi me lædo.*

255 Pro Complemento præſentis Articuli placet annectere brevem doctrinam R. P. Ludovici de Ponte, in exercitiis ſpiritualibus ſuis annotatam, quam refert P. Lanc. op. 10. ſ. 816. his verbis: „Prima inordinatio eſt in cogitationibus, & imaginationibus de rebus noxiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia ſolicitudine.

„2. Eſt in affectionibus, & volitionibus rerum prohibitarum; uti ſunt affectio ſuperbiæ, iræ, invidiæ, & aliæ: vel quoad modos prohibitos, uti eſt turbatio, vel inquieta propenſio ad concionandum, ſciendum, & circa officium proprium.

„3. Eſt in repugnantiis erga opera virtutum cum tepiditate annexa circa illa; uti ſunt opera cultûs Divini, obedientiæ, amoris proximorum.

„4. Eſt libertas ſenſuum in videndo, audiendo, loquendo, exeundo ad has res ex curioſitate, vel impetu, vel libertate &c. Quòd ſi in his quatuor generibus inordinationum me mortificabo, & negabo, tollam impedimenta unionis cum Deo, & perfectæ familiaritatis cum illo, & potero dicere: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Hæc ille.

Atque regulæ iſtæ non tantùm ſunt directæ in ordine ad abnegandum proprium judicium, qua ratione à *cit. P. Lanc.* ad hæc referuntur; ſed ad abrenuntiationem proprii amoris optimè quadrant; cùm ſenſualis amor fraudulenti hoſtis adminiculo non ſtatim vim totam exerat, ſed in parvis venenum ſugat, ſuo tempore peſtilentiùs evomendum. At ecce!

PERNI

PERNICIES BASILISCI.

BAſiliſcus græcè latinè interpretatur regulus, eò quòd ſit rex ſerpentum, Doctore Hugone *L.* 3. *Inſtit. Monaſt. c.* 41. Ita ut eum videntes fugiant, quia olfacto ſuo eos necat. Solo viſu hominem interficit, prior viſus ab homine non nocet: flatu verò necat aves volantes. A muſtela tamen vincitur, eâ viſâ fugit, quem illa perſequitur, & occidit. *Amor proprius* Baſiliſcus eſt, afflatu ſuo peſtifero virtutes omnes inficiens, quæ ſunt in homine. Amore proprio inflatus animus aliud nil excoquit, quàm ſuperbiæ diabolicæ, & hypocriſis toxicum; atque inde *malum ſubtile, virus latens, peſtilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, ſanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, de virtute vitium, de mercede diſpendium, de remiſſione peccatum: à M. Hugone l.* 3. *tit.* 2. *Erud. Theol. T.* 3. *f.* 240. graphicè deſcribitur. Aſt quia nihil ille Parens rerum ſine remedio conſtituit, Baſiliſcus iſte eodem D. interprete *Inſtit. Monaſt. ſer.* 54. *t.* 2. *f.* 558. *à muſtelis vincitur, dum ab illis, qui ſunt parvi humilitate cordis, & longi, vel potiùs longanimes perſeverantiâ boni operis, prudentes acumine diſcretionis, ſuperatur*

Venenatum *amoris proprii* regulum humilitate, & variarum mortificationum morſu enecuit Venerabilis Joannes Malleolus Kempenſis Thomæ uterinus frater. Ab infantia ſedulâ parentum curâ in virtutibus educatus, magnis Magiſtris Gerardo Magno, & Florentio Radevino literis informandus fuit traditus, in quorum ſchola & diſciplina ita profecit, ut cum primis, in Windeſem Ordinem noſtrum ſuſcepturis, à prædicto D. Florentio mitteretur, quo in loco anno 1387. Diaconatûs charactere inſignitus ſolemni formulâ profeſſionem ſub Reverendiſſ. D. Huberto Epiſcopo Uppuſenſi Suffraganeo emiſit: aſſervatur hodie etiamnum ea Profeſſionis ſcheda, ipſius manu ſcripta, Coloniæ in Canonia Corporis Chriſti, referente P. Heriberto Rosvveydo S. J. *in notis ad vitam Joannis Kempenſis not.* 3. Illum Joannes Vos de Huesden, ſecundus Prior in Windeſem, vir magnæ ſanctitatis, plurimùm dilexit, ſæpiúsque ob inſignem ejus prudentiam pro novis Monaſteriis vel erigendis, vel juxta Congregationis præſcripta reformandis adhibuit. Primum Priorem in monte S. Agnetis propè Svvollas, & ad fontem B. Mariæ non procul Arnhem maxima om-

Digitized by Google

omnium laude, & inſigni totius Congregationis emolumento egit.

Ad hæc pluribus annis Sanctimonialium in Bronopia urbis Kempenſis, & in Arnhem Rector extitit. Interrogatus aliquando, an non conſcientiæ aculeis pungeretur, quòd tam multis annis aliis præfuiſſet, ac pro novis domiciliis, in regulari diſciplina inſtituendis conſervandíſque, ſæpiùs foras fuiſſet miſſus? reſpondit, ſe minimè ob id dolere, quòd ita volentibus Superioribus ſuis extra Monaſterii ſepta moratus fuerit: At multum triſtari, atque pœnitudine duci ob ea, quæ minùs rectè geſſiſſet. Cùm Eccleſia S. Agnetis in monte exſtrueretur, licèt tum temporis Priorem ageret, lapides ad hujusmodi ſtructuram ipſe aſportavit, cæmentarii vices nonnunquam egit, ac reliquos minoris notæ labores indefeſsè ſubiit.

Inter cætera illius ſacra apophtegmata, ſacráſque collationes locum haud poſtremum obtinet illud, quod meritò hìc inſeratur: *Volumus eſſe*, inquiebat, *humiles ſine deſpectione, patientes ſine tribulatione, obedientes ſine coarctatione, pauperes ſine defectu, virtuoſi ſine labore, pœnitentes ſine dolore, laudari ſine virtute, amari ſine bonitate, honorari ſine ſanctitate &c. ſed Chriſtus Deus noſter ita non fecit, nec docuit, qui regnum cœlorum vim ſibi facientibus repromiſit, & injuriam patientibus gloriam & honorem retribuet, nullúmque malum relinquet inultum.* Piè deceſſit Bethaniæ 5. Novembris anno 1422. ætatis 67. Religionis 40. oculos demortui claudente Thoma Malleolo Germano ſuo. *Plura in vita per Joannem Buſchium deſcripta in Chron. Wind. lib. 2. c. 35. & cit. P. Rosvveydo.*

Amoris proprii venenum ſanctiore vita extinxit B. Petrus Præpoſitus Aroldenſis, cujus meminit ad XIX. diem Decembris R. P. Petrus Caniſius è S. J. Theologus in ſuo Martyrologio his verbis: *Beata memoria Presbyteri Petri Canonici Regularis Præpoſiti Aroldenſis.* Plura de eo indagare non potui. Pariter ſuper Aſpidem & Baſiliſcum ambulavit Joannes de Campis Belga ex Congregatione Windeſemenſi, tertius illorum, qui primi montanum S. Agnetis prope Svvollas aſceterium incoluêre, vir certè moribus verecundus, laboribúsque pro communi bono ſubeundis indefeſſus. Vivere deſiit hoc die An. 1430. Religionis 31. *ex Chronico Thomæ Kempenſis lib. 1. c. 22.*

Muſtelam myſticam contra prudentiam ſerpentis egit etiam Reverendiſſ. Wolfgangus Perghover Archidiaconus, & Præpoſitus planè digniſſimus Raittenbuechenſis. Is, poſtquam Canonicæ

vitæ

Digitized by Google

vitæ profeſſionem depoſuit, variis admotus muneribus nihil non pro ſuorum neceſſitate Canonicorum cum expropriatione proprii commodi aggreſſus eſt: multa tulit, fecitque ad amuſſim ſui Præpoſiti Urbani II. meritus eapropter fuit, ut ob vitæ innocentiam, pietatem erga Deum, conjunctam cum extirpatione omnis proprietatis, atque ob morum integritatem, abſque hypocriſi ulla omnibus exhibitam, digniſſimo Prædeceſſori ſuo digniſſimus ſubrogaretur Præſul. Cœlo conſtant ejus facta præclara, & laudabiliſſima merita, quæ conſecutus fuit 30. annis præſidens optimus Pater, obſervantiſſimus Prælatus, Archidiaconus vigilantiſſimus. Ad Superos tranſiit A. 1611. *Ex Metrop. Salisburg. to. 3.*

ARTICULUS XI.
De mortificatione Paſſionum in genere.

SUMMARIUM.

256. *Quid ſit Paſſio, & quotuplex? Differentia hujus ab actibus ſive intellectûs, ſive voluntatis.*

257. *Enumerantur paſſiones, & qualiter ſe habeant ad hominem.*

258. *Motiva duo, & 5. regulæ generales eas mortificandi.*

256 PAſſio dicitur actus, ſeu actio, per quam, dum exurgit, corpus humanum aliquid patitur, præſertim cor, ubi ſedes eſt appetitûs ſenſitivi, & à quo paſſiones emanant. Unde, licèt in intellectu, & voluntate actus, & affectus eliciti ſint, propriè tamen non poſſunt dici paſſiones juxta *S. Thomam* 1. 2. *Q.* 22. *A.* 3. Cujus ratio eſt, quod interior animi affectio redundare debeat in partem ſenſitivam, ut paſſio dici queat. Paſſio enim duo involvit: 1. quòd habeat aliquid materiale, quod eſt aliqua immutatio corporalis, & ſic tranſit in appetitum ſenſitivum. 2. Quòd ſit formalis actus ſpiritualis animæ immanens, & extra ſuum ſubjectum non tranſiens quoad illam rationem. His de cauſis paſſiones etiam interiores non propriè dicuntur tales, niſi quantum effectum habent in appetitu ſenſitivo. Ita *Ariſt. ſect.* 27. *problem. Q.* 6. formidoloſos *voce, & manibus, & labro inferiore tremere*, advertit. *Cicero l.* 1. *offic.* notavit *vultus, voces, motus, ſtatúſque mutari iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt. S. Thom* 1. 2. *Q.* 45. *A.* 4 *ad* 1. docet, audaciam

Digitized by Google

ciam membris exterioribus frigiditatem, & tremorem afferre *propter revocationem caloris ab exterioribus ad interiora, ſicut etiam in timentibus; ſed in audacibus revocatur calor ad cor, in timentibus autem ad inferiora.*

Diſcrepant actus rationalis voluntatis à paſſionibus; 1. quia actus voluntatis intrinſecè ſunt liberi, non verò paſſiones, niſi in quantum hæ ſubjacent imperio rationis, & voluntatis. Ita *S. Th.* 1.2 *Q.* 24. *Art.* 1. 2. Actus voluntatis verſantur circa objecta ſpiritualia ſecundùm ſe conſiderata, ut bona; paſſiones verſantur circa objectum ſenſibile tantùm juxta ſuam naturam. Ubi tamen notandum, paſſionem, & actum voluntatis circa idem objectum verſari poſſe cum hoc diſcrimine, quòd *paſſio* in ſenſibile objectum tendat, ut ſenſibile, *actus*, ut in ſpirituale. 3. Actus voluntatis elicienti eos potentiæ deſpoticè ſubjectantur, eáque ſolùm nolente ceſſant: paſſiones autem non obediunt voluntatis imperio poſt lapſum Adami; ſicut conqueſtus eſt Apoſtolus *Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* &c. 4. Actus voluntatis per ſe non alterant corpus, ſicut actus paſſionum: Paſſio enim juxta *S. Th.* 1. 2. *Q.* 22. *Art.* 3. *in corp. propriè invenitur, ubi eſt transmutatio corporalis, quæ quidem invenitur in actibus appetitus ſenſitivi; & non ſolùm ſpiritualis, ſicut eſt in apprehenſione ſenſitiva, ſed etiam naturalis. In actu autem appetitus intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, quia hujuſmodi appetitus non eſt virtus alicujus organi.* 5. Voluntas præter affectus 11. *amoris, deſiderii, delectationis, odii, fugæ, triſtitiæ, ſpei, deſperationis, audaciæ, timoris, iræ* &c. inſuper *ſimplicem* habet *voluntatem, & intentionem, fruitionem, electionem, conſenſum,* & *uſum*; ut adeò 17. in utroque appetitu, ſcilicet 6. in voluntate ſpecialiter, & 11. in ſenſitiva ſimul reperiantur actus; qui ultimi propriè ex Angelica doctrina paſſiones dicuntur, alii verò metaphoricè tales.

Hiſce jam ad ſequentem aſce- 257
ſin plenè percipiendam prænotatîs, mortificatio paſſionum communiter reducitur ad externam: quia, etſi non ſemper in ſenſibus externis immediatè exiſtant paſſiones, v. g. amor, deſiderium, ſpes, timor, &c. plerúmque tamen effectum habent externum. Hìc autem non agitur de modo extirpandi paſſiones, cùm iſtud ſit impoſſibile; hoc enim idem foret, ac ipſam eradicare velle naturam, in qua neceſſe eſt quoſdam eſſe actus, qui vocantur paſſiones, quæ ſuſtentantur in illa & inexiſtunt veluti in generali ſubjecto. *Volumus*, ait S. P.

N.

N. *ſerm.* 44. *de verb. Dom. ut nulla ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus: velimus, nolimus, habemus illas, velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant: ſurgere volunt, premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.* Quia magna neceſſitas eſt, & utilitas, quòd natura ſit prædita ſuis paſſionibus, *quibus ſtimulatur, & exacuitur ad fortia gerenda, vel quædam conſtanter ferenda*; ut habet S. Baſil, *hom.* 10. *de ira.*

Sunt autem paſſiones 11, quarum 6. ſunt in potentia, ſeu appetitu concupiſcibili, *Amor, deſiderium, delectatio, odium, fuga, & triſtitia*: & quinque continentur in appetitu iraſcibili, uti *Spes, deſperatio, audacia, timor*, & *ira.* Ex his paſſionibus magis rationem eſſe habendam Religioſo amoris, timoris, gaudii, & triſtitiæ, docet S. Bernardus *ſer.* 85. *in Cant.* conceptis verbis: *Anima innixa ſupra dilectum ſuum contra ſe nitentes invaleſcet, & facta ſeipſa validior coget pro ratione univerſa. Iram, metum, cupiditatem, & gaudium veluti quendam animi currum bonus auriga reget, & carnis ſenſum ad nutum rationis in obſequium virtutis.* Ratio autem hujus animadverſionis eſt, quòd ex quatuor hiſce paſſionibus cæteræ quaſi ortum & vim ſuam trahant: his ergò rectificatis, rectæ quoque fiunt reliquæ. Sic S. P. N. *l.* 9. *de civit. Dei. c.* 5. ſolidiſſimam de regendis paſſionibus iſtis complectitur doctrinam ſequenti contextu: *Chriſtiana eruditio illam ipſam mentem ſubjicit regendam, & juvandam, mentíſque paſſiones ita moderandas, & refrenandas, ut in uſum juſtitiæ convertantur. Denique in diſciplina noſtra non tam quæritur, utrùm pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur: nec utrùm ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis; nec utrùm timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim peccanti, ut corrigatur; contriſtari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, neſcio, utrùm quiſquam ſana conſideratione reprehendat.* Et infra: Stoici paſſiones *non putant vitia, quando ſapienti ſic accidunt, ut contra virtutem mentis, rationémque nihil poſſint.*

Item *tract.* 60. *in Joan.* explicans illa verba: *cùm hæc dixiſſet, turbatus eſt ſpiritu*, ex varijs paſſionibus Chriſti paſſiones Chriſtiani metiendas eſſe docet: ſicut enim Chriſtus modò anxius, timidus, & compaſſione movibilis fuit in bonum animæ humanæ; ita etiam paſſiones in ſe varias perſentiſcere poteſt animus. Textus S. P. ita habet: *Turbetur planè animus Chriſtianus non miſeria, ſed miſericordia. Timeat, ne pereant homines Chriſto. Contriſtetur, cùm perit aliquis Chriſti. Concupiſcat acquirere homines Chriſto; lætetur, cùm acquiruntur homines Chriſto.*

Timeat & ſibi, ne pereat Chriſto. Contriſtetur ſe peregrinari à Chriſto. Concupiſcat, regnare cum Chriſto. Latetur, dum ſperat, ſe regnaturum eſſe cum Chriſto. Iſta ſunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor, & triſtitia, amor, & lætitia. Habeant eas juſtis de cauſis animi Chriſtiani: nec Philoſophorum Stoicorum, vel quorumcúnque ſimilium conſentiatur errori.

258 Mortificatio iſtarum paſſionum eſt neceſſaria non tantùm Religioſo, ſed omni homini Chriſtiano ex eo, quia animam penè terreſtrem efficiunt, hominem excæcant, & ita ſenſibus alligant rationalem appetitum, ut inſenſibilis quodammodo ad ea, quibus commoveri deberet, efficiatur. *Sicut vires corporis moriuntur*, inquit D. Chryſoſt. *hom. 54. in Joan. & omnem ſenſum amittunt, ita & anima, cùm multis detinetur affectibus, virtus moritur, & ſiquid attuleris, non ſentit, ſed ſive ſupplicium, ſive quodcúnque aliud minaberis, nullo ſanè ſenſu movebitur.* Præter malos illos effectus, gravéſque defectus ad omnem poſſibilem refrœnationem earumdem paſſionum etiam incumbendum eſt, quia interiorem hominem ita ad ſe rapiunt, ut ſanctiora, & meliora cogitare, vel agere nequeat: uti expreſſit S. Laur. *de Spir. an. reſur. Quemadmodum*, inquiens, *qui compediti ſunt, ut, quò illis libuerit, gradiendi habeant poteſtatem, neceſſe eſt, quatenus è vinculis abſolvantur: ita ab immoderato ſunt retrahendi affectu, quicúnque ad Dominum rectis greſſibus appropinquare peroptant.*

Mortificatio ita inſtituenda eſt, ut 1. vehementiorem, quæ prædominatur, paſſionem in quotidianum examen particulare deducas, eámque ita atteras, ut ad uſum rationis, & in obſequium virtutis penitùs tibi deſerviat. Refrœnatâ unâ, tunc demum progrediaris ad coërcendam aliam hoc modo, ut triſtis lætitiam, effuſus in externam lætitiam, moderatam triſtitiam (& ſic de cæteris loquendo) animo tuo invehas.

2. Vehementiores animi affectus ſupprimas; nec quidquam ſeriò agas, niſi ſedatis, atque compoſitis motibus inordinatis, adhibitóque maturo judicio.

3. Paſſiones & affectus n. 256. enumeratos ſemper ſuſpectos habeas, præſertim ſiquid agendum, ad quod electio neceſſaria eſt.

4. Quotidie unâ paſſione ſelectâ, examen illius particulare inſtituas, ídque, quantùm fieri poteſt, ſingulis ferè horis repetas. Sic S. Nicol. Tolent. ut ſcribitur in ejus vita, ad ſingularum horarum ſonitum ſeſe introſpiciens ſolebat dicere ſibi: *jam hora iterum lapſa eſt, de qua ſevera à te exigetur ratio.* Si tamen id nimis difficile videatur, bis ſaltem quotidie, vel ter te examines, & de affectu malo,

Digitized by Google

lo, vel vitio extirpando, aut virtute certa implantanda rationem tecum ineas.

5. Juverit ad ejusmodi ratiocinium paſſionum ſæpiùs perpendere mala, quæ ſecum trahit im̃oderantia earumdem, & econtra bona, ac gratias, & merita ob oculos ponere, quæ paſſionum ſuarum Dominus tum in hac, tum in altera vita conſequetur. Hæc de mortificatione paſſionum. Plura continebit infra cap. 7. ubi de dominio paſſionum ex integro doctrinam trademus.

ACTIO ET PASSIO.

INſeparabiles eſſe actionem & paſſionem, indubitata res eſt apud Philoſophos, quin nec realiter diſtingui S. Th. 3. *Phyſ. L.* 2. *&* 3. *de anima, cum Ariſtotele* docet. Nobis alia philoſophandi ratio eſt, qui actionem inordinatam ipſiſſimam paſſionem irregulatam vocitamus: quidquid enim appetit mens humana, ab eo jam patitur voluntas cupiendo, amando, delectando, ſperando &c. Tali amoris paſſione, ſed ordinata, agebatur Sponſa erga Sponſum ſuum, ut fuerit coacta altum exclamare: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo! Cant.* 2. In eundem ſenſum noſtrum *actionem & paſſionem* explicandi modum abit Doctor Hipponenſis, quando *L.* 83. *Q. Q. q.* 77. paſſionem citra peccatum homini accidentem ita demonſtrat: *Omnis perturbatio paſſio; omnis cupiditas perturbatio: omnis igitur cupiditas paſſio. Omnis autem paſſio cùm eſt in nobis, ipsâ paſſione patimur, & in quantum paſſio eſt, patimur. Omnis autem paſſio, in quantum ipsâ paſſione patimur, non eſt peccatum: ſic, etſi patimur timorem, non eſt peccatum.* Scilicet in quantùm non ſubeſt imperio voluntatis, nec per ſe ad prohibitum tendit in malum animæ, vel proximi, nec adverſatur Divino præcepto. Si enim ita prædominaretur paſſio ex libero arbitrio, quod, cùm poſſet, non eam reſtingueret, evidens eſt, fore peccatum. Hinc regula ſit univerſalis: *Bona erit actio, ſi paſſio bona, nempe mortificata, ordinata, regulata.*

S. Laurentius Dublinenſis Archiepiſcopus mirabilis planè paſſionum ſuarum extitit domitor. Parentem habuit Mauritium, inter Hyberniæ proceres latiſſimè imperantem. Ob quod, cùm oculi Dermitio Regi dolerent, Mauritius fidei ſuæ obſidem in filio, quem ex quatuor natu minimum, utpote 10. ætatis annum agentem, & ſibi chariſſimum habuit, animum dedit. At humanitatis omnis oblitus Dermitius, nec ſua-

viſſima pueri indole motus, innocentem vinciri, & in inſulam aſportari jubet deſertam nocentiſſimo reo, quàm obſidi ſimiliorem. Ærumnas tamen iſtas integro biennio animo ſupra ætatem conſtanti, & invicto ſuperavit Laurentius, donec à patre, nuntiatâ Regi illuſtrium 12. è ſatellitio ſuo pro filio mortis victimâ, ni dimitteretur, Glindelacenſis Eccleſiæ Epiſcopo commiſſus fuerit. Tantùm verò S. Clericali militiæ adſcriptus in literis, ac virtutibus profecerat, ut Sacerdotio initiatus ampliſſimæ Abbatiæ Præpoſitus, dein Dublinenſium Archipræſul, reluctante licèt profundâ animi humilitate renuntiaretur. Prima illi in hoc ſublimi munere cura fuit, mores Canonicorum, in pejus prolapſos, ad Majorum regulam corrigere: quod ut faciliùs evinceret, aliquos ex Aroaſienſi Congregatione probatiſſimos, & in regulari diſciplina verſatiſſimos accivit Canonicos, cum quibus eadem domo, & menſa S. Legislatorem noſtrum imitatus utebatur, nocturna pariter, ac diurna officia in ſacro odæo cum illis perſolvens.

Porrò mira in eo humanitas, mira in egenos benignitas, quos in magna ciborum penuria per triennium ad mille ſuſtentârat, ſemper emicuit. Aſpero cilicio corpus omne veſtivit, & ne ſibi ipſi mitior eſſet, ter quotidie flagris cædi à familiari ſervo voluit; carnem etiam, quoad vixit, ſibi interdixit.

Romam profectus, cum multa ibi pro Eccleſiæ ſuæ libertate peregiſſet, totius Hyberniæ legatus à Summo Pontifice conſtituitur. Quo in munere prophetiæ dono & miraculorum gloria illuſtris, ſuis precibus dæmones ſæpiùs fugavit, variis languoribus oppreſſos ſanitati reſtituit, mortuósque ad vitam revocavit. In cauſa Eccleſiæ ſuæ Henricum Angliæ Regem adiens à temerario quodam in ipſo templo fuſte validiſſimo niſu in caput adacto, graviter ſauciatus cùm corruiſſet, inter clamores & ejulatum populi circumſtantis paulò pòſt caput humo ſublevans aquam popoſcit: quam dominica oratione atque ſigno crucis benedicens vulneri admovit, ac ſanguinem abluit, in omnium oculis derepentè ex integro ſanatus, ſtupente ad hoc miraculum populo, rem Divinam fecit. Percuſſorem autem è ſententia judicis laqueo adjudicatum Laurentius ab omni vitæ periculo vindicavit. In Anglia adhuc conſtitutus ſingularem Deiparæ apparentis favorem promeruit, quòd ad dedicandum ſibi templum in aliena Diœceſi ipſe electus, & invitatus fuerit. Ejusdem Virginis patrocinio cum pluribus mercatoribus in Hyberniam navigantibus grande evaſit vitæ periculum:

vote

voto quippe emiſſo, quòd merces, quas hi inſtitores navi deferebant, ſtructuræ templi, à Laurentio in honorē cælitûm Reginæ Dublini inchoati, impendere vellent, ociùs mare priori malaciæ redditum eſt. Exortâ gravi inter Henricum Angliæ & Deronogum Hyberniæ Reges lite, utrúmque pacificaturus denuò Angliam adiit Laurentius, ac mandata à Rege multis prolatis etiam rationibus ad conciliandam pacem expoſuit. Aſt ſurdo fabula: Henricus enim tanti viri ſermones aſpernatus caduceatorem nec in Patriam redire permiſit, nec quietioris vitæ otium indulſit. Quare in Normanniam euntem Henricum proſecutus febri corripitur S. Præſul: qua in dies graviùs invaleſcente, ad Eccleſiam B. V. M. & Collegium Canonicorum Regularium Congreg. Victorinæ Pariſienſis in civitate Augenſi deportatus, *hæc requies mea*, inquit, *in ſæculum ſæculi: hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Præmiſſa Exomologeſi, ſacróque Viatico munitus ab Abbate Osberto, & Canonicis in Confratrem etiam recipi enixè poſtulavit, & obtinuit. Cúmque ad extremam luctam inunctus jam eſſet, & à Davide, qui Archiepiſcopum toto itinere comitatus fuit, flexibilem ad pacem Henrici Regis animum intellexiſſet, immenſum geſtiens, auditas cœlo eſſe ſuas preces, tertio felicis nuntii die, nempe 14. Novembris, ſanctiſſimam clauſit vitam An. 1181. ab Honorio III. Rom. Pont. A. C. 1226. Sanctorum faſtis adſcriptus ob frequentiſſima prodigia, ad ejus tumulum in præfata Eccleſia Canonicorum B. Præſulis ope patrata. *Ex officiis Can. Reg. Congreg. Lateran. & Gallic. Anno Mariano, Hypplyto Marra. in Antiſt. Marilit. L.* §. 5. *Surio, & aliis.*

Paſſionibus ſuis per religioſas actiones continuo bello obviam progreſſus eſt, & hoſtem domeſticum edomuit Alexander Sätterle Maurkirchenſis Bojus. Vix infantiam egrediebatur, & ad muſicam natus credebatur, adeò quippe illius artis peritus erat, ut jure merito ab hujus artis peritis magiſter ſit appellatus. Pluribus annis in Canonia Weyanenſi Novitiorum & juventutis religioſæ Directoris munere apprimè functus, ſpiritum & religionis cardinem pari ſeveritatis & diſcretionis ſymmetria attemperans in novellis plantationibus excoluit aſſiduò. Horis matutinis adſtabat quotidianus, etiam poſthabita nonnunquam valetudine, ut exemplo præeſſet junioribus Canonicis. In Miſſæ Sacrificio devotus, ſolitudinis religioſæ perquam ſtudioſus, temporis nobiliſſimi avarus mercator, nuſquam reperiebatur otioſus. Inſignis Eccleſiaſtes, omnibus, quas perorabat ad populum, concionibus æterni-

tatis ſalem inſpergens, seriò & efficaci energiâ audientium aures pulſabat ad converſionem. Per ſemeſtre manuum uſu privatus, latiùs in dies ſerpente morbi contagio, ob corpus graviſſimis doloribus aquâ intercutaneâ diſtentum, decumbere coactus, patienti modeſtia dolorem ſuppreſſit, & Numinis arbitrio leniendum, vel augendum tranſcripſit. Sacro Viatico confortatus, & extremo ad ultimum luctamen delibutus Oleo, ab illis, qui morienti accubabant, ſummoperè contra fidem tentari auditus eſt. Sed paulò pòſt, quaſi ab infernali hoſte reportâſſet victoriam, dulciter quievit, & triduo elapſo victricem animam aſtris transmiſit æternis coronandam ſertis IV. Novembris A. 1663. ætatis 46. Religionis 18. *Ex litteris mortualibus, & Reverend. Grueber in Theatro virt. h. d.*

ARTICULUS XII.
De indifferentia.

SUMMARIUM.

259. *Duplex Indifferentiæ definitio, & explicatio prima.*
260. *Fuſior alterius definitionis explanatiò.*
261. *Actus indifferentiæ,*
262. *Et ſigna propalantur.*

259 CUm indifferentia potiori titulo ſit virtus, quæ enaſcitur à mortificatione tum omnium ſenſuum, tum ab exercitatione religioſarum virtutum, congruentiùs ad caput tertium videretur eſſe reducenda, ubi ſatis prolixè de potioribus tractatum fuit religioſis virtutibus. Quia tamen ex mortificatis paſſionibus, & in ordinem redactis affectibus oritur, poſt traditas regulas ſenſus & paſſiones mortificandi, hìc potiùs forum indifferentiæ, propriúſque de ea agendi locus cenſetur à viris, & Magiſtris ſpiritualibus. Deſcribitur autem indifferentia, *quòd ſit promptitudo animi exequendi, vel deſerendi ea, quæ quocunque in loco, vel tempore Superior ſuggeſſerit.* Vel ut & alii explicatiùs tradunt, *quòd ſit quædam animi compoſitio, prolixo mortificationis uſu comparata, per quam quis poſt præfixum ſibi ſcopum ad cætera media, ſcopum illum, ſive finem concernentia, indifferenter ſe habiturum firmiter proponit, promptúmque ſtatuit ſe exhibere ad juſſa Superiorum.*

Explicatur 1.ma indifferentiæ deſcriptio. Dicitur 1. *promptitudo animi*; ut intelligatur indifferentiam habitum eſſe, per quem facilitatur homo in ſubmiſſione tam

tam proprii judicii, & conſilii in intellectu, quàm in uſu actuum voluntatis, & quoad executionem, quæ dependet ab exterioribus ſenſibus, ut in omnibus ſit facilitas, aliorum juſſa, etſi ingrata, exequendi, & perficiendi cum tanta reſignatione ſuimet, ut neque locus, neque tempus, neque gravitas præcepti, neque difficultas proprii ſubjecti quocúmque modo impediant executionem demandatam, ſed in utrámque partem non magis, aut minùs dependeat animus: quæ intelliguntur per adjecta verba in dicta prima deſcriptione.

260 Altera deſcriptio explanatur, quòd ſit *quædam animi compoſitio*; ut benè percipiatur, habitum eſſe in anima, & interioribus ſenſibus immediatè radicatum, à quo provenit compoſitio, ſeu libertas exterior, quam penitus ſubjiciunt aliis ii, qui ſunt indifferentes juxta illud *Jobi* 1. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Hinc animi compoſitionem indifferentem palàm profeſſus eſt regius Pſaltes pſal. 107. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, ut cuſtodiam mandata tua!* Hanc ſimiliter expreſſit Chriſtus, dum factus in agonia prolixiùs orabat *Luca* 22. *non mea voluntas, ſed tua fiat!* qua ratione animum ſuum componebat cum animo Patris æterni, ſuámque voluntatem illius voluntati penitus alligavit.

Dicitur 2. *prolixo mortificationis uſu comparata*; ut intelligatur nulli gratis dari à Deo pretioſam hanc margaritam, indifferentiam ſcilicet, qui non mortificationi aſſiduò, & ſtudiosè operam vult navare. Quia igitur indifferentia eſt aliquis habitus, repetitis actibus comparatus, neceſſe eſt, frequens ſit variarum mortificationum exercitium.

Dicitur 3. *Per quam quis poſt præfixum ſibi perfectionis &c.* nam indifferentia in quolibet ſtatu religioſo certum perfectionis terminum præſtituit, & intra illum ſolùm indifferenter ſe habet ad ea, quæ ſpectant majorem perfectionem illius Religionis à Superioribus determinandam juxta illud S. Bern. *Ser. quomodo voluntas tripliciter ſubjici debeat*; ubi ait: *nihil certum voluntas noſtra definiat, pendeátque inter utrúmque, aut ſaltem neutri parti nimis adhæreat, cogitans ſemper, ne fortè altera pars Deo magis placeat.*

Dicitur 4. *His, vel illis mediis &c.* quia indifferentia non ſe tenet ex parte virtutis, aut vitii indifferenter, neque etiam indifferenter amplectitur obvia media ad virtutem, vel vitium; hoc enim modo abſolutè peccaminoſa foret, ut eſt evidens: Religioſus etenim, ſicut ad ſui ſtatûs finem, qui eſt

per-

perfectio, plena voluntatis ſuæ determinatione, & tota intentione ſua contendere debet, ita etiam media ad finem illum requiſita reſpuere non poteſt: & ſicut non licet Religioſo eſſe indifferentem circa finem ſui ſtatûs, ita quoque fas non eſt, eum eſſe indifferentem circa media.

Dicitur 5. *Sub hoc vel illo duce*: quod proprium eſt indifferentiæ, quia unicè ad nutum Superioris ſe habet, qui media ad perfectionem religioſam conducentia ex voluntate Dei, ſuum vicarium per occulta conſilia dirigentis, in bonum inferioris optimè, ac vario modo applicat.

Dicitur porrò, *ſub hoc vel illo duce* ad doctrinam, qua inſtruitur Religioſus ſubditus, ut ſit indifferens ad mandata exequenda, ſive ab hoc vel illo Superiore injungantur, id eſt, ſive à patre ſpirituali, ſive à Superiore intermedio, aut alio quocúmque ſibi Superiore: nec cujusquam imperfectiones proprias aſpiciat, nec difficultatem mandati conſideret, nec murmuretur, nec conqueratur in propria etiam voluntate. Sicut in vitis P. P. de quodam Anachoreta ſcribitur, qui in Cœnobio Alexandrino viliſſimis coquinæ miniſteriis applicatus, cum maxima animi tranquillitate omnia ſibi injuncta per plures annos ferventiſſimè peragebat, & hanc ob cauſam, quòd ſcilicet nunquam fuerit impatiens viſus, interrogatus reſpondit: *nunquam me hominibus ſervire arbitratus ſum, ſed Deo.*

Dicitur 6. *Ad certa media ſcopum illum, ſive finem concernentia, indifferenter ſe habiturum firmiter proponit.* Hic notatur rurſus aliquid ſpeciale: nam præter neceſſaria ad præfixum perfectionis Religioſæ ſcopum media, ad quæ Religioſus non poteſt indifferentem ſe habere (ut mox in *dicitur* 4. fuit notatum) alia adhuc media non neceſſaria ſunt, uti conſilia, avocatio ab officio, in quo etiam majus lucrum animarum, majora merita, majus animæ ſpirituale bonum, tranquillitas conſcientiæ, devotio, & recollectio ſpiritûs, quin abſolutè major Dei gloria appareat, & translatio à Superiore facta ad aliud officium, in quo minor Dei gloria, minor devotio, minor tranquillitas conſcientiæ, minus animæ bonum ſpirituale, minora merita, minus animarum lucrum videtur &c. ad hæc, inquam, media ſcopum ſive finem, qui eſt religioſa perfectio, indifferenter habiturum, id eſt, ea indifferenter amplexurum, nec ullo modo in propria voluntate reluctaturum firmiter, conſtanter, atque in modum connaturalis habitûs proponit.

Dicitur 7. *Promptúmque ſe ſtatuit exhibere ad juſſa Superiorum*; Id enim eſſentiale eſt indifferentiæ,

Digitized by Google

tiæ, quòd nempe Superioris præcipientis voluntatem tanquam ſuam propriam ſine tergiverſatione, ac diſcuſſione ſequatur. Hinc, quia indifferentia perfectiſſimæ eſt obedientiæ ſpecies, hæc autem Superioris mandata, executioni mandanda, pro objecto habet, ſequitur tanta voluntatis propriæ indeterminatio, ut in omnibus Superioris nutum, & determinationem expectet: ſicque Religioſi voluntas ſe totam exhibet promptiſſimam ad juſſa Superiorum, velut hæc non ab homine, ſed à Deo eſſent profecta, ad modum indifferentiſſimi S. P. N. qui in ſoliloquiis anceps hærendo, in quonam magis Divinum faceret beneplacitum, aliud nihil in ſe, & de ſe ſtatuit, quàm hoc: *Domine jube, quod vis, & da, quod jubes!* Ad hæc, ut à nobis indifferentiam obtineamus, cogitandum eſt, nos eſſe cæcos, Superiores autem eſſe videntes, & noſtros ductores, qui nobis viam in religioſa perfectione demonſtrant, de inſidiis latentibus, & periculis imminentibus tempeſtivè admonent, ne aberremus, & à via perfectionis abducti præcipites labamur. Quare ductori, nobis à Deo tam providè conſtituto, penitus inhærere debemus, ut, dum perfectionis iter aggredimur, ab eo in æquilibrio pendentes, qua circumſpectione, quibus cautelis, qua ſimplicitate & ſinceritate conficiendum illud ſit, perdiſcamus, ſicque in præſumptionis, vanæ gloriæ, & proprii judicii præcipitium non cadamus. Atque ex his ſatis conſtat, quid ſit indifferentia: nunc de ejus actibus.

Præter actus obedientiæ c. 10. a. 6. infra adducendos formales indifferentiæ actus ſunt: 1. Dum Religioſus mentem in quodam æquilibrio conſtituit, totámque à Superiore dependere facit, ita ut nihil penitus ſibi agendum proponat, quàm quod Vicarius Dei, ſcilicet Superior, dictaverit. 261

2. Dum totam ſui curam quoad corpus & animam Superioris diſpoſitioni committit. Unde S. Bonav. furem, & latronem nominat, qui propriam voluntatem uſurpat invitô Prælatô; cùm tamen in profeſſione religioſa ſacramento ſe obſtrinxerit, ſe velle ad nutum obedire.

3. Dum nulla re clanculum, & ſine Superioris expreſſo mandato uti velit; quin etiam in operibus bonis ſui Patris ſpiritualis conſilium petit, ſuáſque mortificationes, & privatas devotiones ad nutum illius inſtituit, paratus æquè ad relinquendum, quàm faciendum.

4. Demum, dum in omnibus, quæquæ jubeantur, determinationi Superioris ſubjacet; nec ab eo magis cupit audire, quod ipſemet voluerit, ſed potiùs hoc vult, quod ab illo audierit: *optimus*

Digitized by Google

mus namque miniſter tuus eſt (docet S. P. N. *l.* 10. *confeſſ. c.* 16.) *qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potiùs hoc velle, quod à te audierit.*

5. Actus porrò indifferentiæ ſunt, ordinem præſcriptum ad amuſſim exequi, neque opera injuncta, & ad certas temporis differentias jam conſtituta, ad alias pro libitu rejicere. Quoad diſpoſitionem ſive in veſtitu, victu, ſive habitatione, officio, loco, nutui & voluntati Superiorum penitus ſubeſſe, & vel ſine ulla objectione, difficultatéque, aut tergiverſatione eandem diſpoſitionem amplecti, vel non niſi cum plena reſignatione & modeſtia, ſiquid Superiori ſuper ejuſmodi diſpoſitione neceſſariò ingerendum videtur, maturè, humilitérque ſuggerere. Cæterùm actus obedientiæ perfectæ ſunt quoque actus indifferentiæ; & regula communis eſt, quòd indifferentes ſint perfectè obedientes, habeántque ſe indifferentia per modum habitûs & diſpoſitionis, obedientia verò per modum actûs.

262 Signa adeò indifferentis, & indeterminatæ voluntatis ex ipſa promptitudine deducuntur; naſcitur enim exinde mirabilis pax animi, quietudo variarum paſſionum, tranquillitas conſcientiæ, quæ etiam in hominem exteriorem redundat, & planè hominem cœleſtem efficit. Ita S. P. N. de indifferentia, & tranquillitate ex illa proveniente ait, quod ſit *pax temporalis, veſtigiúmque pacis æternæ.* Alium effectum inſignem recenſet S. *Dorotheus ſer.* 19. inquiens: *ex indifferentia continget, ut, cùm aliam voluntatem non habeamus, quàm noſtrorum Præfectorum, faciendo, & exequendo voluntatem illorum, faciamus ſemper noſtram.* A contrario; maris inſtar efferveſcunt illorum animi, continuôque motu agitantur, qui ſemper ſuam voluntatem ſequi, & determinationem Superioris juxta ſuam determinationem fieri cupiunt; qui adeò fixè ſuis inhærent judiciis, ut in alteram partem, Superiore præcipiente, vix moveri poſſint. Iſti, qui perverſum propenſionum fixarum affectum ſemper habent, promptam & hilarem tollunt obedientiam, faciúntque, ut Superiores ad monendum ſummam cautelam adhibeant, ne ſolito impetuoſiùs ferveat cogitationum determinatarum mare, & cum offenſione cæterorum evomat in opere, quòd plerúmque latet in mente. Monſtrum hoc Religionis, & infenſiſſimum hoſtem reputat S. Bonav. *tract. de interiore homine.* S. Bernard. verò graphicè deſcribit Religioſos determinatæ voluntatis, ſuæ plùs æquô inhærentes, & ita *ſer.* 3. *de reſur.* perorat: *hi ſunt veritatis diviſores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni*

Digitized by Google

magni in oculis ſuis, *ignorantes Dei juſtitiam*, *& ſuam volentes ſtatuere.*

Concludo tandem præſens de Mortificatione Caput, cum admonitione tyronibus tradita à Reverendiſſimo *Lairvelz ſ. 742. ſui catech. t. 1.* in hæc verba: „Volo „etiam tyrones admonere, vix „poſſe eos ſe ad hoc, vel illud „officium determinatè habere ſine „propriæ voluntatis quæſitione, „vel ſine obediendi in contrarium „difficultate, vel ſine beneplaciti „Divini lædendi periculo. Expe„ctanda eſt in hujusmodi Dei vo„catio per Superiores, & cum Re„gio Pſalte in corde canendum: „*Audiam, quid loquatur in me Do„minus Deus.* Pſ. 83. Audietis au„tem, ſi non magis ad hanc, quàm „ad illam functionem afficiamini, „eorum animalium more, quæ in „hoc, vel illud latus non inflecte„bantur, *ſed*, juxta Prophetæ te„ſtimonium Ezech. 1. *ubi erat im„petus Spiritûs*, *illuc gradiebantur*: „parata, quocúnque vellet Spiri„tus Dei, tranſire. Ingreſſi eſtis „Religionis civitatem, ibi dicet „vobis Ananias (*Præpoſitus*) quid „vos oporteat facere, & ad quid „poſſitis veſtrum ſentire & velle „determinare, & quando, ac quo„modo debeatis vos ad inclinatio„num veſtrarum currum adjun„gere.

RELIGIOSUS PROTEUS.

Fabula Poëtarum eſt, *Proteum* omnes ſibi conjungere formas, ac in varias commutari ſpecies. Atque commentum iſthoc ab Ægyptiorum Regum conſuetudine originem traxiſſe ſcribitur, qui, teſte Diodoro, in capite, ac ſupra coronas, vel diademata diverſa principatuum ſuorum inſignia ferebant, in quæ *Proteum* pro genio ſuo transformari veteres finxêre. Miſsâ fabulâ, Religioſus *Protei* naturam induat, neceſſe eſt, ſi verè Religioſus eſſe velit, ad nutum Superioris ſui in quaslibet formas, religioſa exercitia ſcilicet, varia Ordinis miniſteria, diverſa Religionis opera tranſponibilis abſque contradictione. Ita S. P. N. *optimum miniſtrum eſſe*, judicat, *qui non magis intuetur hoc à Superiore audire*, *quod ipſe voluerit*, *ſed potiùs hoc velle*, *quod ab eo audierit.* Mandatum nempe accipere debet ſubditus, & ſine ruminatione ac tergiverſatione exequi juſſa. Optimus erit Religioſus, ſi quodcúnque, etiam graviſſimum, imò contra judicii proprij rationem ſibi à Superiore injunctum opus alacri ſuſceperit animo, & non ſuam, ſed in mandante Superiore voluntatem Patris æterni fecerit; qui enim ad bo-

Digitized by Google

na & mala, & ad ea, quæ voluntati propriæ placent, aut diſplicent, indifferens eſt; ſive, ut habet Richardus Vict. *de præp. A. c.* 28. *qui tam adverſa perpeti, quàm in proſperis non delectari apud ſemetipſum ſtatuit, quæ difficultas ejus obedientiam minuere poterit?* Religioſus ergo *Proteus* eò ſuam voluntatem inflectat cum Chriſto Matth. 26. identidem corde ingeminans: *non quod ego volo, ſed quod tu vis.* Et Luc. 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Sit voluntas Superioris mandantis & voluntas eadem ſubditi exequentis; & perfectio erit in Religioſis, omnibúsque Rebuspublicis; uti oſtendit Dionyſius Carthuſ. *l. 2. de vita & fi. ſolit. a. ult.*

Ita D. Thomas, Abbas S. Andreæ Vercellis, obedientiam adeò in omnibus præſtitit, ut nihil ei committere valerent Superiores, quod ipſe ociſſimè non præſtaret. Religioſiſſimum *Proteum* diceres, quòd paratus eſſet ad quaslibet formas induendas. Modò publicis concionibus perorandis, modò privatis in S. Tribunali ad converſionem peccatorum exhortationibus dandis expoſitus, modò ad ſcholas, Philoſophiam, & Theologiam publicis lectionibus prælegendam ablegatus, indifferentem ad omnia præſeferebat animum. Delata verò munia exactiſſimè, & impigrè obivit, abſolvítque ad voluntatem mandantium, ut deſiderari nil ab eo ampliùs poſſet. Sola viri humilitas ad altiora differentem ſe exhibuit munera: hinc ex injuncta obedientia, & mandato Gregorij IX. Rom. Pontificis ex Gallia, & Cœnobio Pariſienſi S. Victoris in Italiam venit, ad mitram Canoniæ S. Andreæ Vercellarum ſuſcipiendam accitus. Ad hanc ſupremam in terris Chriſti Vicarij voluntatem adjaphorum ſe præſentavit Thomas, eáque in civitate ſcholam Theologicam aperuit: ubi inter alios diſcipulos S. Antonium Paduanum, priùs *Ferdinandum* dictum, & Canonicum Regularem Congregationis Conimbricenſis Collegiatæ Eccleſiæ S. Vincentij Ulyſſipone, poſteà Ordinis S. Franciſci, & ab eodem SS. Minorum Patriarcha Vercellas ſtudiorum causâ miſſum, auditorem habuit. Multis virtutum, & doctrinarum laudibus clarus, inter inſignes illius ævi Doctores ad perennem abiit laurum 5. Decembris A. 1246. *Ex Pennotto l. 2. & 3. Ejuſdem notis ad officia Lateranenſia 13. & Necrologio S. Victoris Pariſienſis.*

B. Joannes Bonus Valetus Belga Can. Reg. Cantipratenſis, eximiarum virtutum cultor extitit, Superioribúsque ſuis ad omnem annutum promptiſſimum deferebat animum, ut nil grave ei videretur, quidquid præciperetur. Innocentiſſimam cùm ſemper duceret vitam, Pariſiis tamen ſub

Do-

Digitized by Google

Doctore Petro Cantore ad ſtudia incumbens, aliquando, neſcio, quibus dubiis, ac tentationibus exagitabatur. Has ergò, ut deponere, victórque evadere poſſet, in preces ſe dedit, eáſque ferventiſſimè non ſine piis lachrymis protrahenti viſendos ſe præbuerunt bini Apoſtolici Collegij Principes, Petrus & Paulus, qui priſtinæ malaciæ conſcientiam ejus cœleſti alloquio reddiderunt. Complectebatur tenerrimo affectu Deiparam Virginem, de qua inter alia illius encomia, binos hoſce verſiculos pangebat:

Felix Mater ave, quâ mundus ſolvitur à va:
Qua genitricis Eva va facis eſſe breve.

Vivere deſiit anno partæ ſalutis 1200. cujus obitûs dies ponitur 27. Decembris ab *Arnoldo de Rayſſe in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii.*

Parem indifferentiam, ac promptitudinem ad diverſa pro bono publico officia exercuit B. M. Lubertus Hauſchilt Brugenſis Flander. Vix annos 14. nobilique familiâ natus, norma Canonicæ noſtræ Religionis (ut eum compellat Reverend. Grueber hoc die in ſuo Theatro) in Echoutana S. Bartholomæi Abbatia Brugis nomen dedit. Profecit eò loci tantum in doctrina, ac Religioſis virtutibus, ut Prior eligi mereretur. Quo munere dum triennio maxima cum laude fungitur, omnibus ùt ſupremum caput præficitur. Factus Abbas divini cultûs zelo accenſus Canonicum Ordinem in ſuo Cœnobio ad meliora adduxit, templum ornavit, novum ædificium (quod *dormitorium* vocant) ſuis cum appendicibus è fundamentis excitavit. Cum præcipuis Canonicæ noſtræ familiæ Collegijs, ſcilicet S. Auberti in civitate Cameracenſi, S. Eligij in monte, S. Joannis ad vineas, in civitate Sueſſionenſi, peculiaria fœdera contraxit, totiúſque Carthuſianorum Ordinis meritorum participationem ſibi, ſuíſque impetravit. Ab Illuſtriſſimo Cardinale Epiſcopo Cameracenſi Petro de Aliaco viro doctiſſimo curam reſtituendi Calendarij tempore Concilij Conſtantienſis ſuſcepit: quo in Concilio à Cardinale Urſino perquam benignè acceptus à Patribus conſcriptis pro meritis mitrâ donatus, vix adduci potuit, ut eam acceptaret. Extitit magnorum Principum Flandriæ, Burgundiæ, quin & Bituricæ à conſilijs. Brugenſium nomine aliquoties ad Magnates legatione functus fuit. Magiſtratum itidem Brugenſem Principis juſſu altera vice reformavit. Spiritu prophetico repletus ſcriptum reliquit Vaticinium tota Europâ famoſum, & pluribus partibus Belgij rei eventu comprobatum, ſæpiùs olim recuſum, ac in varias linguas

tranſlatum. Inter alia maximè memoranda illius ſunt, quòd ſex Abbates varijs Collegiatarum Eccleſiarum Cœnobijs ex ſuis Canonicis dederit, quæ induſtria, & ſedula in religioſis virtutibus, ac omnimodis regularibus diſciplinis educatio Luberti fuit. Præterea Sodalitium Magnatum inſtituit, qui *Confratres noſtri ad ſuccurrendum* appellabantur. Geſtabant hi certum numiſma ad pectus, teſſeram dictæ Sodalitatis. Hos inter Sodales ipſemet Eminentiſſimus Cardinalis Petrus de Aliaco Epiſcopus Cameracenſis, Joannes Archiepiſcopus Regenſis, Joannes Dux Bituricenſis, nec non Henricus Perchius è Noort-Umbriæ Comes numerari voluerunt. E vivis abijt 27. Decembris An. 1417. ætatis 74. Religionis 60. Prælaturæ 24. cujus ſepulchrum epigraphe ænigmatica inſcriptum frequenter ab exteris viſitatur. *Ex tomo 1. Flandria illuſtrata Antonij Sanderi. Cornelio Bartholomæi in mantiſſa ad pondus Sanctuarii f. 56.*

CAPUT V.

De Oratione mentali, & vocali.

PErſpectâ Religiosâ vocatione, cognitâ vitiorum naturâ, hauſtis quoque principijs de ſublimium virtutum exercitio, atque imbibitâ de mortificatione ſenſuum tam internorum, quàm externorum doctrinâ, altiùs inquirendum eſt religioſæ perfectionis cupidis animabus ad illud efficaciſſimum medium, quo obtineatur veluti viâ ordinariâ, quam Chriſtus in terris nos edocuit, Divina gratia, ut non tantùm rebelli, & vitijs innutritæ naturæ frœnum injicere, exorbitantes paſſiones in ordinem redigere, & apertum bellum indomitæ carni parare, verùm etiam cum quadam facilitate, & cœleſti ſuccurſu providè id aggredi, fortiter proſequi, ac tandem perficere feliciter poſſimus. At verò medium iſtud non eſt aliud, quàm Oratio; quæ infallibili Numinis Incarnati oraculo, communi Eccleſiæ ſenſu, & unanimi S.S. P.P. teſtimonio tam valida impetrat è cœlo auxilia, ut Deus, *cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, ſuppliciter exorantibus noxia cuncta ſubmoveat, & omnia nobis profutura concedat*; ſicut fiducialiter orans exhibet S. Mater Eccleſia *Dom. VII. poſt Pentecoſt.*

Quare, antequam perfectionis ſpiritualis vias ingrediamur, pertractandum nobis eſt de Oratione in præſenti capite; ubi ejus neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitatem, utilitatem, ac finem quaſi in genere conſiderabimus: dein in ſpecie de oratione mentali quoad eſſentiam, proprietates, cauſas, & effectus illius paulò fuſiora, ac tandem de Oratione vocali documenta aſcetica proponemus. Nunc ſit

ARTICULUS I.

De utilitate, neceſſitate, ac fine Orationis in genere.

SUMMARIUM.

263. *Definitur oratio, quæ fundatur in triplici cultu Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ.*
264. *Dividitur in internam, & externam. Æquiparatur Sacrificio. Ejus ſpecies expenduntur, Supplicatio, Poſtulatio, Inſinuatio, Benevolentiæ captatio.*
265. *Varia neceſſitas Orationis oſtenditur, &*
266. *Utilitas propter multos fructus ſuos.*
267. *Ad Orationem meritoriam requiritur quadruplex conditio.*
268. *Bona intentio, &*
269. *Finis. Explicatur Thymiama myſticum.*

263 AD prolixas artis Rhetoricæ regulas panegyrica oratione in commendationem *Orationis* excurrere, nobis hìc prorſus non eſt animus; quippe qui intra præſcriptos ſcitu neceſſariæ doctrinæ aſceticæ terminos continere nos, non extra vagari, conſtituimus. Quod conſiderandum primum obvenit, eſt deſcriptio Orationis: quæ variè modò ad utilitatem, & neceſſitatem, modò ad objectum, finem, & fructus ex ea percipiendos definitur. Doctorum Aquila, altiſſimùm volans ultra colles ſupernos, ad inviſibile viatoribus Deitatis objectum tendit, quando *ſer.* 230. *de temp.* eam circumſcribit, quòd ſit *aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio supernorum, inviſibilium deſiderium.* Mellifluus verò Doctor in Scala clauſtrali objectum, finem, & fructum ſimul comprehendit, quando aſſerit, orationem eſſe *devotam cordis intentionem ad Deum pro amovendis malis, & bonis adipiſcendis.* Juxta S. Thomam mox citanda Q. a. 17. *Oratio eſt aſcenſus intellectûs in Deum.* Quando ergo communi Fidelium calculo Oratio ſumitur *elevatio mentis ad Deum*, ſive pro avertendis malis, ſive pro impetrandis bonis, intelligenda eſt vel *immediatè & primariò* ad Deum, *vel mediatè & ſecundariò*, dum Sancti invocan-

vocantur, ut precibus noſtris patrocinium ſuum præſtent, idque à Deo nobis obtineant, quod noſtris precibus non valemus, & peccatorum noſtrorum pondere preſſi non meremur. Ita Angelicus Magiſter 2. 2. Q. 83. *Art.* 4. docet duplicem orandi modum: *Uno modo quaſi per ipſum* (Deum) *implenda. Alio modo ſicut per ipſum* (Sanctum) *impetranda. Primo quidem modo ſoli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes noſtra ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam: quæ ſolus Deus dat &c. Secundario modo orationem porrigimus ſanctis Angelis, & Hominibus, non ut per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat, ſed ut eorum precibus & meritis orationes noſtra ſortiantur effectum &c. Nam à S. Trinitate petimus, ut noſtri miſereatur: ab aliis autem Sanctis, quibuscúnque petimus, ut orent pro nobis.* Atque in hunc ſenſum S. Mater Eccleſia ſub Officio Canonico, & in feſtis Sanctorum ſuppliciter precatur, *ut omnes, qui NB.* illo die occurrentis Sancti *implorant auxilium, petitionis ſua ſalutarem conſequantur effectum &c.* ut illius *interceſſione, & exemplo divina in cordibus noſtris charitas jugiter augeatur* &c. aut alia nobis neceſſaria munera concedantur &c. prout ad diverſos fines, & effectus orationes fidelium diriguntur. Atque iſte duplex Deum implorandi, Sanctóſque pro auxilio invocandi modus fundatur in excellentia illius, cui debetur honor, & cultus: ſicut autem triplex eſt ejusmodi excellentia perſonarum, ita par correſpondet dignitas cultûs. Prima excellentia eſt independens, infinita, & Divina, cui correſpondet cultus *Latriæ*, éſtque ſumma voluntatis noſtræ proteſtatio & inclinatio cum apprehenſione Dei, tanquam primi principij, & ſummi boni. Atque iſte honor Numini delatus perfecta eſt adoratio illius, ſolíque Deo convenit, nec alteri deferri poteſt. Altera eſt excellentia merè humana & naturalis, poſita in virtutibus, dignitate, & gradibus, cui reſpondet obſervantia civilis, fitque cum apprehenſione humanæ excellentiæ cultus, uti filij erga parentem, civis erga Magiſtratum, ſubditi erga Superiorem. Verùm de iſto modo hìc nobis nihil agendum. Tertia eſt excellentia media inter divinam & humanam; qualis eſt gloria Sanctorum, gratia, Spiritûs ſancti donum &c. Atque cultus illi reſpondens fit cum inclinatione voluntatis noſtræ apprehendentis excellentiam plusquàm humanam, minorem tamen, quàm divinam, eáque debetur Sanctis. Verùm, quia inter creaturas ſanctas reliquis præcellit B. Virgo Maria propter excellentiam maternitatis, & gratiæ plenitudinem; ideò Theologi hanc ſpeciem partiuntur in cultum *Duliæ*, & *Hyperduliæ*: hanc B. Virgini attri-

attribuunt, illam alijs Sanctis. Videatur deſuper *S. Th.* 2. 2. *Q.* 84. *Bellarm. l.* 2. *de B. S. S. c.* 12. *T.* 2. *Controv.* 3. *Vaſquez de adoratione. Suarez in* 3. *p. T.* 1. *diſput.* 31. *& ſequent.*

264 Orationis ſic in genere acceptæ notiſſima eſt diviſio in *mentalem*, quæ conſiſtit in internis ſolùm intellectûs ruminationibus, pijs voluntatis affectibus, & memoriæ exercitio: & *vocalem*, quæ internos affectus exteriori vocum prolatione exprimit, vel ſenſibilibus ſignis manifeſtat, e. g. canendo, pſallendo, ſuſpirando, ſupplicando, rogando, ſive publicè in templis, oratorijs, proceſſionibus, ſive privatim & tacito labiorum motu, à precante ſolummodò percepto. Sic orationem vocalem apud S. Th. c. Q. a. 1. S. Iſidorus L. 10. Etym. complexus eſt, quòd *orare idem ſit, quod dicere.* Secundùm Caſſiodorum verò *Oratio dicitur quaſi oris ratio.* At de hac plura art. ult.

Porro cùm oratio ſit placitum Deo ſacrificium, ſecundùm illud *Pſ.* 140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum* &c. ſacrificium verò ad cultum pertineat adorationis Divinæ, quadruplicem etiam ſortitur ſpeciem, correſpondentem ſacrificio. 1. Sacrificium deſtinabatur etiam in antiqua lege ad tribuendum Deo honorem; quod dicebatur *holocauſtum.* 2. Pro gratiarum actione erat *Sacrificium laudis.* 3. Pro expiatione peccatorum *expiatorium.* 4. Pro impetrandis gratijs erat *impetratorium.*

Comprehendit iſtas orationis ſpecies M. Hugo Vict. l. de modo orandi c. 2. & ſequentibus, quando ſupplicationem, poſtulationem, inſinuationem, & benevolentiæ captationem in ea requiſivit. *Supplicatio* eſt ſine determinatione petitionis humilis, & devota precatio. Tria autem ſunt genera ſupplicationum, captatio, exactio, pura oratio. *Captatio* fit ante poſtulationem ad præparandum, & inclinandum animum auditoris, cùm aliquid facimus, quod perſonam, vel cauſam noſtram, ſive meritum noſtrum, ſive infirmitatem commendat, aut cùm aliquid in laudem ejus proferimus, quem oramus, aut quando aliquid dicimus, per quod apud animum auditoris cauſa adverſarij noſtri, ſive perſona deprimitur. *Exactio* eſt inſtantia, ne petitio noſtra in oblivionem veniat, & renovatio hæc memoriæ fit, dum aliquid de perſona auditoris, vel de perſona noſtra, vel de cauſa noſtra iteratò dicimus. *Pura oratio* eſt, quando ex abundantia devotionis mens ita accenditur, ut, cùm ſe ad Deum poſtulatura converterit, præ amoris ejus magnitudine etiam petitionis ſuæ obliviſcatur. Hoc genus orandi in forma eſt, & quàm præ

cæteris omnibus unicum, tam eſt apud Deum præ cæteris omnibus pretioſum. Sed inter hæc tria ſupplicationum genera infimum locum *Captatio*, medium *Exactio*, ſupremum, & excellentiſſimum *pura Oratio* obtinet; quia captatio timorem, exactio fiduciam, pura oratio perfectum habet amorem.

Poſtulatio eſt determinatæ petitionis incerta narratio; ſicut eſt illud: *cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Pſ. 50.* Hæc tribus modis fit, obſecrando, rogando, ſimpliciter poſtulando. Obſecratio eſt, quando vehementior neceſſitas devotiùs precibus inſiſtere cogit: in mediocribus cauſis rogamus, in minimis ſimpliciter poſtulamus. Excellentiſſimum eſt obſecrare, medium rogare, minimum ſimpliciter poſtulare.

Inſinuatio eſt ſine petitione per ſolam narrationem voluntatis facta ſignificatio. Hæc quoque tribus modis fit timore, fiducia, contemptu. *Timore* fit, quando vel cauſa magna eſt, quam agimus, vel magna perſona, quam rogamus. Sic Martha quidem rogare voluit, ut fratrem ſuum mortuum Dominus ſuſcitaret; ſed quia propter magnitudinem cauſæ, & reverentiam perſonæ extimuit, inſinuare potiùs, quàm poſtulare elegit, *Domine*, inquiens, *ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Joan. 11.* *Fiduciâ* fit inſinuatio, quando vel de facilitate cauſæ, vel de benevolentia perſonæ confidimus; & ideò deſiderium noſtrum patenter exprimere negligimus, quia nos obtinere poſſe ſola inſinuatione ſperamus. Sicut eſt illud, quod in nuptijs, deficiente vino, Domino Mater dicit: *Vinum non habent. Joan. 2.* Non dixit; peto, ut defectum poculi, vinum creando aut commutando, ſuppleas: ſed hoc maternæ reverentiæ privilegium deberi exiſtimavit, ut quicquid vel innuendo ſe velle ſignificaret, pati à filio repulſam non debuiſſet. Et hoc quidem juſtum fuerat, ſi tale quid ab eo petiviſſet, quod ille facere poſſet ſecundùm naturam, quam ab ea ſumptam gerebat. Nunc autem quodammodo juſtè reprehenditur, quia ab eâ natura, quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Et dicitur ei: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* miraculum enim facere Dei virtus eſt, non hominis, & ideò, cùm à Matre *Chriſtus homo* de miraculo requiritur, idem non quaſi *homo*, ſed quaſi *Deus* mulierem non matrem de præſumptione cauſatur. Maria enim à Chriſto non quaſi mater exigere filio, ſed quaſi mulier (ſi neceſſe fuiſſet) miraculum humiliter poſtulare debebat à Deo.

Contemptu fit inſinuatio, quando vel cauſa vilis eſt, vel perſona, quæ rogatur, humilis: quæ omnino ab oratione Divina excluditur; apud homines autem, maximè ſuper-

Digitized by Google

perbos, & potentes, magno ſtudio exercetur. Et ſicut in ſupra dictis oſtendimus, ita quoque in his tribus differentiam invenimus. *Inſinuatio* enim *ex fiducia* perfectis convenit, *ex timore* incipientibus, *ex contemptu* malis. *Hi enim omnino excluduntur ab inſinuatione oratoria; niſi vitæ in melius emendandæ propoſita elicuerint, ac cor contritum præſeferant, & ita mediante fide, & in miſericordiam Dei fiduciâ orationem ſuam auſpicentur.*

Benevolentiæ captatio (quamvis ſuperiùs quaſi ſpecies ſupplicationis annumeretur, ſecundùm quandam tamen largiorem conſuetudinem non ſolùm ſupplicando, ſed etiam poſtulando & inſinuando accipitur hìc) eſt comparatio auditoris benignitatis. Quod tribus modis fit; ſive quando aliquid in laudem ejus dicimus, ſive quando aliquid de noſtra miſeria commemoramus, vel etiam quando aliquid, quod ad depreſſionem adverſariorum noſtrorum ſpectat, in medium adducimus. Sive igitur laudem Dei in bonitate ejus & potentia, ſive miſeriam noſtram in infirmitate, & culpa noſtra, ſive malitiam adverſariorum noſtrorum in tyrannide eorum & aſtutia, ad exercitationem mentis, & augmentum bonæ devotionis orantes, commemoremus, nihil ineptum facimus, & per pium affectum, quem ipſa nobis verba excitant, ubique orantes ſumus. Hucúſque Magiſter Pariſienſis; cujus formalia adduximus verba omiſſis fuſioribus explicationibus, & hinc inde paucis interjectis.

Non abſimilem doctrinam S. Thomas tradidit 2. 2. Q. 83. a. 17. ubi *obſecrationes*, *orationes*, *poſtulationes*, & *gratiarum actiones* partes Orationis aſſerit, & angelicè tractat. Notandum ſolùm eſt, quòd S. D. ſub *poſtulatione* ſupplicationem, & inſinuationem includat ex diverſo tantùm reſpectu poſtulantis. Et iſtas partes variè in orationibus contineri oſtendit; modò enim præcedit *oratio*, quæ etiam *captatio benevolentiæ* dicitur: modò præcedit *obſecratio*, vel *poſtulatio*. Exempla duo ponit l. c. hæc: *In Miſſa obſecrationes ſunt, quæ præcedunt conſecrationem, in quibus quædam ſacra commemorantur. Orationes ſunt in ipſa conſecratione, in qua mens maximè debet elevari in Deum. Poſtulationes autem ſunt in ſequentibus petitionibus. Gratiarum actiones in fine. In pluribus etiam Eccleſiæ collectis hæc quatuor poſſunt attendi; ſicut in collecta Trinitatis, quod dicitur:* Omnipotens ſempiterne Deus: *pertinet ad orationis aſcenſum in Deum. Quod dicitur*, qui dediſti famulis tuis &c. *pertinet ad gratiarum actionem. Quod dicitur*: præſta quæſumus &c. *pertinet ad poſtulationem. Quod in fine ponitur*: per Dominum noſtrum &c. *pertinet ad obſecrationem.*

265 Neceſſitas orationis, ejúsque utilitas deſumuntur à Religione, ratione, imbecillitate & indigentia humanæ naturæ, adverſariorum multitudine, & potentia: quibus ſine cœleſtibus auxilijs omninò ad reſiſtendum impares ſumus. Quoad primum neceſſe eſt, dari Religionem, ſicut neceſſe eſt dari Deum, cui reverentia & honor exhibeatur: & ideò omnia illa, per quæ Deo reverentia exhibetur, propriè pertinent ad Religionem: atqui per orationem Deo reverentia exhibetur; quia orans ſe illi ſubjicit, & profitetur orando ſe eô indigere, ſicut Auctore ſuorum bonorum: ergo Oratio pertinet ad Religionem, cujus eſt actus, docente S. Thomâ ſæpè *cit. q. a. 3.* Patet etiam orationis neceſſitas ex ore Divino Matth. 6. & Luc. 11. ubi diſcipulos Divinus Magiſter orare docuit: & Luc. 18. *Opportet ſemper orare, & non deficere.* Hanc cœleſtis Magiſtri doctrinam perpulchrâ, & ad intentum noſtrum accommodâ expoſitione proſequitur Orator Hipponenſis *ſer. 36. de verbis D. c. 1.* „Si fides deficit, oratio perit; „quis enim orat, quod non cre„dit? unde & B. Apoſtolus, cùm „ad orandum exhortaretur, ait: „*Omnis, quicúnque invocaverit no„men Domini, ſalvus erit.* Et ut „oſtenderet fidem fontem eſſe ora„tionis, nec poſſe ire rivum, ubi „caput aquæ ſiccatur, adjunxit, at„que ait: *Quomodo autem invoca„bunt, in quem non crediderunt?* „ergò, ut oremus, credamus: & „ut ipſa non deficiat fides, quâ „oramus, oremus. Fides fundit „orationem; fuſa oratio fidei im„petrat firmitatem. Etenim, ne in „tentationibus deficeret fides, „proptereà Dominus ait: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Luc.* 22. Ex quibus ſatis liquet mutua connexio, & neceſſitudo orationis & fidei, quibus Religio innititur, ut unâ deficiente hæc ipſa periret.

Neceſſitatem orationis à ratione probat Gentium Apoſtolus *Rom.* 12. dum à Chriſti fidelibus exigit *rationabile obſequium*; id eſt, non corporale, uti erat olim Judæorum, ſed ſpirituale, cultum nempe latriæ, qui rationales homines decet, fide, ſpe, & charitate ſubnixum; prout apud Cornel. à Lap. in hunc locum commentantur S. Chryſoſtomus, Photius & Theodor. *Rationabilis* etenim cultus eſt, quem recta ratio dictat: recta autem ratio dictat, Deum magis interna fide, ſpe, pietate, amore, devotione, humilitate, fiducia, & mentis puritate, quàm externis corporis cæremonijs colendum eſſe. Atque iſtud *rationabile obſequium*, quod S. Paulus tam enixa obſecratione à ſuis requiſierat, perfectiſſima eſt Oratio: cui orantis mortificatio corporalis accedat, ut *exhibeat* ſimul *corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*: nam per actus

actus mortificationis corpus fit hoſtia vivens, quia vivens mortificatur, caſtigatur, & ſpiritui ad omne ſpiritûs officium exequendum, ad Dei honorem, & obſequium ſubditur. Uti præclarè interpretatur Commentator l. c. S. Thomas quoque 2. 2. *Q.* 83. *a.* 10. ex profeſſo probat, *orare proprium eſſe rationalis creaturæ*; quia *oratio eſt actus rationis, per quem aliquis ſuperiorem deprecatur*, ſive precibus ſuis diſponit ad certam quandam gratiam, beneficium, vel obſequium ſibi præſtandum. Nil igitur rationabilius eſt homini, quàm orare.

Porrò neceſſitatem Orationis facilè deprehendemus, ſi cum M. Hugone Victorino *L. de modo orandi c.* 1. „ cogitemus, quàm brevis ſit vita noſtra, quàm lubrica via, quàm mors incerta. Si cogitemus, quòd lugentes in hanc vitam intravimus, cum dolore pertranſimus, cum luctu exituri ſumus. Si cogitemus, quantis amaritudinibus admixtum ſit, ſi quid etiam dulce, aut jucundum in via hujus vitæ occurſu ſuo nobis alludit: quàm fallax, quàm ſuſpectum, quàm inſtabile, quàm tranſitorium eſt, quidquid hujus mundi amor parturit, quidquid ſpecies & pulchritudo temporalis promittit &c. Certè humanæ naturæ fragilitas, in bonis propoſitis mutabilitas, in virtutibus ſervandis inconſtantia, illecebrarum hìc trahentium, illic allicientium frequentia, carnis propriæ & hoſtis domeſtici petulantia, adverſitatum quotidie accidentium copia, ægritudinum variarum vis, & afflictiones corporis, paſſiones animæ, & accedentes his omnibus machinationes fraudulentæ Diaboli, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*, compellunt nos noſtram agnoſcere miſeriam, Divinam implorare clementiam, & auxiliatricem deprecari manum. *Impoſſibile eſt*, inquit aureus Orator L. 1. de orando Deum, *absque precationis præſidio cum virtute vitam agere; etenim quî fiet, ut quis virtutem exerceat, niſi continenter ſupplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnium largitur hominibus.* Sic S. P. N. *L.* 10. *de Civit. c.* 22. *vera pietate homines Dei aëream poteſtatem inimicam, contrariámque pietati exorcizando ejicere, omnes tentationes ejus vincere orando*, toto illo capite oſtendit.

Tandem utilitas Orationis ex fructibus ejus dignoſcitur: inprimis enim habet fructum quadruplicem, velut ſacrificium; uti conſtat ex n. 264. *omne* enim *opus*, ex doctrina S. P. Aug. L. 10. de Civit. c. 5. *quod fit, ut ſancta ſocietate Deo inhæreatur, generali nomine ſacrificium eſt, & hoſtia*: atqui oratio eſt tale opus: ergo oratio generali nomine ſacrificium eſt. Cui accedit confirmatio Regia ex Pſ. 140. v. 2. *dirigatur oratio mea ſicut in-* 266

 cen-

Digitized by Google

cenſum in conſpectu tuo : elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum : conſequenter fructus etiam ſacrificij in ſe continet.

2. Animam purgat, illuminat, & gratiarum cœleſtium capacem reddit, diſponit etiam ad majora in dies dona; ita S. P. N. *ſer. Dom. in monte L.* 2. *c.* 3. conteſtatur : *Ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat, & purgat, capaciúſque efficit ad excipienda Divina munera, quæ ſpiritaliter nobis infunduntur.*

3. Non solùm diſponit ad Dei dona; ſed ipſam quoque gratiam actualem impetrat. *Oratio* enim *eſt refectio jejuniorum, advocat gratiam Spiritûs ſancti. Oratio duritiam cordis emollit, auſteritatem temperat, jejunium dulcificat*; Legislatore noſtro teſte *ſerm.* 230. *de temp.*

4. Corroborat animam ad vincendos omnes inimicos viſibiles & inviſibiles: quia Diaboli *tentationes* fideles *vincunt orando*, ex citato S. P. N. textu.

5. Non modò ſubſidia, varia animæ & corpori neceſſaria, ad vitam præſentem, congruè, & benè traducendam, obtinet; verùm peccata etiam quotidiana levia delet, dogmate illuminatiſſimi Eccleſiæ Doctoris de Symb. L. 1. c. 7. *ad delenda peccata levia oratio quotidiana ſufficit.* Imò etiam gravia peccata expungit, & abſtergit, dum peccatorem orantem ad contritionem diſponit, & in cognitionem miſeri ſui ſtatûs, ac Divinæ miſericordiæ recordationem adducit. Sic Publicanus ad brevem, at humilem, oratiunculam; *Deus propitius eſto mihi peccatori* &c. remiſſionem ſuorum delictorum impetravit; & *deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Lucæ* 18. David quoque poſt exaggerationem ſuorum ſcelerum, à Nathan ſibi factam, ad unicam confeſſionem : *peccavi Domino* : translatum audivit peccatum. M. Magdalenæ ad pias lachrymas, pedum Chriſti oſcula, & internam humilem orationem dimiſſa ſunt etiam peccata. *Luc.* 7. Apertè id docuit S. Chryſoſt. L. 1. de orando Deum : *Etiamſi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Leproſus ſimul ac procidit ad pedes Chriſti, mundatus eſt.* Et *Homil.* 18. *in opere imperfecto ſup. Matth.* expreſsè concluſit: *omnis, qui petit, accipit, id eſt, ſive juſtus ſit, ſive peccator.* Ita etiam Siracides *Eccleſiaſt.* 28. monuit : *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur* : ubi Syrus legit: *dimitte id, quod in corde tuo eſt, & pro te ora, & omnia peccata tua dimittentur tibi* : nempe mediante oratione ad contritionem diſpoſito.

6. Pœnas, peccatis noſtris debitas, diluit tam in hac, quàm in altera vita. Hinc ad certas preces à Summis Pontificibus tot indulgentiæ fuêre conceſſæ, quibus pœ-

næ peccatorum aut plenè, aut limitatè quoad determinatam quantitatem remittuntur. Ita S. P. N. ex communi Eccleſiæ praxi pro fidelibus defunctis proficuam maximè Orationem eſſe aſſerit *ſerm.* 32. *de Verb. Apoſt. c.* 2. *Orationibus S. Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* Atque ex his conſtat utilitas Orationis, quam cordi maximè ſibi habeant Spirituales, & Religioſi, quorum Oratio valde meritoria eſt; *multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Jac.* 5.

267 Tria adhuc de oratione in genere dicenda ſuperſunt, quæ neceſſariò requiruntur, ut oratio habeat virtutem merendi & impetrandi: & hæc ſunt conditio, intentio, & finis. De quibus breviter ſequentia adnotamus.

Conditio includit quatuor ex doctrina Angelici D. ſæpè cit. q. a. 15. nempe ut orans pro ſe petat. 2. neceſſaria ad ſalutem petat. 3. piè. & 4. perſeveranter petat. *Pro ſe petat*: licèt enim pro alio orare non ſolùm non ſit prohibitum, ſed præceptum Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Et S. Chryſoſtomus homil. 14. in Matth. *pro ſe orare*, inquit, *neceſſitas cogit*; *pro altero autem charitas fraternitatis hortatur.* Ut tamen vim impetrandi certam habeat oratio, pro ſe inſtituatur. Ejus ratio eſt: quòd alius aut non ſit in ſtatu gratiæ; & ſic propter obicem peccati eidem aliquid mereri non poſſis: aut illi incongrua pro ſuo ſtatu, & inconvenientia pro ſalute petas; unde Deus te non exaudit pro altero. Hinc multi Sancti pro alijs orantes non impetrarunt à Deo petitiones ſuas. *Jerem.* 15. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*, dicit Dominus: licèt iſti orantes pro populo Iſraëlitico Prophetæ maximi fuerint meriti apud Deum. Aliam hujus rationem adhuc aſſignat S. Th. 1. 2. Q. 114. a. 6. & 22. Q. 83. a. 15. ad 2. ideò debere hominem pro ſe orare, quia pro ſe de condigno poteſt mereri: *quia verò homo non poteſt alij mereri vitam æternam ex condigno, ideò per conſequens nec ea, quæ ad vitam æternam pertinent: poteſt aliquando aliquis ex condigno alteri mereri, & propter hoc non ſemper ille auditur, qui pro alio orat.* Poteſt tamen quis pro alio deprecans mereri illi gratiam de congruo; *quia*, ut ait S. D. l. c. *Homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem, congruum eſt ſecundùm amicitiæ proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in ſalvatione alterius; licèt quandóque poſſit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis ſanctus juſtificationem deſiderat.* Ergò ut aliquis certò petitionis ſuæ effe-

effectum conſequatur, & de condigno mereatur, *pro ſe petat.*

Altera conditio efficaciter impetrandi petita eſt: *neceſſaria ad ſalutem petantur*; etſi enim aliquis pro ſe ipſo Deum oret, ſi tamen ad beatitudinem utile non ſit, non meretur illud, ſed quandóque ſaluti contrarium petendo & deſiderando meritum amittit: puta, ſi petat à Deo complementum alicujus peccati. Quandoque verò non eſt neceſſarium ad ſalutem, nec manifeſtè ſaluti contrarium; & tunc, licèt orans orando poſſit mereri vitam æternam, non tamen meretur illud obtinere, quod petit. Unde S. P. N. Aug. *L. ſententiarum Proſperi* (ut habetur in operibus S. Aug. *Tom.* 3.) dicit: *fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus hujus vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur: Quid enim infirmo ſit utile, magis novit medicus, quàm ægrotus.* Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoveri à ſe ſtimulum carnis, quia non expediebat; quamvis ad ſalutem videretur Paulo perquàm utile, imò propter periculum aliquô modô neceſſarium. Hinc etiam, dum pertinentia ad ſalutem hominis petuntur, à Deo *non negantur, ſed, ut congruo dentur tempore, differuntur*; ut notat S. *Aug. tract.* 102. *in Joan.* Videatur S. Th. c. l. a. 15. ad 3.

Tertia conditio exigit, non tantùm pro ſe, & neceſſaria ad ſalutem, ſed etiam *piè* petere; id eſt, oratio ſit affectuoſa, variíſque virtutum actibus circumornata. 1. *Fides* adſit viva in Deum, ut ſcilicet credamus, ab eo nos poſſe obtinere, quod petimus: ita hortatur Chriſtus *Marci* 11. *Quæcúnque orantes petitis, credite, quia accipietis*: & Jacobi 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans &c.* Plurimis etiam exemplis S. paginæ demonſtrant, quos *fides ſalvos & ſalvas fecit.* 2. Spes requiritur: ſic ait S. Chryſoſt. *in pſal.* 4. *ante omnia oportet eum, qui precatur, habere fiduciam &c.* Sic etiam pſal. 90. ipſe Deus in ſe ſperanti petitionem adimplere ſe velle ſpopondit: *quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum: clamabit ad me, & ego exaudiam eum* &c. 3. *Charitas* neceſſaria eſt, utpote quæ eſt radix efficaciter merendi æternum bonum, quod proprium ejus eſt objectum; S. Thom. c. q. & a. 15. Ita voluit Chriſtus *Joan.* 15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcúnque volueritis, petetis, & fiet vobis.* 4. *Humilitas* eſt neceſſaria ex parte ipſius petentis, qui ſuam indigentiam recognoſcit. Exemplum hujus eſt in Publicano ſe humiliante, & ideò juſtificato. In Abrahamo ſe humiliante *Geneſ.* 18. *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis, & cinis &c.* David etiam in humilitate preces ſuas effun-

Digitized by Google

fundens, exauditum ſe teſtatur *Pſal.* 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.* 5. *Devotio* etiam requiritur; quia eſt primus actus Religionis, & eſt *voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; docente S. Th. 2. 2. q. 82. a. 1.* Religio ergò mediantibus fide, ſpe, & charitate, humiliter, devotè, & ferventer orationem Deo offert, & mediante religione à charitate oratio procedit, unde ejus meritum: Et hoc eſt *piè petere.*

Quarta conditio complectitur perſeverantiam; quod eſt *perſeveranter* petere. Non enim ſufficit, ut aliquis pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem petat, piè petat; ſed requiritur quoque, ut *perſeveranter* petat. Ita Chriſtus Matth. 7. perſeverantes in oratione exaudiri docet. Et Lucæ 11. *Si perſeveraverit pulſans, propter improbitatem ejus ſurget, & dabit &c.* Ita S. Greg. Mag. in *pſal.* 129. hortatur ad perſeverantiam in oratione: *eſto ſedulus in oratione, eſto in precibus importunus, cave, ne ab oratione deficias. Si diſſimulat audire, quem rogas, eſto raptor, ut regnum cœlorum accipias &c.* Ita S. P. N. *ſerm. 1. de tempore* jubet Chriſti fideles, ut *cum Dei gratia contendant perſeverare in operibus bonis; quia non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Et *ſer. 41. de Sanctis* aſſerit, *omnes Sanctos, qui Deo fideliter ſerviunt, lectioni, vel orationi vacare, & in bonis operibus perſeverare contendere.* Quatuor has conditiones apud S. Th. comprehendit S. Baſilius in Ser. de orando Deum, quo oſtendit propter defectum vel unius etiam ex aſſignatis orationem petentis non habuiſſe ſuum effectum. *Ideò,* inquit laudatus Præſul, *quandóque petis, & non accipis, quia perperam poſtulaſti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel deſtitiſti.* Econtra, *quatuor conditionibus* poſitis, in oratione *concurrentibus, ſemper aliquis impetrat, quod petit, ſi pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter*; ut in terminis continet Angelica doctrina l. c.

Intentio ad orationem neceſ- 268
ſaria cum fine orationis ferè coincidit. Igitur antequam accedas ad orandum, primò devotionem excita, & ideò orationi vacare te cogita, ut Deum colas, laudes, & benedicas coram Angelis & hominibus, coram cœlo & terra, & indigniſſimum te profitere, qui coram Divina Majeſtate compareas. Et hic eſt actus *Religionis.* 2. Orare intende, ut Deo placeas, gratum obſequium præſtes, & in gratia, ejúſque amicitia conſerveris. Qui eſt actus imperatus à *charitate.* 3. Ut Deo gratias agas pro innumeris corporis & animi beneficijs. Qui

Digitized by Google

actus eſt *gratitudinis*. 4. Ut imiteris Jeſum Chriſtum, B. V. M.; omnéſque ſanctos Angelos & homines, quorum orationibus & meritis tuas conjungas, & conjunctas Deo offeras. Qui ſunt actus *Hyperduliæ*, & *Duliæ*. 5. Ut pro peccatis ſatisfacias, & eorum veniam impetres. Qui eſt actus *pœnitentiæ*, & *humilitatis*. 6. Ut gratiæ augmentum, charitatis, manſuetudinis, humilitatis, caſtitatis, patientiæ, cæterarúmque virtutum, præcipuè fidei & ſpei incrementum, efflagites. Qui ſunt actus *iſtarum virtutum*; quarum motiva influunt in orationem. 7. Ut animas è piacularibus flammis eripias, pro pœnis, quas earum peccata nondum expiata merentur, ſatisfacias Divinæ Juſtitiæ: vel etiam pro vivis juſtis, ut perſeverent uſque in finem, & peccatoribus, ut convertantur, deprecaris. Qui eſt *amor perfectus proximi*. Atque hiſce actibus virtutum præmiſsîs, intentio concluditur, quæ variegatur pro multiplici orationis effectu, ſeu rei petitæ deſiderio.

269 Finis, propter quem, & ad quem omnis oratio eſt dirigenda, *ultimatus* habetur Deus, infinita illius gloria, & honor; ad hunc etenim finem referri debent vita, & omnes actiones noſtræ. Deus enim adorandus, colendus, laudandus, & ſuper omnia amandus eſt, maximè in oratione; cùm ſit cultus latriæ, & actus Religionis. Finis *immediatus*, proximus, ſeu *non ultimatus* ab Aſcetis vocatur ſalus animæ, beatitudo æterna, & ſtatus gratiæ in hac vita. Atque ad hunc finem ſtatuuntur adhuc alij fines ſubordinati, ſcilicet virtutes variæ, actus heroici, victoria generoſa ſuiipſius &c. Qui tamen non tam ſunt fines orationis, quàm ipſius orantis, qui pro neceſſitate ſua ad Deum preces dirigit. Proin, cùm orantes in vario ſint ſtatu indigentiæ, varios ſibi præfigunt in oratione fines; qui tamen omnes in fine ultimato conveniunt, ſive ſint *incipientes*, *proficientes*, ſive *perfecti*. Incipientium, & proficientium oratio, præcipuè mentalis, ſeu meditatio, dirigenda eſt inprimis ad fugienda, & minuenda in dies peccata, ac imperfectiones, etiam non culpabiles, operum ſuorum, præſertim ad extirpandum illud peccatum, quod examini particulari ſubjici ſolet. Qua ratione non pauci mirum planè effectum ſenſerunt, celerem nempe multorum peccatórum extirpationem, & cordis puritatem, atque inſignem in virtutibus profectum.

2. Dirigenda eſt oratio ad opera ordinaria bene peragenda: quod rurſus quatuor modis fieri poteſt. 1. Si ſingula opera offerantur Deo cum bona intentione. 2. Si omnia fiant cum debita diligentia, & juxta ordinem præſcriptum.

Digitized by Google

ſcriptum. 3. Si peragantur cum ſancto animi fervore. 4. Si magis & magis perficiantur in dies, & ita creſcat cum meditatione interna perfectio operandi externa. Quo ſenſu S. Bernardus aſſeruit, orationem eſſe *devotam cordis intentionem ad Deum, pro amovendis malis, & bonis adipiſcendis.* Inter quæ bona in particulari numeranda ſunt quotidiana opera noſtra, cum ſua perfectione ritè peracta, & bona intentione ad Deum directa. Atque hæc appellatur à S.S. Patribus *jugis oratio*; & comprobatur exemplo Abbatis Lucij in *vitis P. P. L.* 3. *pag.* 531. *n.* 212. 3. Dirigenda eſt ad ferenda patienter, libenter, & ardenter (ut ſupra n. 160. ex S. Bern. oſtenſum eſt) ea omnia, quæ diſplicent amori proprio; uti ſunt humiliationes, contemptus, calumniæ, & quævis verborum, aut factorum injuriæ &c. De quibus egimus prolixiùs c. 3. a. 4.

Hæc in genere de Oratione, quam Magnus Gregorius tropologicè gratiſſimum Deo appellat

THYMIAMA MYSTICUM.

Sicut enim Deus in veteri lege paſci voluit victimîs animalium, ita & recreari, placaríque præcepit odoribûs; ut conſtat ex cap. 30. Exodi. Aptiſſimum planè Symbolum placationis, quia iræ & indignationis indicium eſt in naribus: unde Jobi 41. *de naribus ejus procedit fumus.* Sic etiam ſuavi odore mulcentur nares, & indignatio irâ fumigantis odorifero ſuffitu mitigatur, & avertitur. Nempe devota & humilis oratio hominis, in Dei gratiâ & amicitiâ conſtituti, *ſicut incenſum in conſpectu* ejus aſcendit, iram avertit, miſericordiam reis conciliat, & gratiam impetrat. Alia adhuc paritas Symbolica eſt Orationis, & thymiamatis: Sicut enim iſtud confectum & commixtum eſt ex ſtacte, onycha, galbano, & thure; ſic illa ſuis ſimilibus aromatibus condîta eſt: nam, exponente M. Greg. L. 1. moral. c. 39. *Thymiama ex aromatibus compoſitum facimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus.* Bene autem intelligitur apud Cornel. à Lap. *in cap.* 30. *Exodi* myſticè per *Thus* Religio, ac Oratio, quæ commixta per ſtactem *mortificationem*, per galbanum *charitatem & miſericordiam*, per onycham *caſtitatem cum fide & ſpe* efficit thymiama ſuaviſſimum. Hinc etiam apud veteres cor in thuribulo poſitum hieroglyphicè ſignificabat orationem, & preces puro, humili, contrito,

Digitized by Google

& ardenti corde prolatas ad Deum; ut habet *Pierius hieroglyphico 34. apud cit. Auct. v. 36.*

Ita cor B. Joannis de Baraſtra Abbatis XV. Monaſterij S. Eligij in monte propè Atrebatum in continuo thuribulo erat repoſitum, quippe orationis ignem abſque defectu intra ſe jugiter alebat. Singulari planè compunctionis, devotionísque gratiâ præditus, vix Sacris operari potuit, quin ingentem vim lachrymarum profunderet, præſertim cùm deveniret ad ſumptionem SS. Corporis & Sanguinis Chriſti. Ardebat enim & æſtuabat flagrantiſſimum Joannis cor, & penitus eliquatum amore, dulciſſimum velut incenſum in Deum erigi videbatur. Eximio ad hæc amore erga B. Cœli Reginam, ejúsque Filium adoptivum, Joannem Evangeliſtam, & glorioſam Martyrem Catharinam ferebatur, quorum ſingulis diebus opem demiſsiſſimè implorabat. Atque à SS. Patronis, mediantibus precibus, tam valida impetravit auxilia, ut contra præpotentes, injuſtóſque bonorum ſui Cœnobij invaſores jura & privilegia conſtanti virilique animo tutatus ſit. In id quoque intentus, ut illud virorum quà pietate, quà doctrina præclarorum eſſet domicilium, ipſe omnibus omnium virtutum, humilitatis præſertim, factus paradigma. Unde factum, ut fama inculpatæ vitæ illius ad aures S. Ludovici Franciæ Regis Chriſtianiſſimi perlata ad ejus amorem & magnam æſtimationem Regis animum inclinaverit. Flandrenſem & Hanonienſem Comitiſſam eximiè ſibi devinxit, ita quidem, ut Rex Chriſtianiſſimus & Comitiſſa Flandrenſis, B. Abbatis precibus permoti, plurima Eccleſiæ S. Eligij dona contulerint. Quamvis verò à Magnatibus magno in pretio haberetur, majorem tamen ipſe de ſe contemptum fovit, pro nihilo haberi, & in exiſtimatione hominum extinctum ſe eſſe maximè cupiens.

Pauperes, ipſe ſpiritu pauper, magnô numerô largè alebat, veſtitum, aliáque neceſſaria, quantum potuit, ijs diſtribuendo. Si quos carceribus detineri noverat, vel ipſemet inviſebat, & ſuaviſſimè conſolabatur, vel per ſuos id fieri præcepit; ut verè dicere de ſe poſſet: *Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione* &c. Apoc. 5.

Inter alias familiares pietatis exercitationes collocavit acerbiſſimos Chriſti patientis dolores, qui uberem ei pro oratione mentali ſubminiſtrârunt materiam. Conſideratione illorum permotus in tenerrimos compaſſionis, amoris, aliósque intenſiſſimos actus frequenter prorupit.

Sparſo ſanctitatis rumore per Galliam, ut eſſet è numero Patrum,

Patrum, à Gregorio X. Rom. Pont. ad Concilium Lugdunenſe conſcriptorum; Joannes quoque noſter vocatus fuit: aſt nimiô confectus ſeniô, viribúsque fractus eò ire nequivit. Deſtinatos ergò è gremio Canonicorum ſuorum duos virtute & ſcientia conſpicuos, qui vices illius gererent, ſummus Eccleſiæ Hierarcha benignè ſuſcepit, & in ijs Joannem paterna charitate complexus eſt: qui paulò pòſt fluxam cum immortali commutavit vitam 14. Martij A. 1274. Cùm Eccleſiæ ſuæ ſanctiſſimè præfuiſſet Annos 25. *Ex monumentis M. S. Cœnobij S. Eligii apud Arnoldum Rayſſium: in Auctario ad natales Sanctorum Belgii Joannis Molani ad diem* 14. *Martij.*

Thymiama myſticum, Deo ſuaviſſimum, concremavit etiam Adamus de S. Victore, Pariſienſis Canonicus Regularis, mirâ in Deum, Sanctóſque pietate eximius, præſertim erga Deiparam devotiſſimus Illum *de Eccleſia Romano-Catholica optimè meritum* L. 1. c. 7. operis ſui Mariani jure meritò appellavit Petrus Caniſius Societ. Jeſu Theologus, à ſcientia & ſanctitatis opinione celebris. Fertur ſub digna fide virorum ſat gravium, Adamum aliquando majori devotione Almam Matrem Virgineam inter ardentes preces interpellâſſe, atque inſignem favorem ab eadem Cœli Regina promeruiſſe; cùm enim proſam quandam in laudem illius commentus fuiſſet, indque ea conſcribenda (cujus titulus incipit: *Salve Mater Salvatoris*) ad illa verba perveniſſet:

Salve Mater Pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium:

Eadem glorioſiſſima Deipara cum Filio parvulo eidem adfuit, & quaſi pro honoris laude gratias ageret, erga Adamum verticem inclinavit, hócque raro eum favore non ſolùm proſecuta, ſed mirabili quoque ſuavitate illius animum replevit. Ita teſtatur *Thomas Cantipratanus L.* 2. *de propr. apum c.* 29. *n.* 7. Tandem poſt accumulata merita, & odoriferos orationum devotarum ſuffitus, in cœlum emiſſos, à corpore diſſoluta eſt felix Adami anima, terris relictâ virtutum ſublimium fragrantiâ, ſcilicet ſanctitatis opinione; ut comprobat publico teſtimonio Auctor Martyrologij Gallicani. Contigit beata viri mors 8. Julij A. 1177. vel juxta Marracium in Bibliotheca Mariana A. 1192. *Ex Auctoribus prælaudatis.*

Gratiſſimum Majeſtati Divinæ eſſe Thymiama *orationem*, tot miraculis cœlitùs comprobatum fuit, ut unus, tacitîs aliîs, teſtis foret omni exceptione major Venerabilis Servus Dei Petrus Forerius: qui quantis virtutibus in heroico gradu fuerit præditus,

Decretum Beatificationis & Canonizationis 1. Aprilis 1717. Romæ editum, quòdque in manibus meis conſervo, ſub Apoſtolica teſtatur fide. Quantis autem beneficijs, & miraculorum gloriâ toti refulgeat Lotharingiæ, Notula miraculorum in Proceſſu Tullenſi & Biſuntino, auctoritate Apoſtolica conſtructo, atque pro Illius Canonizatione producto, palàm Chriſtiano exhibet orbi. En Venerab. Petri efficacem apud Deum orationem!

R. P. Nicolaus Fagot è Soc. Jeſu presbyter febre, & ſciriantiâ, quâ ferè præfocabatur, ac, ne quidquam deglutiret, impediebatur, oratione ferventi à Petro ad clementiſſimum Numen pro eo fusâ, ſtupentibus Medicis, ac ipſo ægroto, illius amico familiari, ſubitò perfectéque reſtituitur ſanitati. *Not. n.* 2.

Puella quinquennis in puteum prolapſa, & per unius horæ ſpatium in ejus fundo ſubmerſa, ac mortua, precibus ſervi Dei ad vitam mirabiliter revocatur. *Not. n.* 7.

Dux Sereniſſimus Lotharingiæ Carolus IV. extremè ægrotans in Caſtello Bellovacenſi, & à Medicis deſperatus, ipſum viſitante Venerabili Petro Forerio, atque orante, ſanitati redditur. *Not. n.* 10.

Claudia Mercier ab hydropiſi formatâ, auditâ Miſsâ, & accepta benedictione Servi Dei, ſanitatis recipiendæ causâ, abundantiſſimam aquam evomit, & ſtatim ſana fit. *Not. n.* 15.

Similes curationes ſubitaneas, ac miraculoſas exhibent diverſi Proceſſus nominatim Tullenſis & Biſuntinus; de quibus ſubinde quædam excerpemus, ut ſerviant pro virtutis exemplo, & pietatis ſtimulo legentibus. Unum ſolùm hôc notare locô placuit, quo conſtet Petri fervor religioſam conſervandi diſciplinam in bene cæpto ſtatu: non enim ipſe collapſam in ſuo S. Ordine reſtaurare, ac ad primæva ſolùm reducere ſtatuit principia, verùm & poſt obitum invocantibus pro ea ſervandâ ſartâ tectâ evidens præſtitit auxilium. Congregatio enim Venerandiſſimorum D.D. Canonicorum Præmonſtratenſium, antiquioris obſervantiæ in ſummo conſtituta diſcrimine, ac evidenti periculo labendi ab incæpta feliciter reformatione ob potentias opprimentes, facto ſolemni voto ad Venerabilem Servum Dei firmior ſtat, & res ejus ferè deſperatæ in integrum reſtituuntur; prout ex Reverendiſſimis Teſtibus in compendio refertur *Not. n.* 33. Atque ex his apparet orationis, devotionisque efficacia.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Meditatione, & ejus fine.

SUMMARIUM.

270. *Definitio varia Meditationis: cujus*
271. *Partes quatuor eſſentiales explicantur:*
272. *Illi & finis adæquatus.*
273. *Qualia ſint bona propoſita, docetur.*
274. *Corollaria ex dictis eruuntur.*
275. *Diſcrimen cogitationis, meditationis, & contemplationis aſſignatur. Animæ penna meditatio.*

270 Meditatio ex S. P. N. doctrina l. 1. de ſpirit. ani. *eſt ſtudioſa inveſtigatio occultæ veritatis:* quæ præcipuè verſatur circa veritates Divinas, myſticum, & moralem ſenſum ad Dei gloriam, elevationem mentis, & virtutum variarum exercitium in ſe continet. Eam S. Bern. pulcherrimè quoad omnes proprietates ſuas deſcribit in ſcala Clauſtri c. 1. & 3. dum ait: *Sedula meditatio non remanet extra ſe, non hæret in ſuperficie, ſed ulteriùs pedem figit, interiora penetrat, ſingula rimatur, & maſticando, ac rimando ſuccum elicit, & transgrediendo uſque ad cordis intima transmittit.* Meditationem porrò idem mellifluus Doctor *l. 1. de conſ. c. 7.* ex effectibus, velut à poſteriori, circumſcribit; quòd rerum particularium & ſingularum (ùt in meditatione fit) *conſideratio ea fit, quæ mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt, quæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis quaſi non ſentit.* Nempe dulceſcunt amaritudines animi, & tribulationes ſupra dorſum noſtrum cadentes, ex pia meditatione acerbiſſimæ paſſionis, & dolorum Chriſti.

Ab alijs Aſcetis rectè definitur meditatio, quòd ſit *exercitatio internarum animæ rationalis potentiarum, memoriæ, intellectûs, & voluntatis, circa Deum, myſteria fidei, rèſque ſacras verſans, cum colloquio interno ac familiari ad Deum vel Sanctos.* Ex qua definitione clarè patet, in interiori anima tantùm conſiſtere meditationem; nec per ſe, & directè in ſenſibus externis verſari, ad diſtinctionem orationis vocalis. Dixi, *per ſe & dire-*

Digitized by Google

directè; nam licèt ſenſus externi maximè debeant quieſcere, dum intellectus interioribus ratiocinationibus vacat, juvari tamen *per accidens & indirectè* poteſt per ſenſus externos; v. g. phantaſia confert ad repræſentandã rem per imagines, ac ſi coram cerneret. Deinde promovet orationem mentalem oratio vocalis tempore præcipuè ariditatis, & diſtractionis. Similiter pro vario hominum genio quidam oculîs clausîs, ſenſibúsque relictîs perfectè meditationem inſtituunt; quidam verò ex aſpectu cœli, piæ imaginis, vel auditu explanationis cujusdam Myſterij Divini: quidam expanſione brachiorum, proſtratione corporis, ſtatione, genuflexione, tunſione pectoris ad interna rapiuntur ratiocinia, piéque permoventur. At, uti dixi, tantùm *per accidens*, *indirectè & remotè* conducunt ad meditationem: quæ tantùm in intellectu conſiſtit, nec ultra voluntatem, & memoriam progreditur; niſi eâ finitâ voluntatis imperium potentias externas ad executionem eorum, quæ in interiori conclavi fuêre conſulta, atque efficaciter concluſa, urgeat.

271 Ex ultimò data definitione deducitur, 4. eſſe meditationis partes. 1.ma pars eſt *exercitatio memoriæ*, qua Dei præſentia, myſterium, circa quod verſatur meditatio, vel hiſtoria, & ſacra objecta intellectui quaſi ob oculos adducuntur, & per puncta diſtincta cum fide viva, & ferventi proponuntur, juxta illud: *Niſi credideritis, non intelligetis, Iſaiæ 7.* Quod pertinet ad fidem vivam. Et ſecundùm illud: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis, Pſal.* 38. Quod fidem ferventem, & affectuoſam inſinuat.

Altera pars eſt *ratiocinatio intellectûs* circa objectum, ſeu materiam propoſitam. Duo munera hìc intellectus præſtare debet. 1. Objectum ſeu myſterium S. quoad omnes circumſtantias, cauſas, effectus, loci ſitum, verborum ſenſum intimè percipere. 2. Inde ſalutaria documenta extrahere, & voluntati amplectenda proponere.

3.tia pars eſt *motio voluntatis* pro exigentia rei conſideratæ, ita ut varios actus amoris, fiduciæ, gratitudinis, vel affectus contritionis, compaſſionis, doloris, deſiderij, ſimiléſque eliciat.

4.ta eſt *petitio eorum*, quæ meditando intelleximus nobis expedire cum fiduciali colloquio ad Deum. Et hoc colloquium eſt meditationis concluſio, quam tota anima varijs affectibus inſtituit: ubi *memoria* ſuggerit ex parte Dei infinitam bonitatem, gloriam, amorem, perfectionem, miſericordiam &c. ex parte hominis

minis indigentiam, annihilationem ſui, confuſionem &c. fiduciam in petendo, facilitatem in impetrando, ſi ſit ad Dei gloriam &c. *Intellectus* laborat, quàm rationi ſit conſentaneum ex his & iſtis motivis &c. *Voluntas* varijs affectibûs fertur in Deum, & à rebus creatis avellitur. Id totũ expreſſit S. P. N. *L. de ſpir. & ani. c. 70. Meditatio parit ſcientiam, ſcientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio verò perficit orationem*: Nempe per meditationem venit homo in Dei, & ſuiipſius cognitionem, de ſuis peccatis, & vilitate propria erubeſcit, & compungitur; compunctus ad Dei miſericordiam & bonitatem recurrit, & inter ardentia ſuſpiria miſcet colloquia, amore erga Deum plena. Eidem neceſſitates exponit ſuas; fiducialiter neceſſarium ſibi poſtulat auxilium, atque tota ſpe in Divina conquieſcit bonitate.

Finis, ut ajunt, adæquatus meditationis eſt, ſcire, velle, & 272 facere, quod pertinet ad Religioſam vocationem perficiendam, vitámque perfectè traducendam. *Scire* importat illuminationem in intellectu: *velle* bonos motus & propoſita in voluntate: *facere* actiones potentiarum externarum, voluntatis imperio ſubjectarum, ad exequenda propoſita ordinatarum; ut ſcilicet in quinque ſenſibus, in locutione, & inceſſu, in utrôque appetitu concupiſcibili & iraſcibili ad virtutem compoſita fiat moderatio, & ſenſus hi omnes ex mente S. Bern. *in obſequium virtutis ad nutum rationis* dirigantur.

Atque iſta tria *intellectûs illuſtratio*, *voluntatis motio*, & per externas potentias in praxin redigenda *executio* ſunt finis à meditante intentus, & ſimul adæquatus fructus illius: ex quibus eminet ſecundus; nam in ſola veritatis cognitione ſine impulſu voluntatis meditatio non conſiſtit, niſi *inadæquatè*; quo ſenſu S. P. N. inadæquatè, aſſerit, *hominis finem eſſe, perfectè quærere veritatem*: *contra Acad. l. 1. c. 3.* Neque tamen in ſolis affectibus ſiſtendum eſt; ſed ulteriùs progrediendum ad executionem propoſitorum.

Bona propoſita aliud nihil 273 ſunt, quàm firma animi decreta, & practicæ reſolutiones, quas dirigit meditans ad efficaciter proſequendam virtutem, vel vitium fugiendum; prout in particulari cognoverit. 4. autem conditiones bona propoſita comitari debent. 1. ut ſint particularia, ad certas circumſtantias, & occaſiones directa, in quibus aliqua virtus practicari, vel determinatum vitium evitari poteſt; in communi enim aliquid velle facere, nihil promittere eſt. 2. ut ſint meditationis ſcopo & meditantis ſtatui convenientia;

nientia; neque enim ad quemlibet affectum indiſcretè quævis propoſita executioni ſunt danda. 3. ut habeant conjunctam induſtriam impedimenta removendi, quæ executioni obſtant, vel poſitivum medium deligendi, quo facilior fiat executio. 4. ut fiant cum certa quadam libertate, animi promptitudine, & fiducia in Deum; qui, ſicut dedit gratiam illa ſtatuendi, ita ſtatuta exequendi gratiam quoque ſit daturus; niſi impedimentum à nobis ponatur.

Hinc prævidere oportet occaſiones, in quibus virtutem operari per Dei gratiam efficaciter proponatur: infructuoſa enim ſunt ea animi decreta, quæ in certis circumſtantijs & datis occaſionibus in praxi opus bonum ſecum non trahunt.

274 In fine hujus articuli. Colliges primò ex dictis, meditationem eſſe medium ad finem hominis Religioſi, cujus finis eſt perfectio ſui ſtatus; juvat enim, & maximè diſponit ad extirpandos vitiorum habitus, ad ſubjugandas paſſiones, ad virtutum actus exercendos in ſuo ordine.

Colliges 2.dò, propoſita etiam illa eſſe bona, quæ quidem ſub meditatione ex ariditate animi & magna cum difficultate fuerunt concepta, poſteà tamen ſecum habent executionem boni operis. Econtra mala quidem non ſunt bona deſideria, ex abundanti devotione profecta; infructuoſa tamen, & inefficacia cenſentur, imò ex ſenſibili affectu ſuſpecta, ſi nullam ſortiantur executionem, & effectum occurrente occaſione.

Colliges 3.tiò. Meditationem pertinere ad cultum Divinū, quia eſt cauſa intrinſeca devotionis, quæ eſt ſpecialis actus Religionis: cùm enim devotio ſit actus voluntatis, quo aliquis Divino ſe promptè mancipat obſequio, & ad peculiaria opera, Dei cultum, & famulatum ſpectantia, liberè ſe offert, paratiſſimúmque exhibet animum, neceſſe eſt, ut hanc voluntatis promptitudinem, ſive devotionem præcedat conſideratio: quia ſecundùm doctrinam Angelici, aliorúmque D.D. *omnis actus voluntatis ex aliqua conſideratione intellectûs procedit, eò quòd bonum intellectum eſt objectum voluntatis*: ut in terminis continet S. D. 2.2. Q. 82. A. 3. in c. Nam juxta S. P. N. L. 14. de Trin. c. 8. *voluntas oritur ex intelligentia.* Conſideratio autem, ſive meditatio duplex eſt, una eſt ex parte Divinæ bonitatis, & beneficiorum in hominem ab ea derivatorum; atque hæc excitat dilectionem, quæ eſt *cauſa proxima* devotionis. Altera ſe tenet ex parte indigentiæ, & infirmitatis humanæ; & hæc eſt *cauſa remota* devotionis, quia excludit ab homine præſum-

ſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo ſe promptè ſubjiciat, dum ſuæ virtuti innititur. S. Bernardus quadruplicem ponit meditationem ad excitandam in homine devotionem, ſcilicet conſiderationem ſuorum peccatorum, pœnarum æternarum, brevitatis hujus vitæ, & felicitatis perennis. Ecce mellei Aſcetæ *in Sententijs* formalia! *quatuor eſſe dicuntur, quæ noſtra gratiam devotionis adaugent. Memoria peccatornm, quæ hominem reddit humilem apud ſe. Recordatio pœnarum, quæ illum ſolicitat ad bene agendum. Conſideratio peregrinationis, quæ illum hortatur viſibilia debere contemni. Deſiderium vitæ perennis, quæ hominem excitans ad perfectum, cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi.* Cæterùm, Deum eſſe cauſam devotionis extrinſecam, & principalem, l. c. docet S. Th. De quo S. Ambroſius c. 9. ſuper Lucam diſſerit, *quòd Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, Religioſum facit; &, ſi voluiſſet, Samaritanos ex indevotis devotos feciſſet.*

Colliges 4. ex his modò dictis, eò vehementiores eſſe actus, & affectus à voluntate elicitos, quò clarior præceſſit conſideratio Divinæ bonitatis, & humanæ indigentiæ. Unde meditans non obiter pergat in conſideratione objecti ſibi præfixi, neque leviter attactâ veritate ſtatim diſcedat; ſed in pijs ratiocinijs, ruminationibusque cœleſtium veritatum perſeveret, uſque dum moveatur voluntas, & in meditatione exardeſcat ignis: de quo Art. 4. plura.

275 Quæres tandem opportunè, quale diſcrimen intercedat inter conſiderationem, ſive meditationem, cogitationem, & contemplationem? Reſpondeo cum celebratiſſimo Doctore Richardo de S. Victore *L. 1. de contemplat. p. 1. c. 3. multùm à ſe invicem hæc tria* (cogitationem, meditationem, & contemplationem) *differre; quamvis quandoque in materia conveniant. Cogitatio per devia quæque lento pede ſine reſpectu perventionis paſſim huc illúcque vagatur*: id eſt, ſimplex *cogitatio* ſenſus ſequitur externos, & phantaſiam; & quidquid hæc intellectui repræſentat, circa illud vagatur, ſive profanum hoc ſit, ſive ſacrum objectum. Atque hæc ſimpliciter neceſſaria eſt ad meditationem, & contemplationem, ſolúmque indiget frœno, & coërcitione, ne ultra, quàm oportet, progrediatur. *Meditatio per ardua ſæpè, & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur*: h. e. quia meditatio eſt exercitatio internarum animæ potentiarum circa Deum, myſteria fidei, réſque ſacras &c, & hæc objecta valde à ſenſibus aliena & abſtruſa ſunt, difficulter ad finem præſtitutum pervenit intel-

Digitized by Google

tellectus; ut adeò magnâ diligentiâ opus ſit, ut perceptô objectô voluntas moveatur ad affectum congruum. Differt *meditatio* à ſimplici *cogitatione*, quòd non ſolùm verſetur circa objectum; verùm etiam cauſas, & effectus, aliáſque circumſtantias ruminetur: quæ cogitatio obiter pertranſit. *Contemplatio libero volatu, quocúnque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur*: ſcilicet intellectus, per Dei gratiam illuſtratus, cœleſtem veritatem clarè cognoſcens, & voluntas affectibus pijs diffluens, penitus abripiuntur à terrenis, & mirabili facilitate feruntur in Divinum quodvis objectum. *Cogitatio* (pergit cit. Author) *ſerpit, meditatio incedit, & ut multùm currit. Contemplatio autem omnia circumvolat, &, cùm voluerit, ſe in ſummis librat*, utpotè vinculîs terrenarum rerum diſſolutîs. *Cogitatio eſt ſine labore, & fructu: in meditatione eſt labor cum fructu: contemplatio permanet ſine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione inveſtigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Intelligentia obtinet ſupremum locum, imaginatio infimum, Ratio medium.* Hæc ille. Ex quibus non tantùm diſcrimen quaſiti, ſed & præclara doctrina Richardi apparet; ut *Henricus à Gandavo Doctor ſolemnis*, qui obijt a. 1293. hoc ei elogium adſcribere non dubitaverit, *mirari poſſe humanum ingenium, quod eò uſque pervenire potuerit unius hominis ingenium.* Digniſſimus planè Magiſtri Hugonis diſcipulus, quem non modò in ſcientijs humanis, ac Divinis, verùm etiam virtutibus ſecutus eſt; ut teſte *Guilielmo Eiſengrien in Catalogo Teſtium veritatis* uſque ad noſtra tempora Gallia vix parem habuerit, ne dum ſuperiorem vel ſanctitate vitæ, vel doctrinæ excellentiâ. Extitit perquàm familiaris S. Bernardo, & glorioſo noſtro Martyri Thomæ Cantuarienſium Archi-Myſtæ; qui aliquando ad S. Victorem Pariſijs divertens longa colloquia de rebus ſacris, & ad diſciplinam regularem pertinentibus, cum Richardo miſcebat. E vivis ſublatus eſt 10. Martij anno 1173. ut conſtat *ex vita, operibus ejus præfixa, & è Bibliotheca Mariana, aliiſque.* Quis verò ex duobus Richardis, quos fol. 35. citavi ſuperiùs, operum iſtorum fuerit Author, examinare hìc non vacat, dum orbi innoteſcit ex probatis Scriptoribus, utrùmque ſanctitate, & ſcientia præfulſiſſe.

ANI-

ANIMÆ PENNA.

MEditationem eſſe pennam rationalis animæ, Magnus Pontifex *lib.* 1. *hom.* 3. *expoſ. ſuper Ezech.* aſſerit; Illa etenim mediante conſurgitur à terra, & terrenis affectibus ad cœlum, & cœleſtia myſteria. Illâ, uti oſtendimus ex S. Bernardo, *interiora penetrantur:* ſingula circa Deum, & Sanctos extra Mundum altum conſiderantur; ſi præcedat viva fides, humilis ſpes, & intellectus æternam contemplari incipiat veritatem, veluti ſuis pennis rapitur extra ſe, ſupra ſe, ut etiam ſecum connaturaliter, & ſuapte natura trahat voluntatem ad apprehenſæ veritatis amabilitatem infinitam, ſuaviſſimè amplectendam; unde ex amico charitatis vinculo in varios abeat affectus: quod ipſum eſt meditari. Fides intellectui præbet faciem, ſeu notitiam cœleſtium: meditatio tribuit animæ pennam, qua fidem ſectando in cœlum avolet; *per faciem quippe unusquisque cognoſcitur, per pennas verò in altum avium corpora ſublevantur; facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem: per fidem ab omnipotente Deo cognoſcimur; per contemplationem verò, qua ſuper nosmetipſos tollimur, quaſi in aëra levamur.*

Ita in Meditationibus ſuis in cœlum rapi viſus eſt D. Petrus Noniz, ſive Nunes, Luſitanus ad S. Crucem Conimbricæ. Is ob ſpectatiſſimam, & omni virtutum genere ornatiſſimam vitam non tantùm in Præſulem illuſtriſſimi, & per totam Luſitaniam celebratiſſimi Cœnobij electus, verùm etiam Urracæ Reginæ, Alphonſi II. Conjugi, à ſacris Confeſſionibus fuit; cùm anteà varia miniſteria Ordinis laudatiſſimè obiiſſet. Dum officio ſacræ ſupellectilis Curatoris defungeretur, ob raram pietatem in Deum, & frequentes ardores Sanctos quosdam videndi, mirum à Deo oſtentum accipere promeruit: conſpexit enim quadam vice nocte intempeſta innumerabilem Fratrum Minorum S. Franciſci catervam Eccleſiæ chorum ordine ingredientem, Matutinas laudes cœleſti concentu perſolventem, ac in medio illorum quemdam, cœteros præcedentem, quem alij quinque alijs excellentiores ſequebantur. Hæc ille cernens admirabatur, quî nocturno tempore januis clauſis, ac nondum pro Matutino penſo recitando campanæ ſigno dato, tanta Religioſorum multitudo templum ingredi potuiſſet: ex uno igitur illorum, quinam eſſent, & qua via huc intraſſent, percontatus, reſponſum tulit: Nos omnes, quos hic coram aſpicis, F.F. Minores

nores ſumus, æterna felicitate beati. Ille autem, quem tantâ gloriâ circumdatum vides, Beatus Franciſcus Aſſiſius eſt, quem in hac vita intueri tanto tenebaris deſiderio: alij quinque, qui inter cæteros quaſi excellentiores eminent, ſunt Fratres, qui Marochij pro nomine Chriſti palmam Martyrij adepti in hoc Monaſterio piè à Fidelibus coluntur. Addidit etiam, Deum permiſiſſe, hanc revelationem ipſi fieri, tum quia à ſacris confeſſionibus Reginæ Urracæ eſſet; tum quia filiali timore, & ſingulari amore Numen proſequeretur: ſcias porrò velim, pergebat ille, dictam Reginam hoc temporis ſpatio è vivis abiiſſe: & quia ex toto corde in Ordinem noſtrum pia veneratione ferebatur, Supremus Mundi Moderator nos huc miſit, ut juſta eidem perſolveremus, precéſque pro defunctis ab Eccleſia fieri ſolitas recitaremus: de obitu Reginæ nullus dubites, qui tibi innoteſcet, quamprimùm hinc diſceſſerimus. Dictum, factum; extemplò quippe defunctæ Reginæ Ephebi januam Monaſterij pulſantes, Dominæ ſuæ diſceſſum indicârunt, unà rogantes, ut ad ejus exequias perficiendas Canonici adirent. Contigerunt hæc 3. Novembr. 1258. Ipſe verò Petrus ex hac vita migrans ob notam ſanctitatem ad pedes SS. 5. Martyrum veluti Sanctus cum Sanctis ſepulturam accepit. *Ex Angelo Manrique tom. 4. annal. Ciſterc. ad annum 1220. cap. 3. n. 10. Chron. S. Franciſc. lib. 4. c. 23. Pennotto lib. 2. c. 61. n. 1.*

Conſimili penna ad Deum ſanctè avolandi uſus fuit S. Badulphus Tarraconenſis Hiſpanus: qui nobilibus ortus Parentibus poſt optimam in varijs diſciplinis inſtitutionem maturè cœpit de arripiendo vitæ ſtatu ſecum diſquirere: ad Religioſum verò ſe intùs trahi animadvertens, Canonicorum *Regularium* in Tarraconenſi Cœnobio amplexus eſt inſtitutum. Ubi (verba ſunt Scriptoris Martyrologij Hiſpanici, Joannis Tamaij Salazar) *Patris Auguſtini nomen, & omen regulariter ebibens, tam ardenter ſtudio pietatis incubuit, ut parùm putaret, ſi integras noctes in hymnis, & canticis, rerúmque Divinarum contemplatione traduceret; niſi etiam talentum à Deo ſibi conceſſum in proximi ſalute quàm diligentiſſimè expenderet.* Obijt 2. Jan. Bobij in Liguria virtutibus clarus anno Chriſti *626. ex Laudato Salazar ſub hoc die.*

Placet Germanum Virtutis exemplar intueri in Reverendiſſimo Bertholdo Collegiatæ S. Crucis Eccleſiæ Auguſtæ Vindelicorum I. Antiſtite: cujus meritis haud dubiè adſcribendum, quòd ſub illius regimine in præfata Eccleſia eidem facta fuerit revelatio Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti.

Digitized by Google

ſti. Id, quomodo acciderit, licèt ad notitiam plurium jam pervenerit, conſultum tamen duxi cum Reverendiſſ. Grueber, rei ſeriem paucis hìc attexere. Agebatur annus poſt Chriſtum natum milleſimus centeſimus nonageſimus quartus, quando mulier Auguſtana ad noſtram S. Crucis ædem Evchariſtiæ Epulum ſumptura acceſſit; quo percepto, clam ſacram hoſtiam ex ore deprompſit, ceræ ad eam rem paratæ ſuis manibus incluſit, ac domum detulit: ubi quinquenniô integrô, nemine conſcio, in ciſta occultatam retinuit. Interea temporis, conſcientiæ remorſu perurgente, nec ampliùs factum ſacrilegum celare auſa, Sacerdotem adit (erat is Bertholdus noſter) cui ſcelus ſuum in confeſſione aperuit, unáque ſacram hoſtiam, ùt erat cerâ recondita, tradidit. Aperiens is aliquantulum ceram, corpus Dominicum in carnis forma, tenui tamen, & filo rubro ſimili, in extremitate apparere deprehendit: ac ceram ſubinde utrínque omninò detrahens, illud quaſi in duas partes diviſum, venulis tamen quibusdam veluti nexibus connexum reperit. Bertholdus prodigij novitate perculſus, deliberat, quid agendum, an ſilentio res tegenda, an verò in publicum eſſet evulganda. Prudenter itaque communicatîs conſiliîs, in eam itum ſententiam, ut cera, manente intùs admirabili Sacramento in vaſculo decente, & duobus munita ſigillis aſſervaretur; donec rei totius Antiſtes Auguſtanus Udaſcalcus nomine certior redderetur. Hoc cùm Epiſcopo innotuit, is cum toto Clero, copioſóque Auguſtenſi cive noſtram Eccleſiam acceſſit, & venerandam hoſtiam ceræ adhuc incluſam ſolemni pompâ ad Principem B. Virginis ædem detulit: ubi perfractîs geminîs ſignîs, in quantitate quadruplâ, aut triplâ auctiorem, quàm priùs erat, conſpexit. A quo tempore uſque ad D. Joannis Baptiſtæ natalem diem, præcipuè dum ad aram litabat Sacerdos, in eam intumuit magnitudinem, ut cera ultrò, nemine manum admovente, rumperetur. Certus de veritate miraculi Udaſcalcus, ſanctiſſimum Sacramentum, non panis ampliùs, ſed ſanguinolentæ carnis ſpeciem præſeferens, è cera exemptum, cryſtallo unàcum ipſa cerâ, ſeorſim collocatâ, incluſit, & eadem, qua nuper ad Cathedrale deferebatur, pompâ ad Cœnobij noſtri S. Crucis templum reportavit; quo in loco à noſtris Patribus ſumma cum reverentia ad hæc uſque tempora aſſervatur, ab indigenis piè colitur, ab exteris demùm populis quotannis catervatim, utpotè plurimis prodigijs, & miraculis coruſcum, inviſitur. Sed, ut ad Bertholdum noſtrum revertatur calamus, paucîs virtutes

tes illius complectimur, dum ſummam vitæ Regularis obſervantiam, auſteritatem, clauſtri & ſilentij rigidiſſimam cuſtodiam, ſummam erga SS. Evchariſticum Numen devotionem, & continuam per frequentes meditationes in Deum elevationem deprædicamus. Cœlum tandem in præmium virtutis Præſuli optimè merito obtigiſſe ab obitu 3. Januarij Anno 1224. poſtquam 40. annos S. regiminis impleverat, nullus dubitat. *Ex Thavmaturgo Evchariſtico R. D. Anaſtaſij Vochetij ibidem Canonici, & Theatro Virt. Reverendiſſ. Grueber &c.*

Priuſquam concludam hunc articulum, præterire non poſſum exemplum pennatæ animæ in Venerabili Dei Servo, Petro Forerio, qui in meditando adeò fuit exercitatus, ut ferè ipſius vita religioſa continua meditatio, & cœleſtium contemplatio videretur. In medijs occupationibus, tam indifferentibus, quàm à ſpiritu alienis, facillimè erigebatur alliger illius animus in Deum, ad quem ſequebantur ardentiſſimi affectus. Unde mirum non eſt, quòd *Miſſam celebrant pluries integro hora quadrante ab Altaris ſuppedaneo surſum ad unius pedis altitudinem elevatus à circumſtantibus obſervatus ſit. Ex Notula mirac. n. 27.*

ARTICULUS III.

De Præparatione, & materia Meditationis &c.

SUMMARIUM.

276. *Præparatio meditationis proxima & remota.*
277. *Obſervanda ante, in, & poſt meditationem.*
278. *Quatuor adhuc notanda.*
279. *Materia meditationis varia pro varietate ſtatûs.*
280. *In via purgativa ſunt præcepta Dei, peccata, & horror noviſſimorum.*
281. *In via illuminativa ſunt vita Chriſti, exempla S. S. & virtutes.*
282. *Tres gradus, vitæ Chriſti correſpondentes, elucidantur.*
283. *In via unitiva ſunt Divinæ perfectiones, & glorioſa myſteria. Ubi ſimul duplex oſtenditur procedendi modus, ſpeculativus, & practicus.*
284. *Unionem cum Deo omnes obtinere poſſunt quadruplicem.*
285. *Unam conſiſtentem in intellectu.*
286. *Alteram in voluntate.*
287. *Tertiam in ſimilitudine vitæ noſtræ cum vita Chriſti.*
288. *Quartam in gratia ſanctificante. Conſilium Sapientis cape.*

Poſt

276 POſt explicatam meditationis definitionem, & finem illius adæquatum cognitum, perceptóſque fructus, ulteriùs progredimur ad ipſam præparationem, atque deſignationem materiæ: nam, antequam intellectus ad actualem materiæ & cujusdam Divini myſterij diſcuſſionem accedat, præparare, atque ſibi bene proponere debet objectum rei meditandæ, juxta monitum Eccl. 19. *ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Quin ex eo neceſſaria eſt præparatio tum ex parte ipſius intellectûs, tum quoad deſignationem determinatæ materiæ, in ſua puncta diſtribuendæ; ne anima vagabunda per varia objecta ſine fructu diſcurrat, & tunc nihil minùs, quàm meditationem inſtituat. Duplex autem eſt præparatio ad meditationem, una remota, proxima altera. *Remota* conſiſtit in hoc, ut quis dictum, vel factum, vel aliam quandam materiam ſibi deligat, in ſequenti meditatione diſcutiendam; unde fructus ſpiritualis accommodus, concluſio practica pro reformandis moribus, quædam motiva ad eandem doctrinam confirmandam, & præcipui affectus, ſub meditatione eliciendi, deducantur. Ut breviùs dicam: remota præparatio conſiſtit in electione certæ materiæ, in concluſione practica, in motivis, & affectibus, ſub meditatione habendis. Id apud nos fit die præcedente, tempore examinis generalis; ubi per quadrantem quilibet prælegit, ſibíque determinat materiam pro meditatione alterius diei: ex qua jam ſibi conſtituit quandam concluſionem practicam, certa motiva ad probandum, & affectus.

Notandum tamen, quòd hæc præparatio remota ultra quadrantem neutiquam ſit extendenda. Sunt, qui ex ſingulis punctis eruunt fructum & doctrinam; alij verò unum per ſingula puncta intendunt, ſicque rationibus intellectum convincunt, ut voluntas æquè efficaciter moveatur ad virtutem amplexandam, vel vitium fugiendum. *Proxima* meditationis præparatio conſiſtit in conſideratione præſentiæ Dei, oratione præparatoria, & in præludijs. 1. *Conſideratio* ita fiat, ut fide viva Deum imagineris præſentem, omnia videntem, audientem, veluti *qui ſcrutatur renes & corda*; ùt ait Pſal. aut cogitando velut mare te undíque cingens; ùt ſibi imaginabatur S.P.N. denique conſiderando Deum intra te exiſtentem per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, *in quo vivimus, & ſumus, & movemur*; ùt ſcribit Apoſtolus: quocúnque modô Divinæ præſentiæ te affici ſentis, in eo perſiſte. Pertinet autem huc ſpe-

cialis reverentia, Deo intimè præſenti exhibenda, ſenſus externos, ne evagentur, cohibendo, flexis genibus orando, eáque omnia evitando, quæ Divinæ Majeſtati poſſent diſplicere.

Hinc non commoditas corporis quærenda eſt ſedendo ſub meditatione, dum Deus ante te apprehenditur ſtans. 2. Oratio ſit fervens pro poſtulanda gratia, ut ſequentem meditationem ad Dei gloriam, tuámque ſalutem ſanctè inſtituas. Poteſt autem quilibet in hoc propriam devotionem ſequi, aut certam unam orationem pro omnibus meditationibus, aut accomodam pro quavis eligendo. 3.tium præludium eſt quaſi ſenſibus repræſentata & viva imago geſtorum, ubi fit applicatio externorum ſenſuum. Fiunt autem ſubinde duo, ſubinde tria præludia; prout exigit materia. Optimè confert huc tradita à Reverendiſſimo Domino noſtro Paulo Steinherr doctrina, quæ continet monita, tum ante meditationem, tum in progreſſu, & poſt illam obſervanda; & his comprehenduntur.

Ante Meditationem.

277 Liberali animo ad hanc accedendum; ubi fundamenta ſpiritualis profectûs jaciuntur per totam vitam uſui futura; unde magna fiducia habenda eſt in Deum, & ejus liberalitatem, qui eſt benignus. Dulcedo verò ſpiritualis non eſt quærenda; ſic enim homo ſe ipſum quæreret: ſed, ut cognoſcat voluntatem Dei, ſumenda quædam brevior ſententia interdiu ruminanda ambulando, ſedendo &c. Ad omnes actiones attende, & perpende defectus & imperfectiones; dein cauſas, & radices imperfectionum: demùm remedia corrigendi notentur, ſcripta relegantur, uſurpentur.

In Meditatione.

Poteſt inſtitui meditatio per meras interrogationes: v. g. 1. *Quod eſt punctum hujus meditationis?* R. hoc, & illud factum, dictum, vel myſterium &c. 2. *Quid in puncto conſiderandum, aut inquirendum eſt?* R. conſidera perſonas, verba & opera, ut inde elicias doctrinam, & affectum. 3. *Quomodo utendum inventis affectibus?* R. excita erga Deum reverentiam, humilitatem, amorem, laudem, & gratiarum actionem, erga Sanctos venerationem, honorem, & imitationem. 4. *Quomodo utendum inventis doctrinis?* R. perpende honeſtatem virtutis, habe deſiderium, & poſteà exquire à te, quomodo in imitatione illius vel alterius virtutis te habueris hucúſque, & qualiter impoſterum te ſis habiturus; dole, propone, & media certa aſſume. *In perſonis* conſidera qualitates *externas*, an divites, ſenes, juve-

juvenes, docti, vel rudes ſint &c. aut *internas*, quomodo in anima affecti ſint amore vel odio, an ex animi moleſtia, impatientia, ſtudio, vel voluptatis cauſa aliquid egerint. *In verbis* attende, quis ea protulerit, ad quem, quem in finem, quomodo, qua de cauſa; quid conſulant, prohibeant, aut quò tendant. *In actionibus* conſidera temporis circumſtantias, modum, locum, utilitatem, & neceſſitatem, atque effectus. Si circumſtantias perſonarum, verborum, & actionum comprehenderis, inde accommodè prodibunt doctrinæ, & exempla, reverentia ſcilicet, honor, & amor erga Deum, tam dignam perſonam, propter tam egregium opus; inde ſpes, admiratio, aliique affectus &c. Similiter ex verbis & actionibus pulchritudo & neceſſitas, præmia item virtutum, & pœnæ ac æterna ſupplicia perpendenda ſunt. Quibus varia propoſita ſuccedant, per quæ media, quo tempore, qua occaſione exercere velis propoſitam virtutem, & fugere contrarium vitium. Subſequantur tandem varij affectus doloris de virtutum, & heroicorum actuum neglectu, actus humilitatis, gratitudinis, confidentiæ in Deum &c.

Poſt Meditationem.

INquire, quomodò præparatio ad meditationem, repræſentatio Divinæ præſentiæ, & præludia fuerint inſtitura? 2. Quomodo te habueris in exercitijs memoriæ, intellectûs, & voluntatis; maximè ex cauſa hujus; an fueris vagus, aut qua ratione in colloquijs te geſſeris? 3. Quos fructus ex præſenti hauſeris meditatione, quæ lumina, quas inſpirationes acceperis? 4. Quas virtutes cognoveris tibi magis idoneas, & neceſſarias? Quæ propoſita ex doctrinis; quæ media, & occaſiones in opus ducendi? Atque hæc & ſimilia poſt meditationem inquirenda ſunt, fructúſque ex illa hauſti aut ſcripto, aut ſingulari quadam impreſſione annotandi.

Notandum porro in geſtis per 278
vitam Chriſti; ubi plura aſſumuntur præludia: 1. res geſtas omnes & ſingulas eſſe hiſtoricè repræſentandas. 2. Imaginariam loci compoſitionem inſtituendam. 3. Pios affectus breves, at efficaces, excitandos. 4. Petendam eſſe gratiam, ut præſens myſterium ritè, ac ſanctè expendatur. Hæc omnia tamen ultra ſpatium temporis, quo unum, aut alterum *miſerere* recitaretur, non debent extendi.

Notandum 2.dò: Dum ad meditandum aliquod punctum progrederis, applicationem intellectûs oportere eſſe moderatam, non nimis intenſam, aut remiſſam, nec nimis præcipitatam, aut

lentam; nam, dum initium meditationis foret immoderatum, non niſi capitis & pectoris defatigatio fieret, vires naturæ exhaurirentur, nullúsque fructus ſperari poſſet.

Notandum 3.tiò: Diſcurſus non debere eſſe nimìs ſublimes, qui ingenij potiùs curioſitati, quàm ſpiritui deſerviunt. Unde conſiderationes intellectûs ſint communes, familiares; non ſublimes & affectatæ, ſed ſimplices & devotæ, convenientes meditationis ſcopo, & meditantis ſtatui.

Notandum 4.tò: Plus eſſe temporis impendendum pijs affectibus & motibus voluntatis, qui majoris apud Deum ſunt meriti, quàm intellectûs actibus, & ſublimibus diſcurſibus; finis enim & ultimatus fructus meditationis non in ſola ſcientia, ſed in ipſa potiùs virtute exercita hoc modo conſiſtunt, ut cognitio ad voluntatis affectum, affectus ad ipſam virtutis operationem dirigatur.

Materia meditationis eſt om-
279 ne id, quod divinitùs revelatum eſt; hoc eſt, quod ſacris paginis, & approbatis ab Eccleſia libris continetur. Debet autem dividi hæc materia ſecundùm diverſas conditiones meditantium; quorum quidam adhuc ſunt peccatores malis habitibus obnoxij, qui tamen reſipiſcere volunt, & opus habent purgatione, frequenti mortificatione ſuarum paſſionum, & malè affectæ naturæ correctione. Alij à vitijs jam purgati, & ſuperatis maximis difficultatibus, in virtutibus profectum quærunt; & hi indigent illuſtratione. Alij divinitùs illuminati, & in virtutibus ſolidati familiarem & intimam cum Deo peroptant conjunctionem: atque hoc modo meditantium ſtatus in tres vias Aſcetis notiſſimas dividitur, nempe peccatorum, ſeu *imperfectorum*, *proficientium*, & *perfectorum*. Primi ponuntur in via purgativa, ſecundi in via illuminativa, tertij in via unitiva; de quibus in ſequenti capite à n. 330. ex inſtituto agemus.

Qui conſtituti ſunt in via pur- 280
gativa, pro materia meditationis habent præcepta Dei, peccata, & ſpirituales negligentias, atque tremenda myſteria fidei, ſalutarẽ horrorem incutientia; uti ſunt mors, judicium extremum, infernus &c. *Circa præcepta, & leges divinas* perpendendum eſt 1.*mò*, quàm ſint bona, juſta, ſancta, & rationi prorſus conformia. 2. Quàm Deo grata, homini utilis, facilis, & jucunda eorum obſervatio. 3. Quantas gratias ea obſervare volentibus Deus promittat, neminem ultrà vires proprias oneret, aut tentari permittat. 4. Quomodo in obſervatione aut transgreſſione quiſque ſe habuerit hucúſque, & qualiter impoſterum ſe habiturum cogitet. Si trans-

Digitized by Google

transgreſſus ſit, eliciatur dolor, propoſitum, petitio gratiæ, compenſatio per actus contrarios, pœnitentiæ executio, exactior obſervantia. *Circa peccata* perpendendum eſt, quàm ſingula in ſe mala, adeóque juſtè prohibita, Deóque ſint inviſa. 2. Quàm perniciofa ea committenti in vita, & in æternitate, quàm amara in mortis hora. 3. Quàm gravia, innumera, & varia. 4. Quales effectus, & damna ſecum habeant; quia gratiam DEI extinguunt, neglectum compunctionis inducunt, affectus ad terrena trahunt, & pœnam æternam accerſunt. Denique hîs perpensîs priores affectus doloris, propoſiti, pœnitentiæ &c. ſunt iterandi.

Circa negligentias ſpirituales hæc ſunt perpendenda: 1. ſenſuum tam internorum, quàm externorum *uſus* & *abuſus*; quàm ille meritis plenus, hic verò perniciofus, & propter neglectum damnoſus ſit. 2. *Finis*, in quem potentiæ internæ, *intellectus, voluntas, memoria*; & externæ, *viſus, auditus, odoratus, guſtus*, & *tactus*, à Deo conceedantur, nempe ad Dei gloriam, & hominis ſalutem propriam &c. 3. *Exempla* aliorum, v. g. Chriſti, B. V. Mariæ, & Sanctorum, qui ſtrenuè laborârunt, & cum ſancto fervore vixerunt; præſertim quomodo S.S. Ordinis noſtri in vita ſua Regulares obſervantias tenuerint, & minimas negligentias abhorruerint &c. quorum exempla multiplicia undique *eſt colligere*. Atque hæc ſunt *materia incipientium* pro meditatione inſtituenda.

In via illuminativa jam purgatorum, & *proficientium* materia ad meditandum ſunt res geſtæ à Chriſto Domino tempore ſuæ vitæ, prædicationis, paſſionis, & mortis: profectus enim virtutum *agendo* & *patiendo* comprehenditur; cujus eximia Chriſtus præbuit documenta. Materia porrò ſunt geſta Sanctorum, & virtutes tum Theologicæ, *Fides, Spes, Charitas*; tum 4. Cardinales, *Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo*; tum 7. dona S. Spiritûs, capitalibus oppoſita vitiîs, ſcilicet *Sapientia, Fortitudo, Intellectus, Scientia, Conſilium, Pietas*, & *Timor Domini*. 281

Circa res geſtas Chriſti hæc tria veniunt, quæ diſtinctè ſunt perpendenda, ſcilicet illius *infantia, prædicatio* in ætate virili, & *paſſio*. Sicut enim Chriſtus innumeras moleſtias ab infantia pertulit, & exempla altiſſimarum virtutum præbuit, doctrinam ſuam ardentiſſimo affectu nobis propoſuit, & tandem inſatiabili deſiderio amariſſimum paſſionis calicem exhauſit: ita pariter nos Chriſtiani, Caput noſtrum imitantes, & in odorem virtutum ipſius currentes, paſſionibûs inordinatîs edomitîs, vitiîs extirpatîs, puritatem

tatem repræſentemus in nobis. Deinde cœleſtem ejus doctrinam altiùs ruminantes, ad heroicas virtutes, ex illius amore exercendas, accendamur. Tandem perfecto amore illius quaſi inebriati, affectibûs terrenîs exuti crucem, varias adverſitates, mortémque ipſam ſubire pro ejus amore non timeamus.

282 Ex his patet, tres eſſe in via illuminativa gradus charitatis, *incboata*; cui reſpondet Chriſti *infantia*, ad teneriorem quendam amorem per Divinas conſolationes nos excitans: *proficientis*; cui reſpondet *prædicatio* Chriſti, quâ per varia dogmata in infinitæ illius dignitatis æſtimationem, & Divinæ Majeſtatis altiſſimam cognitionem rapimur, & ad audenda heroica inſtigamur: & *perfecta*; cui correſpondet *paſſio & mors* Chriſti, quâ ita in virtutibus, humilitate, patientia, expropriatione amoris proprij, conformitate & reſignatione voluntatis noſtræ in Divinam, & amore ſolidamur, ut crucem non tantùm non fugiamus, ſed & ultrò quæramus, & amplectamur, ut perfectam Chriſti formam in nobis exprimamus. *Ad res geſtas* bene expendendas in meditatione omnes circumſtantiæ ſunt conſiderandæ; 1. Perſonarum excellentia, & affectus. 2. Verba, & modus proferendi. 3. Earum opera, actiones, virtutes. 4. Adverſitates, calamitates, injuriæ, tormenta, quæ perſonæ illæ, in myſterio aſſumpto repræſentatæ, fuerunt perpeſſæ: atque ex ſingulis circumſtantijs ſpiritualis fructus eruatur, nobisque ad imitationem per pios affectus applicetur.

Circa vitas & facta Sanctorum perpendenda ſunt tempus, locus, perſonæ, ſermones, conſtantia adversùs hoſtes Dei & Eccleſiæ, patientia inter injurias, affectiones corporis & animi, æquanimitas, & in vultu apparens ſuavitas, varij affectus in Deum, & fortitudo in perferendis tormentis uſque ad mortem. Ex his pro diverſitate Sanctorum (ſi fuerint Martyres, Confeſſores, vel Virgines) varios actus heroicos, præſtantes ac difficiles conatus, plùs quàm herculeos pro tuenda fide Catholica, Eccleſiaſtica & Regulari diſciplina, atque pro ſervanda virtute meditans ſibi excerpere debet, indéque doctrinam & fructum ſpiritualem haurire.

Circa ipſas virtutes, in abſtracto, id eſt, ſine ſuo ſubjecto, cui inſunt, conſideratas, attendi debet illarum natura; dein ad ipſius ſelectæ virtutis actus & proprietates proceſſus fiat: v. g. quàm eximia in ſe ſit, quàm grata Deo, qui etiam in aſſumpta humanitate verbîs & exemplîs eam docuit; quàm meritoria, & gratiarum ferax;

rax; cùm Deus etiam virtutem ultrò infundat cum gratia illis, qui dignè ſeſe diſpoſuerint, & allaboraverint pro ea acquirenda. Si verò *in concreto*, hoc eſt, in quodam Sancto virtutem quis conſideret, perpendat virtutis præſtantiam, & meritum; quia propter illam Deus Sanctum remuneratus eſt tantîs gratiîs, donis ac miraculis apud homines glorificavit, cœleſti in morte ſolatio, & ſtolâ immortalitatis circumdedit. At modus etiam perpendendus eſt, quo talis Sanctus Divinæ cooperatus ſit gratiæ, quàm ſeriò ſtudiô perfectionem adipiſcendi & conſervandi fuerit conatus &c.

283 In via unitiva conſtitutis, ſeu perfectis, qui inſignem jam ex vita Chriſti hauſerunt in virtutibus omnibus profectum, materia meditationis ſunt Divinæ perfectiones, beneficia, illuſtrationes cœleſtes, internæ experientiæ, & affectus charitatis in Deum: Item glorioſa myſteria, & ſpecialiſſima devotionis exercitia. Duplex autem à Magiſtris ſpiritualibus traditur modus meditandi, & Divinas perfectiones cognoſcendi in via unitiva: unus modus eſt *ſpeculativus*, procedens à naturali intellectûs noſtri, per fidem illuminati, & per Dei gratiam elevati lumine, quo Divinas perfectiones ex cognitione creaturarum, & mediante S. Scriptura apprehendit. Alter eſt *practicus*, ex ſupremo Spiritûs S. dono procedens, & *Sapientia* dicitur, ſeu *ſapida ſcientia*; quæ fundatur in experientiîs admirandis, quas in animabus noſtris ex illuſtrationibus cœleſtibus, & affectibus internis charitatis & amoris Dei ſentimus; ut adeò in hac etiam vita ex illis diſcamus, *guſtemus & videamus, quàm ſuavis ſit Dominus*. Uterque contemplandi modus ad donum ſcientiæ pertinet, quæ ad certitudinem fidei ordinatur; ac *primò quidem & principaliter reſpicit ſpeculationem, in quantum ſcilicet homo ſcit, quid fide tenere debeat: ſecundariò autem ſe extendit etiam ad operationem; ſecundùm quod per ſcientiam credibilium, & eorum, quæ ad credibilia conſequuntur, dirigimur in agendis*: Ita S. Th. 2. 2. q. 9. a. 3. Ex iſta ſcientia elevamur ad contemplationem Divinarum perfectionum, ita ut cognoſcamus per experientiam, in anima noſtra perceptam, quæ ſit latitudo charitatis, longitudo æternitatis, ſublimitas eſſentiæ, ac profunditas ſapientiæ Divinæ. Atque hæc eſt vita æterna, *ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Joan. 17.

Meditationes viæ unitivæ unicum ſcopum habent unitionem cum Deo; de qua Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 6. *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo.* In eundem ſenſum hanc unionem cum Deo in quolibet Chriſtiano requirit S. 284

Greg.

Greg. Nyſſ. de perfect. form. hom. Chriſtiani: *ut Chriſtianus ſit alter Chriſtus*. Licèt verò tanta unio propriè ijs conveniat, qui carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentijs ſuis, & unicè Deo vivunt in ſanctitate & juſtitia; hoc eſt, qui jam in ſtatu perfectionis ſunt: poſſunt tamen etiam imperfecti & incipientes, ac proficientes æquè aſpirare ad illam, eámque ad tempus ſaltem conſervare; quia Deus pro infinita bonitate, ſicut nemini obtrudit amicitiam ſuam, ita neminem excludit à familiaritate Divina, & amore, qui eſt conjunctio hominis cum Deo, atque adeò ipſa *unio cum Deo*. Quin peccator quivis poſt pœnitentiam, & converſionem, dum acquirit gratiam ſanctificantem, talem conjunctionem & unionem animæ cum Deo obtinet; ut docent Theologi. Hic patebit magis ſi unionem quot modis cum Deo fieri poſſit, explicemus.

285 Prima igitur unio fit intellectu, cum Deum continuâ memoriâ revolvimus, veluti cum Martha & Maria hoſpitio illum excipiendo, paſcendo, vel ad pedes ejus ſedendo, cognitione plena atque integra percipiendo *verba vitæ*, & Divinas veritates, adeòut paulatim intellectus noſter viva quædam imago & exemplar Dei fiat; in quem quaſi *revelata facie transformemur tanquam à Domini ſpiritu*: 2. *Cor*. 3. Hæc unio conſiſtit in quadam ſpecie expreſſa; de qua Theologi; vel in quodam lumine, quo clariùs ac perfectiùs illuſtratus intellectus percipit Divinas perfectiones & glorioſa myſteria. Talem unionem intellectualem in monte Thabor Apoſtoli adepti ſunt, *ſpeculatores facti illius magnitudinis*; 2. *Petr*. 1. Ubi in transfiguratione & glorificatione ſua Dominus, quidnam ſit illa gloria, cum qua venturus eſt, quantùm capere poterant in hac præſenti vita, illis oſtendit; ùt explicat S. Joan. Chryſ. *hom*. 57. *in Matth*. quamvis cæteroquin hæc unio intellectualis continuò non perſeveraverit in Apoſtolis eô modô, quo fuerat ſuperiùs deſcripta.

Altera unio fit voluntate; 286 dum bonitatem ab intellectu cognitam ſuaviſſimè amplectitur, tenerrimè eam amando, in ea ſibi complacendo, &, quàm conjunctiſſimè fieri poterit, eâdem perfruendo ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, nimirum affectiones, deſideria, & intentiones omnes in Divinam transferendo bonitatem. Oriuntur ex illa noſtræ voluntatis cum Deo unitione varij affectus: 1.mò *admiratio* Divinæ Majeſtatis, & perfectionum ejus. 2.dò *gaudium* de ejus excellentia & omnipotentia. 3.tiò *laus*, & *gloria* de tot patratis in cœlo & terra mirabilibus. 4.tò *gratiarum actio*

Digitized by Google

actio pro tot donis & beneficijs. 5.tò *Deſiderium* ingens Deum videndi, poſſidendi, honorandi infinito quodam modo, eíque in omnibus obediendi. 6. *Vota ardentiſſima*, quibûs optatur, ut omnes illum agnoſcant creaturæ, ament, illíque ſerviant. 7. *Zelus fervens* Divinæ gloriæ, & ſalutis animarum. 8. *Fiducia* de ejus bonitate, providentiâ,& miſericordia. 9. *Timor filialis*, non ſervilis, quem charitas foràs mittit, verendo ſcilicet unicè, ne unquam à Deo ſeparetur,vel aliquid committat, quo tanta Majeſtas offendatur. Unde 10. *Ingens dolor*, & amara naſcitur contritio de omnibus peccatis, quibus juſtam Numinis offenſionem aliquando incurrit. 11. *Amor amicitiæ*, quo omne bonum Deo cupit abſque intuitu cujusvis alterius boni, ab eo exſpectandi. 12. *Quies* in Deo; prout S.P.N. eam optabat, exclamans: *Domine inquietum eſt cor meum, donec quieſcat in te!* Conſimiles affectus admirationis, gaudij, gratiarum actionis, deſiderij, zeli, fiduciæ, doloris, & amoris ſine numero idem S. P. N. in ſuis *meditationibus, ſoliloquijs, manuali*, aliíſque operibus exercuit; quos invenire poteſt pius Lector, ſi unionem voluntatis, ſeu, ùt alij dicunt, *affectuoſam unionem* cum Deo quærat.

287 Tertia unio conſiſtit in ſimilitudine quadam vitæ & morum noſtrorum cum vita & moribus Chriſti: atque hæc fundatur in perfecta conformitate voluntatis noſtræ cum Divina tam in proſperis, quàm in adverſis. Alia eſt iſta unio ab *unione affectuoſa* voluntatis; hæc enim in affectibus, & per varios actus deſiderij, gaudij, amoris &c. unitionem cum Deo quærit: illa verò ulteriùs progreditur, & in ſolis affectibus non continetur; ſed exercet diverſas, ſublimes & heroicas virtutes, eáſque omnes exprimi deſiderat in anima,& quæcúnq; ad Chriſtianam perfectionem ſpectant, & quibus homo perfectiùs aſſimilatur Deo. Ex iſta dein ſimilitudine noſtrarum perfectionum cum perfectionibus Divinis quædam reſultat relatio; & eo ipſo ſequitur unio in vita & moribus cum perfectionibus Divinis. Unionem hanc præcepit Deus in varijs S. Scripturæ locis, præcipuè *Matth.* 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* S. Apoſtolus quoque ad hanc unionem acquirendam cum Deo jubet, *mundari nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* 2. *Cor.* 7. Et *c.* 13. adhortatur: *perfecti eſtote, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.* Ut autem *perfectus ſit homo Dei.* 2.*Timoth.* 1. requiritur à nobis, ut imitatores Dei ſimus, & ſpeculantes gloriam Dei per meditationem transformemur in eandem imaginem, tranſeuntes à claritate cognitionis

Digitized by Google

ad claritatem virtutum, ad imitationem morum Chriſti, & ad affectuum exercitium; donec à facie ad faciem videamus eum, cui cupimus adeò ardenter uniri.

288 Quarta unio fit per gratiam tum actualem, tum & maximè per habitualem ac ſanctificantem: ſicut enim per peccatum deſtruitur conjunctio hominis cum Deo; ita à contrario, dum per pœnitentiam deteſtamur peccatum, accedimus ad eum, & in gratiam recipimur, ſicque Deo unimur. Aſt de hac *unione per gratiam* hìc non tractamus; quia præſupponitur, & eſt communis hæc unio incipientibus, proficientibus, & perfectis. Ratio eſt, quòd agamus in præſenti articulo magìs de unione ſtabili & perſeverante; *unio* enim *per gratiam* quovis peccato mortali facilè deperditur. Qui igitur ſunt conſtituti in via purgativa, ſtudium ſuum impendant, ut in hac unione ſeſe ſtabiliant, & ad hunc finem meditationes dirigant, & ita ſucceſſivè ad unionem perfectam aſpirent. Qui enim in via unitiva ſunt, longè jam receſſerunt ab omni affectu peccati, terrena faſtidiunt, imperfectiones à ſe expellunt, à creaturis avulſi uniuntur Deo, ejúsque familiaritate perfruuntur, & quodammodo confirmati in gratia continuis actibus unionis intellectualis & affectivæ Deum, & Divinas ipſius perfectiones, & ſingularia beneficia recolunt; ex quibus eo ipſo ſequitur perfecta expreſſio in vita & moribus; quæ eſt quaſi effectus unionis intellectualis & affectivæ. De hac materia ſequens caput doctrinam continet; ubi proprius ejus locus erit.

CONSILIUM SAPIENTIS.

ANte *orationem præpara animam tuam*, Siracides *Eccleſ. c.* 18. ſapienter monuit; cujus rationem reddidit: quòd imparatus accedens ſit *quaſi homo, qui tentat Deum.* Præpara igitur ante meditationem animam tuam ad Divinum colloquium: 1.mò per animi avocationem ab omnibus curis, & terrenis negotijs, ut eum totum ad orationem, & Divinarum rerum contemplationem transferas. Hæc præparatio requirit lectionem ſpiritualem, qua animus ad Deum erigatur, ac imbuatur cogitatione Divinorum objectorum, juxta illud S. Baſilij dogma: *Lectioni ſuccedat oratio, orationi lectio.* 2. per contritionem de offenſis in Deum admiſſis ſuppliciter veniam poſtulando, ac proponendo ſeriam emendationem. 3. per conſiderationem Divinæ Majeſtatis, & tuæ vilitatis. 4. per præmeditationem eorum, quæ

Digitized by Google

quæ quis intendit, ne injuſta, inutilia, & noxia, ſed æqua, ſancta, & digna Deo ſint. Unde oportet, vires, & facultates animæ impendere, & convocare tempore meditationis, ne alibi evagentur; qualis enim per vires naturales, & propriam induſtriam ad Deum te habueris, talis erit Deus erga te per ſuam gratiam. *O anima! eſto ſollicita cum ſollicito, cum mundo munda, cum ſancto ſancta, cum vacante vacans; qualis apparueris Deo, talis oportet, ut appareat tibi Deus:* ita Hipponenſis Eccleſiaſtes *in Man. c.* 24. ſanctum tibi ſuggerit conſilium. Audi inſuper Claravallenſis Conſiliarij mentem *ſerm de* 4. *orandi modis*: „Omninò oportet, inquit, orationis tempore curiam „intrare cœleſtem, illam utique „curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili, & ineffabili B. Spirituum exercitu. Unde & ipſe, „qui viderat, quia majorem numerum non invenit: Millia, ait, „millium miniſtrabant ei, & decies „millies centena millia aſſiſtebant „ei. Quanta ergo cum reverentia, „quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude „ſua procedens, & repens ranucula vilis? Quàm tremebundus, „& ſupplex, quàm denique humilis, & ſollicitus, & toto intentus animo Majeſtati gloriæ „in præſentia Angelorum, in concilio juſtorum & congregatione, „aſſiſtere poſſit miſer homuncio? „In cunctis igitur actionibus noſtris multâ opus eſt animi vigilantiâ; ſed præcipuè in oratione. „Nam, licèt omni hora, & omni „loco, oculi Domini ſuper nos ſpeculentur, maximè tamen in oratione.

„Porrò, quamvis ubique ſit „Deus, in cœlo tamen orandus „eſt, ibique orationis tempore cogitandus; ut mens noſtra non „oratorij tecto, non aëris ſpatio, „non ipſa retardetur nubium denſitate, juxta eam formam, quæ „nobis à Chriſto tradita eſt; ubi „ait: ſic orabitis, Pater noſter, qui „es in cœlis, &c.

Conſilium ſapientiſſimi Moderatoris ad amuſſim implevit S. Gilbertus Sempingamenſis ex Canonico Regulari Eccleſiæ Dridlingtonienſis, celeberrimæ quondam apud Anglos in Ordine noſtro Congregationis, quæ Sempingamenſis titulum geſſit, Auctor & inſignis Reformator. Priuſquam illum Mater An. 1083. Luci daret, videbatur ſibi in ſomnis, Lunam deſcendentem è cœlo in ſinum ſe ſuſcepiſſe. Domi adhuc inter paternos lares deliteſcens, adeò vilis, abjectúsque ob corporis invenuſtatem habebatur, ut ne famuli domeſtici quidem cum illo cibum ſumere dignarentur. Aſt tantum naturæ infortunium cœlum compenſabat angelicâ gratiâ; caſtitatem enim adeò coluit Gilbertus ſub deformi

corpore, ut mulierem tetigerit nunquam: florem Virginitatis ita extulit mundo, ſicut illum intulit illæſum. Id portento docuit illa viſio, quam Canonicus quidam hujus Congregationis de nocte habuit. Apparuit ei quippe Concanonicus alius non ita pridem defunctus, quem cùm inter cætera etiam de Gilberto defuncto interrogâſſet, reſpondit, *eum altiorem ſe tenere locum, utpote ad Virginum chorum in cœlo translatum.* Inter orandum, aut in choro ſub cantu, quotiescúnque nomen Dei, aut glorioſiſſimæ ejusdem Matris audiretur, genua flectebat: ob quod Clericus ille, quocum penſum horarium extra chorum, aliásque ex devotione aſſumptas preces perſolvere conſuevit, tantùm defatigatus fuit, ut impoſterum cum ipſo non ampliùs orare ſe poſſe aſſeveraverit. Ad meditationem, quotidiè per aliquot horas inſtituendam, miras præparationes præmiſit; non ſolùm enim in genua demiſſus coram Crucifixi imagine ardentes affectus elicuit, ſed inſuper manibus, & oculis in cœlum intentus, non ſine eximia mortificatione ſuorum ſenſuum, veluti ſtatua ærea permanſit. Unde tantæ compaſſionis extitit ex frequenti paſſionis Chriſti meditatione, ut, cùm quosdam pœnitentiâ ductos peccata ſua deplorare, ac deteſtari conſpexiſſet, ipſe quoque in lachrymas ſolutus uberem earum copiam profuderit. Statuta, ac ſanctiones, quas Canonicis reformatæ à ſe Congregationis obſervandas dedit, ita integras, ac illibatas eſſe voluit, ut guttur potiùs ſibi ſecandum, quàm aliquid earum immutandum cenſuerit. Ab eſu carnium ſemper abſtinuit; niſi easdem ob graves corporis languores ex Medicorum præſcripto admittere cogeretur. Diebus illis quadraginta, Reſurrectionem Dominicam, & quatuor ſeptimanas, Natalem Chriſti antecedentibus, piſcium uſum quoque ſibi interdixit, oleribus & leguminibus duntaxat contentus. In menſa vas aliquod coram eo erat poſitum, quod *diſcum Domini* uſu appellabat; in illud primam piſcium partem, quam Deo ſe dare ajebat, tum ciborum analecta, imò integra fercula in egenorum ſubſidium repoſuit. Sæpiùs ſub menſa amaras fudit lachrymas, quòd ad deficientem naturam quotidiano cibo reficiendam opus haberet. S. Legislatorem imitatus vaſa, in quibus cibi apponebantur, lignea, & teſtacea, cochlearia verò cornea, non alia admittebat, ut paupertatem Apoſtolicam ſervaret. Tempus, refectionem ſubſequens, orationi, aut ſacræ meditationi dedit. Veſtes illius honeſtatem, non pretioſitatem ſpirabant; quas ſemper easdem tam hyeme, quàm æſtate gerebat; neque noctu dormiens depoſuit, cùm ſomnum non cubando, ſed ſedendo caperet, vel potiùs

potiùs arceret. Ob demiſſam de ſe æſtimationem Archidiaconatum ſibi oblatum modeſtè reſpuit, aſſerendo, ſe aliam tutiorem viam ad interitum noſſe. Ne Epiſcopatum aſſumere cogeretur, fugiens aliquamdiu latuit; donec alter in locum illius ſubrogaretur. Monialem quandam, igne libidinis æſtuantem, aſperiùs arguendo ſanavit. Canonicum, furijs iracundiæ agitatum, levi mănûs ictu manſuetum reddidit. Præpoſitam Religioſam, jam ferè animam agentem, ſanitati priſtinæ reſtituit, ſolùm morbo, ut illam dėſereret, in virtute obedientiæ præcipiendo. Dono prophetiæ illuſtris varia, & inter hæc eventum cruce ſignatorum, prædixit, pluráque alia mira patravit. Etſi oculorum uſu eſſet deſtitutus, cùm tamen vice quadam in capitulo Canoniſſarum ſuæ Congregationis verba ad illas faceret, lachrymas ab alicujus Monialis maxillis defluere conſpexit, haud dubiè oculorum caliginem Deo abſtergente. S. Bernardo pia familiaritate junctus, conſilio ipſius potiſſimùm uſus, Regulas vivendi ſuis Religioſis præſcripſit: quarum confirmationem ab Eugenio III. Pont. impetravit. Ex quo quidam Gilbertum, & Canonicos Gilbertinos ſub Regula S. Bernardi militare malè, & contra fidem hiſtoricam opinati ſunt. Nocte, ipſius obitum antecedente, plurimi igneum globum ingentis mollis, nec non multas candelas ſimul accenſas iteratò de cœlo deſcendere, ac rursùs ſuprà tectum Baſilicæ Sempigamenſis contra ſepulchrum Gilberti deſcendere conſpexerunt. Deceſſit anno Chriſti 1189. ætatis 106. relictâ numeroſâ Virorum Religioſorum 700., & Canoniſſarum ſub regula Aureliana, & ſtatutis Gilbertinis militantium, 1500. ſobole. Poſtea plurimis miraculis coruſcum Gilbertum Innocentius III. Rom. Pont. Sanctorum faſtis adſcripſit anno 1202. *Ex vita illius apud Joan. Bollandum to.* 1. *die* 4. *Februarij*: *& Officijs Canonicorum Regul. qui illius feſtum ſub ritu dupl. agunt.* 4. *Febr.*

ARTICULUS IV.

De modo procedendi in diſcuſſione punctorum.

SUMMARIUM.

289. *Prænotantur quædam ad præſens inſtitutum.*

290. *Idea meditationis proponitur in via purgativa.*

291. *Quæ expenditur per puncta, & quæſtiones; & quidem* 1. *quis illius ſcopus?*

Digitized by Google

292. 2. *Quid in illa conſiderandum primariò?*
293. 3. *Quid doctrinæ pro fructu ſpirituali ex ea hauriendum?*
294. 4. *Quæ ſint motiva amplectendi veritatem;*
295. 5. *Et an ſint efficacia?*
296. 6. *Quid in particulari concludendum?*
297. 7. *Quæ media adhibenda ad executionem propoſitorum?*
298. 8. *Quomodo ſe habendum in oblatis occaſionibus?*
299. *Ratio inſtituendi colloquium in fine meditationis.*
300. *Reflexio qualis fiat poſt meditationem?*
301. *Ad meditationem concurrunt 4. cauſæ, formalis, materialis, finalis, & efficiens. Remora affectuum deteguntur.*

289 QUia ex num. 270. apparet, quòd meditatio ſit exercitatio internarum potentiarum, circa Deum & res ſacras verſans unácum colloquio interno; poſt diſcuſſionem, ac perfectam circumſtantiarum repræſentationem, quæ in meditatione producuntur, ultrò conſectaneum eſt, rem meditationi ſubjectam in certa puncta diſtribui debere, ut hac ratione diſtinctiùs & quaſi per partes tota diſcutiatur: intellectus enim noſter, quamdiu anima eſt corpori immerſa, ad ſpecies, à ſenſibus corporeis collectas, alligatus omnia ſimul & ſemel comprehendere, totámque rei vel objecti cognoſcibilitatem exhaurire nequit: ergò ſucceſſivè & per puncta omnes objecti circumſtantias diſtribuat, atque in ſpecialem conſiderationem deducat, neceſſe eſt. Ut autem fructuosè inſtituatur iſthæc diſcuſſio, in qua maxima vis quoad intellectum, & ſpecialis conatus quoad voluntatem in eliciendis affectibus continetur, ſequentia per modum Quæſtionum apprimè ſunt notanda.

1. Quære ex te, quæ ſit materia meditationis præſentis, & in quot puncta ſit dividenda? 2. Quid in quolibet puncto conſiderandum veniat? 3. Quid inde doctrinæ pro ſpirituali fructu deducendum; in quacunque via ſpirituali verſeris? 4. Quæ ſint motiva ad amplectendam ejusmodi doctrinam? 5. An efficaciá & convincentia habueris ea motiva; & an, & quomodo doctrinam, ex motivis ſtabilitam obſervaveris? 6. Quid ulteriùs in particulari ſit proponendum, & in futurum agendum? 7. Quæ media ſint adhibenda pro efficaci propoſitorũ executione? 8. Qua ratione in occaſione oblata vel quoad virtutem exercendam, vel quoad vitium fugiendum te velis habere, ut meditationis fructum capias. Hæc puncta pro formanda quæſtione in quavis meditatione bene ſunt expen-

pendenda, atque hìc ſingillatim pro praxi fuſiùs explicanda.

290 Pro exemplari meditationis idæa, & fundamento in via purgativa, meditationem à me traditam de peccatis aſſume; quæ in his conſiſtit:

Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Ezech. 18.

***Punctum* 1.** Creatus es propter Deum, ejúsque gloriam, ut eum reverearis, cuſtodias mandata, & æternùm ſalvus fias. Ab hoc fine excidis, quoties grave peccatum committis. Dum igitur carnis ſectaris illecebras, tuísque commoditatibus, & immoderatis inſervis concupiſcentijs, iſtis vivis, Deo moreris, atque vita ſpirituali cares; commune ampliùs nihil habes cum illo, qui eſt *via*, *veritas*, *& vita.* Abſciſſus es de terra viventium. *Pater mortis eſt peccatum; ſi enim nunquam peccaretur, nemo moreretur*: S. P. N. *ſer.* 141. *de temp. c.* 2. Time ergò mortem peccatorum peſſimam.

***Punctum* 2.** Cogita, quàm horrendum ſit peccatum; quia Deum non eſſe Deum cupit, conculcat ejus Majeſtatem, nihili pendendo juſtiſſima præcepta, annihilaret, quantùm eſt ex ſe, ſi poſſet, ejus omnipotentiam, ne juſtè vindicare valeret admiſſum ſcelus. Creaturas fædiſſimè inficit, à ſuo centro, & ſcopo movet, dum ijs præpoſterè utitur peccator. Chriſti vitam, paſſionem, & mortem proterit: denique mala omnia renovat, quæ per ſummam injuriam & malitiam Chriſto Jeſu intulerant Judæi. Audi Jeſum è cruce pendulum, de te peccatore conquerentem: *cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua olim pependeram, afflixiſti? Gravior apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua intus pendeo, quàm illa, in quam, tui miſertus mortem tuam occiſurus, aſcendi*: S. P. Aug. *ſerm.* 67. *de temp.*

***Punctum* 3.** Perpende mala, quæ infert peccatum. Gratiâ ſanctificante te privat, in qua ſpiritualis continetur vita. Ex hærede & filio cœleſtis regni captivus inferni & Dœmonum efficeris. Solis dein viribus naturalibus relinqueris: & quia media ad ſalutem per peccatum ſunt deſtructa, horridum ſpectaculum coram Deo, Angelis, & hominibus appares, qui fœditatis tuæ conſcij ſunt. Heu *peccare quàm amara res!* exclamat S. P. N. *L. meditat. O mala peccata, quàm faciles aditus, quàm difficiles exitus habetis: dum ſuadetis, voluptatem oſtenditis; poſtquam perſuaſeritis, uſque ad mortem animæ urgetis! Peccatores intelligite, quia malum eſt & amarum, relinquere Deum. Heu peccatum! nomen horridum, res deteſtabilis, nullo modo comparabilis!*

Hac

Digitized by Google

291 Hac meditatione perlecta, *Quære* 1. ex te; quid ſit punctum aſſumptum præſentis meditationis? quis ſcopus illius? Et ecce! memoria revocabit prælectum Sacræ Scripturæ textum, veluti fidei veritatem: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Perpensô iſtô præceptô Divinô, ſimilem affectum fidei elicies, petéſque gratiam pro ſequenti meditatione, ritè ad Divinam gloriam peragenda, hoc vel alio modo: bone Deus, juſte Judex! agnoſco tuam in ferendis legibus æquitatem: juſtum eſt, ut, qui ſervat mandata tua, & eapropter vitam æternam habet, ea transgrediendo morte puniatur; prout S. docent paginæ, & Divinam oris tui veritatem exhibent; quibus pleniſſimam omnino adhibeo fidem. O infinita Majeſtas! gratiam imploro tuam pro cognoſcenda peſſima peccatorum morte; ut ſaltem ſi à peccando non retrahat me Divinæ bonitatis tuæ dulcedo, & infinitæ amabilitatis amor, timor mortis æternæ ab omni prævaricatione SS. Legum tuarum hanc pronam ad peccandum voluntatem cohibeat. Bonus es tu Domine, & in bonitate tua docuiſti me juſtificationes tuas, quando per os Prophetæ miſericordiam mihi inſpiraſti, dicens *Ezech.* 18. *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum & ſpiritum novum &c. quia nolo mortem morientis.* Ecce! converti cupio, de malè actis pœnitentiam agere volo. Tu da cor novum, & renova ſpiritum in viſceribus meis, ut fructum vitæ capiat anima mea.

Tum poteſt etiam oratio præparatoria communis inſtitui pro felici ſucceſſu meditationis. Praxin hujus habes in exercitijs ſpiritualibus R. P. Danielis Pavvlovvski, hiſce expreſſam: *Digniſſime Deus! qui mihi hanc horam laudandi te conceſſiſti, da mihi gratiam efficacem, ut omnes actiones, & paſſiones meæ, & præſertim hæc meditatio cum omnibus omnium mearum potentiarum functionibus ad gloriam tuam cedat: quæ ego omnia tibi offero ex amore tui, quia ſummum bonum es, & quia dignus es, ut ſis id, quod es.*

Quære 2. ex te; quid conſiderandum habeas de præſtituta veritate: & ſtatim per exercitium memoriæ in puncto 1. te reflectes, 292
1. *Quòd creatus ſis propter Deum, ejúſque gloriam.* 2. *Qui contra Deum agit, & peccando eum offendit, à ſuo fine excidit.* 3. *Qui carni, & propria voluntati vivit, non Deo, ſed ſibi vivit.* 4. *Qui gratiâ caret ſanctificante, in qua eſt vita ſpiritualis, mortuus eſt ſecundùm ſpiritum.* In his 4. conſiſtit *punctum primum.* Hæc bene perpendat

dat intellectus: 1. quàm ſublimis ſit finis, ad quem creatus eſt homo. 2. quanta ſit jactura, ab eo excidere. 3. quàm ſit præpoſterum, proprijs vivere commoditatibus corporis, & non Deo. 4. quàm ſit damnoſum, carere vitâ ſpirituali. Diſcuſsîs iîs, affectum incita, & ita intra te ad te loquere hoc, vel ſimili modo: O infinita bonitas Divina! quam infinitas tibi rependere deberem gratias, quòd me ad tantam gloriam, ad tam ſublimem finem absque meis meritis, ſola ex gratia tua creaveris! Et ego à fine per peccatum deflectam, corruam? Vitam, quam miſericorditer tribuiſti, mihimet auferam? Gratias, largiſſimè à te acceptas, momentaneîs vendam nugîs? Mihi, corpori, mundo, non tibi vivam? Imò, quò magis mundo, & mihi vivo, minùs vivo; quia abſum à te, qui es vita mea. Ecce! tendunt omnia creata, inanimata, & animata ad ſuum finem, quem tua ijs præſtituit providentia: vitam cupiunt, quæquæ vivunt ſub ſole; & ego rationis uſu præditus cœleſtem vitam non ambiam? Divinas gratias vilipendam? mortem per peccatum mihi inferam? ô Deus animæ meæ! ne tantam abſurditatem unquam committam, da gratiam, da lumen, ut dignè æſtimem pretium mei finis, tuæ gloriæ, meæ vitæ, tuæ gratiæ. Longè ſit à me peccatum, ut propè ſim fini creationis meæ, nec unquam ab eo excidam.

Quære 3. ex te: 1. quid doctrinæ pro ſpirituali fructu hauriendum? & ſtatim occurret fuga peccati; quæ infertur vel maximè ex eo, quòd ſit peccatum contra ultimum finem, Deum; vitâ & gratiâ privet hominem; aliáque mala & damna irreparabilia inferat: quæ patebunt ex puncto ſecundo & tertio. Hinc affectus debet ſubſtitui deteſtationis peccatorum, propoſiti nullum ampliùs committendi; ſicut priori numero jam exemplum fuit poſitum. Hic verò affectus altiùs eſt tollendus, & majori efficacia iterandus. 293

Quære 4. ex te; quæ ſint motiva ad amplectendam peccatorum fugam? & illicò recurrent in memoriam hæc: 1. *à cauſa finali*; quia peccatum à fine, ad quem creatus eſt homo, deturbat. Elice hìc affectum ſimilem: *Altior eſt conditio noſtra, ô anima mea! quàm ut ad ſervitutem diaboli, mundi, & carnis nos demittamus; gloria Divina momentanea voluptate, terreno honore, vili pretio, non eſt commuttanda. Qui Deum contemnit, qui non amat, & non reveretur, extra centrum vagatur: iners eſt creatura, nec finem adimplet hominis. Ideò enim rationis uſu gaudemus, & à brutis animantibus diſtinguimur, ut ſit rationabile obſequium noſtrum ad laudem Dei; ut cognoſcamus* 294

mus ſummam veritatem ; ut amemus infinitam bonitatem ; ut timeamus immenſam potentiam ; ut ſerviamus tremendæ Majeſtati , quæ corpus & animam poteſt in gehennam perdere.

2. *Ab æquitate*: quid enim æquius eſt, quàm ut creatura ſerviat Creatori, ſervus ſuo Domino? quid æquius, quàm ut filius obediat Patri, Benefactorem maximum honoret, Legislatoris potentiſſimi mandata obſervet? quid æquius, quàm ut Judicem juſtiſſimum, inflexibilem, & ſeveriſſimè ſcelera punientem reus timeat, & impoſterum in nullo offendat? Eſt autem Deus Creator, Dominus, Pater, Benefactor, Legislator, & Judex æquiſſimus; ego verò creatura, ſervus, filius, cliens, ſubditus, & reus: ergo ſerviam, obediam, honorem, præcepta obſervem, timeámque Deum meum.

3. *Ab utilitate*: nunquid anima mea brevi labore immenſam mercedem comparares, ſi poſſes? nónne pro exigua paſſione, & ſufferentia cujusdam moleſtiæ æterna gaudia emeres? Et ecce! *momentaneum & leve hoc tribulationis*, quæ à mundo, carne, & Dæmone obvenit nobis, *æternum gloriæ pondus operatur in cælis.* Si vis ingredi ad vitam æternam, obſerva mandata: ergo qui abſtinet à peccatis, & cuſtodit præcepta Divina, acquirit gratiam, æternam gloriam, mercedem immenſam. Quid igitur utilius eſſe poteſt mihi obſervantiâ legum, & peccatorum fugâ?

4. *A contrario*: quanta mala tibi, ô anima! infert peccatum? à ſcopo te movet, pro vita mortem, pro gratia Dei odium, pro libertate ſervitutem, pro hæreditate cœleſti captivitatem diabolicam, pro æterna gloria ſempiternas pœnas, pro viſione beatifica tenebras infernales, & nunquam finiendos cruciatus tibi affert. Quis tanta perpendens mala vellet peccare?

5. *A facilitate*: nihil homini facilius, quàm Dei præcepta ſervare; utpote quæ rectæ rationi ſunt convenientia, adeò meritoria, adeò delectabilia, ut animo quietem, intellectui veritates æternas, voluntati ſuaviſſimas motiones, conſcientiæ perfectiſſimam tranquillitatem, & tandem homini cœleſtem coronam, ac gloriam infinitam inducant.

6. *Ab exemplo*: heu! quantùm unicum peccatum fuit à Deo punitum in reprobis Angelis, in primis Parentibus, aliiſque millenis, quibûs ſcatet infernus! Tacebo graviſſimas pœnas, quibus animadvertit iratum Numen in orbem univerſum diluviô ſubmerſum, in Pentapolim igne & ſulphure abſumptam &c. Atque hîs & ſimilibûs motivîs ad peccatorum fugam incitare te poteris, & cum proportione materiæ ſub meditatione erues argumenta intellectum convincendi, ac voluntatem moven-

movendi ad amplectendam virtutem, ad peccati fugam, aut ad eliciendum alium congruum affectum.

295 *Quære* 5. *ex te* : an motiva efficacia tibi fuerint viſa, & an, ac quomodo doctrinæ talis obſervans fueris? Examen proin vitæ, hactenus à te transactæ, & brevem reflexionem inſtituas, an, & quanta in numero & ſpecie commiſeris peccata? Si per Dei gratiam cuſtodieris præcepta ejus, & nunquam per peccatum mortale transgreſſus fueris, excita affectus gratiarum actionis, laudis, glorificationis, amoris &c. pete ulteriorem gratiam, humilia te, nihilque tibi aut tuis meritis, ſed omnia Divinæ benignitati adſcribe. Si autem inveneris te peccaſſe, elice affectus doloris, accuſationis, humiliationis, deſiderij, emendationis &c. qui actus, utpote ad ſingulas ſacramentales confeſſiones repetiti, hìc in meditatione congruâ efficaciâ erumpere poſſunt: quorum exemplum hìc non pono; quia paſſim in alijs pijs libris continentur, & apud quemlibet Religioſum habentur in quotidiano uſu.

296 *Quære* 6. *ex te*; quid in futurum particulariter proponendum? Ubi ociùs occurrent circumſtantiæ, occaſiones, & variæ praxes, in quibus peccatum fugere, vitioſum habitum atterere, & propoſita executioni mandare vales. Tum adjunge affectum Divinam implorando miſericordiam: O ſumma Majeſtas! O infinita Miſericordia! en! tot motivis excitatus, tot inſpirationibus, tot luminibus Divinis illuſtratus, tot gratiis præventus peccata mea ſummè deteſtor, doleóque ex tota anima mea, & ex totis viribus, quòd Divinam Majeſtatem, infinito amore digniſſimam bonitatem tuam offenderim. En! ad ſinum miſericordiæ tuæ revertor corde contrito, & humiliato, quod, ne deſpicias ex illo amore, quo me ab æterno elegiſti, ex nihilo creaſti, & hucúsque conſervâſti, precor, atque ad condignam pro peccatis meis ſatisfactionem Divinæ juſtitiæ tuæ me offero, corpus & animam, & omnia mea penitùs tibi conſecro; firmiſſimè propono, nullô pactô te impoſterùm offendere; NB. illum locum non ampliùs accedam, in quo te maximè offendi (*fiat determinatio loci, temporis, perſonæ, aliarúmque circumſtantiarum*) occaſiones abſcindam, vim indomitæ naturæ inferam, frænum ori injiciam: nihil ampliùs in me ſit, quod oculos tuæ Majeſtatis offendat: nullum in me ampliùs regnet peccatum. Tibi ſerviant affectus omnes potentiarum mearum. Tibi totus vivam, ô Deus, vita animæ meæ! juravi & ſtatui, cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ: largire modò gratiam efficacem, & potentem, ut hæc animi propoſita ad apicem perfectiſſimè adimpleam &c. *Si ad ma-*

Digitized by Google

nus ſint libri Confeſſionum S. P. N. paſſim ſimiles & ardentiſſimi, atque altiſſimi actus inveniri poſſunt.

297 *Quære* 7. ex te: quæ media ſint adhibenda pro efficaci propoſitorum executione? hoc enim maximè conſiſtit in remotione impedimentorum, quæ vel proximè, vel remotè obſtare poſſunt executioni. Unde delectus fiat magìs frequentium lapſuum; deinde apta & congrua reſumantur media, mortificatio ſenſuum externorum, fuga, & abſentatio ſociorum &c. Tandem;

298 *Quære* 8. ex te; qua ratione in occaſionibus oblatis habere te velis? & tunc ſubſtitue ardentes affectus hoc vel ſimili modo: ne autem hoc efficax voluntatis meæ decretum deficiat in tempore, SS. tuam paſſionem pro medio recolam, cruciatus tuos, ô Jeſu amantiſſime! menti imprimam; quô fiet, ut gravamina, hominum injurias, & contemptus, moleſtias carnis, Dæmonis fraudes, mundi fallacias, omnéſque tentationes devincam. Tu miſerum inter mille pericula protege, gratiâ tuâ conforta, ut in SS. Nomine tuo peccati laqueos evadam.

299 Peractîs hîs, meditatio clauditur colloquiô unô, vel pluribûs ad Deum, aut Sanctos. Exemplum hujus ſit in noſtra meditatione aſſumpta: O Deus meus! O infinita Bonitas! projicio nihilum animæ meæ ante te, pulvis & cinis loquitur Majeſtati tuæ; ſuſcipe verba nequiſſimi ſervi tui, qui toties peccando à ſanctiſſimis legibus tuis deflexi. Nunc gratias pro viribus ſummas benignitati tuæ reddo, quòd indigniſſimum mancipium in hac meditatione audire, preces clementer ſuſcipere, intellectum Divinæ veritatis lumine illuſtrare, voluntatem ſalutari peccati horrore imbuere, atque ad deteſtandum, fugiendum, & pro eo ſatisfaciendum pijſſimè commovere dignatus ſis. Pro tantis beneficiîs, mihi immerito collatis, quid aliud in vicem gratam rependere potero, niſi laudem, & gloriam, & virtutem, & gratiarum actionem, ab omni creatura infinitis titulis tuæ Majeſtati debitam. Quia verò condignæ laudationi impar eſt anima mea, tuam SS. Matrem Virgineam invoco, ut illa pro me ardentiſſimas dicat laudes cum omnibus Angelis, & inflammatis Seraphinis, cum toto exercitu Sanctorum, quibuscum pro tenuitate mea adunata voce dico: *tibi honor, tibi laus, tibi gloria per infinita ſecula ſeculorum. Amen.* Inſuper gratiam peto à te, ut, qui dediſti cognoſcere, horrere, & deteſtari peccatum, des etiam mihi fortitudinem, & conſtantiam ad exequendum, quæ firmiſſimè decrevi; ut in omni occaſione ex amore tui nullum committam peccatum, virtutem tibi placitam exerceam, ſicque fideliter tibi ſervire valeam uſ-

que

Digitized by Google

que ad mortem. Finitô colloquiô recitari poſſunt Pater & Ave, vel alia pia oratio.

300 Poſt meditationem fit brevis reflexio ſuper eam: 1. an præſentiam Dei viva fide apprehenderis? 2. an orationem præparatoriam, & prælludia præmiſeris ordine præſcripto? 3. an ſervaveris debitam in punctis diſtributionem? 4. quàm feriò per decurſum meditationis applicueris potentias, intellectum ſcilicet, voluntatem, & memoriam? 5. an plus temporis diſcurſibus intellectûs, vel motibus, & affectibus voluntatis tribueris? 6. an ſenſus externos cohibueris, nullâſque admiſeris evagationes? 7. inquire cauſas, ſi quid ſuper his punctis inordinatè contigiſſet. Si bene ſucceſſerint omnia, novas Deo gratias redde. Si verò admiſeris negligentiam in aliquo, doleas, & emendare in proxima occaſione ſtudeas.

Tandem fructus ex oratione mentali hauſtus perpenditur, atque hôc annotatur modô. 1. meditationis S. textus præmittitur. 2. ſcopus illius ponitur. 3. motiva ſecundùm ordinem. 4. affectus præcipui. 5. particularia propoſita. 6. induſtria pro executione. Exemplum hujus ſit n. 290. propoſita meditatio. S. *Textus* illius eſt: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Scopus*; *peccatorum fuga. Motivum* 1. quia eſt contra finem hominis peccatum. 2. quia Deo mori facit animam. 3. quia merita tumulat, quæ vitâ ſpirituali privat. 4. quia creaturîs abutitur, & à ſuo centro movet; quin Deum deſtruere cupit. 5. quia Chriſti paſſionem renovat, & conculcat. 6. quia Divinam hæreditatem & filiationem in fœdam ſervitutem mutat. 7. *affectus* præcipui ſunt fidei, contritionis, confuſionis, humiliationis propter commiſſa ſcelera. Fiat oblatio ſui eapropter ad pœnam, efficax propoſitum emendationis, gratiarum actio &c. 8. *propoſitum particulare* ſit fuga occaſionis, in qua hucúsque delicta commiſſa ſunt. 9. *Induſtria* ſpecialis eſt cautela, quam quis adhibere proponit, ubi majus imminet peccati periculum: tunc enim E. G. in praxi paſſionem Chriſti, creationis finem, damna & mala peccati in mentem revocabo, atque implorabo internis affectibus Divinam miſericordiam, ne ullo pacto offendam Deum in tali occaſione.

Documentis hiſce comprehenditur meditatio, in qua, velut uno exemplo adducto in via purgativa, practicè oſtendimus, qua ratione alienæ quoque meditationes tam in via illuminativa, quàm unitiva inſtituendæ ſint, ita tamen, ut prò diverſitate materiæ puncta & motiva plura vel pauciora ponantur; affectus item diverſi, & congrui eliciantur.

Colliges ex dictis, in qualibet meditatione 4. cauſarum genera 301

concurrere, & in diſcuſſione punctorum obſervanda eſſe: ſic alij tradunt. *Cauſa formalis* meditationis eſt ejus definitio: ſcilicet, meditatio eſt attenta & ſollicita mentis conſideratio, cunctanter perpendens cujusvis rei naturam, proprietates, effectus, cauſásque per varios diſcurſus, ut affectus, varijs ſenſibus congruentes, excitet, emendationem vitæ, & ſalubrem morum afferat mutationem. *Cauſa materialis* ſunt illa objecta juxta 3. vias, vel partes perfectionis: alia enim materia ſeu objectum meditationis dirigitur ad animam à vitijs purgandam: alia ad illuminandam, & virtutibus ornandam: alia ad perfectionem majorem inducendam in animam, eámque uniendam Deo; de quibus n. 280. uſque ad n. 288. incluſivè fuſiùs tractatum eſt. *Cauſa finalis*, ſive finis meditationis, eſt triplex: *immediatus* eſt quoad intellectum clarior cognitio, æſtimatio, & opinio de Deo, Chriſto, B. Virgine & Sanctis: quoad voluntatem ſunt affectus & actus interni, conformes triplici cognitioni modò aſſignatæ, *Contritionis*, *Imitationis*, & *Amoris*. Item deſideria, propoſita, ſeu practicæ reſolutiones ſunt finis immediatus in meditatione intentus. *Mediatus* ſunt actus interni & externi virtutum, extra meditationem exercendi ſecundùm decreta, ſeu ſunt ipſa executio propoſitorum; quam executionem alij vocant *propoſitum completum*. *Ultimatus finis* eſt incrementum puritatis animæ, acquiſitio virtutum, major amor Dei, gratia in hac vita, & in altera gloria (quæ tamen nonniſi finis ultimò ultimatus dicitur, qui per omnes virtutes & actiones noſtras ultimatò intenditur) ultimatus etiam finis eſt, ex puritate animæ & amore Dei emergens, major Dei cultus, beneplacitum & Zelus Divinæ gloriæ. *Cauſa efficiens* eſt Deus, & homo; Deus quidem tanquam ſupernaturalis & univerſalis cauſa, cum gratia præveniente, excitante, adjuvante voluntatem inflammans, memoriam excitans, intellectum adjuvans, & illuſtrans. Homo verò particularis, qui à Deo adjutus, illuminatus, & ſupernaturaliter elevatus per intellectum, voluntatem, & memoriam cooperatur; ut ſic memoria veritates, bene apprehenſas, repræſentet, intellectus ſalutares diſcurſus deducat, voluntas affectus congruentes eliciat, propoſita firmet, & tandem in colloquio gratiam petat; ſive inſtituatur immediatè ad Deum, vel Sanctos, ſive per modum dialogi; prout fert exigentia materiæ.

REMO-

Digitized by Google

REMORÆ AFFECTUUM.

QUod remora eſt navibus, quas in medio curſu ſiſtit, ac retardat, ne progredi valeant; id ſunt quædam impedimenta, quæ meditantium affectus ſiſtunt, ne tam liberè erumpere, & ad ſuum centrum pertingere poſſint. *Remoram* navigantium ad Deum noſtrorum affectuum eſſe carnem noſtram titillantem, atque illecebras mundanas, & voluptates momentaneas animæ objicientem, ut eam retrahat ab incæpto curſu ſpiritualis profectûs, S. Gregorius Nazianzenus in carmine ad Virgines accommodâ metaphorâ proponit, dum ita canit:

Ne vita ipſa tua immittas echineïda, carnem,
Quæ velut injecta properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit ſubſiſtere molem.

Expertiſſimus navigationis aſceticæ Nauclerus, S. Bernardus *ſerm. 23. in Cant.* detexit quatuor ejusmodi remoras in anima noſtra, velut in æſtuante oceano circumvagantes. 1. eſt *ſenſus egens*: quando ſcilicet corpus humanum ægritudines, incommoda, viciſſitudines, aut alias perturbationes patitur, vel aliquis ex naturali defectu cerebrô laborat; nam hîc ſubſiſtit maximè illud S. Auguſtini: *illuc naturaliter rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris.* 2. habetur *cura pungens*; nimia etenim ſollicitudo rei domeſticæ, negotia varia, occupationes ſeriæ, & opera manualia, ordinariè incompatibilia ſunt cum meditatione. Dixi, *ordinariè*; quia per gratiam ſpecialem quosdam Sanctos in vitis P. P. legimus inter labores manuum continuò oráſſe, & Divina contemplatos fuiſſe. 3. aſſignatur *culpa mordens*; qui enim gravi culpa, & peccatis gravatum gerit animum, aptus non eſt ad contemplationem verè, & cum fructu inſtituendam: niſi fortè pœnitudo præceſſerit, quæ per meditationem ſubſequentem ad ulteriorem profectum ordinatur. Certè, qui actualibus peccatis obnoxius eſt, cœleſtia non valet attingere, nec cogitationem ſalubrem ſuſcipere, rodente conſcientiâ; nam *vermis eorum non morietur. Iſaiæ 66.* 4. recenſentur *phantaſmata irruentia*: quorſum ſpectant tentationes, ariditates, & præſertim ſcrupuli, qui teneras conſcientias mirè angunt, & velut mare ebullire faciunt, inquietúmque reddunt animum. Ecce! verba S. Bern. *in hoc arcanum, & in hoc ſanctuarium Dei* (meditationem, & contemplationem hôc titulô honorat) *ſi quem fortè veſtrûm aliquâ horâ ſic rapi,*

rapi, & ſic abſcondi contigerit, ut minimè avocet, aut perturbet vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè, quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantaſmata; poterit quidem, cùm ad nos redierit, gloriari, & dicere: introduxit me rex in cubiculum ſuum. Quàm remoras affectuum paſſi non ſint, SS. demonſtrant; quorum brevem vitæ delineationem hìc ſubjicimus.

S. Guarinus Bononiæ in Italia nobilibus Parentibus, ex familia de Fuſcararijs dicta, oriundus, jam ab ineunte ætate, & in ephebis adhuc conſtitutus, non puerorum luſibus, ſed modeſtiæ, pietati, ac Divinarum rerum conſiderationi ſtudens, tenerum corpuſculum inediâ, ciborúmque ſubtractione caſtigare cœpit. Parentibus, nuptui eum tradere volentibus, piè illuſit; dum Clericali inſtituto in Eccleſia Bononienſi nomen dedit. Verùm, cùm ingenuæ indolis, probatæque virtutis adoleſcens ſocios ſuos mollibus veſtitos, nec quæ Jeſu Chriſti, ſed ſua quærentes cerneret, animum ad perfectiorem vitam capeſſendam adjecit, & inſtitutum noſtrum in Canonia S. Crucis de Mortaria amplexus eſt. Ibi virtutum exercitijs, ſanctíſque contemplationibus vacans ad dudum deſideratum perfectionis culmen pervenit. A Canonia Mortarienſi ad S. Frigdiani itidem Ordinis noſtri Collegium propè Lucam translatus, eo loci inter Concanonicos ſubmiſſione, & obſequendi promptitudine quaſi Miniſter, Doctor verò ſcientiâ, & Magiſter exemplô extiterat. Mortem ut ſibi quotidiè imminentem aſſiduè meditabatur, memor haud dubiè dicti Siracidis c. 7. *in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Mortariam ſuam reverſus, cùm illius virtus, ac vitæ ſanctimonia longè latéque hinc inde percrebuiſſet, Papienſes ipſum Epiſcopum ſuum poſtulabant. Hoc ut declinaret, totis viribus reluctari cœpit, aſſerens, indignum ſe tanto honore, ac imparem tanto muneri ex doctrinæ & virtutum defectu eſſe. Dum itaque civium, ac Cleri petitioni neutiquam acquieſcit, commodum accidit, Archidiaconi cujuſdam, ad eam inſulam anhelantis, conſilio à deceptis cuſtodibus virum ſanctum è loco arcto, ubi detentus fuerat, per feneſtram demitti. Latuit dein tamdiu, donec alius Eccleſiæ Papienſis Antiſtes inauguratus fuit. Verùm enim verò, quod Papiæ fugâ declinavit, Romæ ſummi Præſulis Lucij II. juſſu accipere debuit; is enim Guarinum, ad ſe accitum, Præneſtinum Epiſcopum, ac S. R. E. Cardinalem creavit: qui Pontifex, cùm ei pretioſum equitatum, multámque uſui Epiſcopali deſtinatam ſupellectilem, dono dediſſet,

Digitized by Google

ſet, mox cuncta divendens, pretium pauperibus diſtribuit. Cæterùm Guarinus jam Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis conſuetæ Religioſæ vitæ exercitia neutiquam omiſit; ſed jejunijs, orationibus, rerum cœleſtium contemplationibus, ac reliquis pietatis operibus inſiſtens, vivum virtutis exemplar ſe præbuit; ipſe ad populum ſermones habuit; pauperibus ipſe alimenta, ac indumenta diviſit. Cujus in miſeros pietatis præclarum extat monumentum, hoſpitale ſcilicet in Patria à ſe erectum, quod S. Jobi appellant. Mortem ſibi adeſſe divinitùs edoctus, Clericos ſuos convocavit, quibus dum ſalutaria monita dediſſet, oculîs ac manibûs in cœlum erectîs è vivis exceſſit 6. Febr: anno 1159. ætatis 75. Religionis noſtræ 40. Epiſcopatûs 15. Dæmone ipſo ex obſeſſi cujusdam ore clamante: Hodie Præſul migravit ad cœlum, cujus precibus ego miſer pellar. Et pulſus eſt. Alexander Papa III. illum Sanctorum Catalogo inſcripſit. *Ex vita ipſius per Auguſtinum Ticinenſem noſtrum conſcripta apud Joan. Bollandum tom. 1. die 6. Februarij.*

Georgio Campo Vercellenſi, Congregationem Lateranenſem ingreſſo, cùm tyronem adhuc ageret, frœnum injicere magìs, quàm ſtimulum adhibere neceſſum fuit; ita nimirùm per arduas virtutum vias ad perfectionis montem non tam itabat, quàm currebat. Qui donis Principis Meſſarani Theologus, & à ſacris confeſſionibus licèt eſſet, non tamen deſtitit, quin oppida, ac pagos obeundo juventutem Chriſtianæ fidei rudimentis inſtrueret, inſtructos altioribus virtutibus perficeret. Obijt præterito ſæculo, anno & die incertis, ætatis verò 33. *Ex Lyceo Lateranenſi Celſi Roſini l. 7.*

Eximiæ quoque virtutis, ac ſanctitatis laude conſpicuus fuit Joannes Serranus Hiſpanus, ex Canonico Regulari, & Priore Monaſterij Guadalupæi Segobienſis primùm, tum Seguntinus ordine trigeſimus Epiſcopus. Vir Joanni Salazar in catalogo horum Præſulum fol. 552. doctrina, prudentia, ac virtutibus clarus. Vivere deſijt anno 1400. die 7. Febr.

Reverendiſſimum Aloyſium à Lymbork Belgam, Abbatem S. Ægidij in monte apud Leodium, Virum à nobilitate generis, & doctrina toti Belgio notum, notiorem reddiderunt in egenos liberalitas, & erga peregrinos hoſpitalitas. Vivere deſijt anno 1640. incerto die. *Ex Bibliotheca Belgica Valerij Andreæ.*

B. Ægidius à Waldecuria, ſive Walcuria, primus Antiſtes Cœnobij Oegniacenſis, à teneris jam annis ſummæ pietatis, virtutúmque reliquarum præſagia Parentibus, & notis amicis præbuit, ut-

pote quas ſit exercitaturus olim ætate provectior. Varijs à Dæmone tentationum, & moleſtiarum incurſibus exagitatus feliciter illis ſemper illuſit. Cùm nullo frueretur beneficio, ùt vocant, Eccleſiaſtico, ſed ſuis tantummodo, quos ex patrimonio numerabat, ſumptibus victitaret, ſæpiùs in ſacello domeſtico Werrici Walcuriani viri militia præclari ad aram fecit: hinc quidam ex ejusdem famulitio, rem in paucis acceptam hero ſuo facturos arbitrati, clam ei ſuggerunt, Ægidium ingentem theſaurum in quodam ſcriniolo, cujus ille clavem geſtaret, reconditum habere. Sed falſa illos narrâſſe, eventus docuit: effractô quippe ſcriniolô, liber duntaxat liturgicus, calix, reliqua ſacra pro re Divina peragenda ſupellex, cilicium, ac binæ virgæ, quibûs corpus domare conſuevit, repertæ fuerunt. Hîs conſpectîs Werricus in ruborem datus, præproperæ ſuæ credulitatis pœnas tulit. Verùm Ægidius omnis doli neſcius, cùm adverteret, eo loco Divini cultûs promovendi facultatem ex animi ſententia non ſuppetere, aliò migrare, ac ſub Regulari diſciplina vitam magis tranquillam ducere conſtituit. Commodum autem accidit, Parentem ſuum non longè poſt defunctum fuiſſe, cujus amplas bonorum poſſeſſiones Divino cultui deſtinans, anno 1192. Ogniacenſis Monaſterij, ad Sabim fluvium in Arteſia ſiti, fundamenta jecit: quo in loco brevi temporis intercapedine Canonicorum ſecundùm S. Auguſtini præſcriptam formulam Deo ſervientium ſuccrevit numerus. Ædem ſacram, pro facultate conſtructam, Hugo à Petra-Ponte Epiſcopus Leodicenſis ad S. Nicolai Myrenſis Antiſtitis honorem conſecravit: eò quòd jam antea Oratorium ibidem, tenui congeſtum ceſpite, eidem dicatum Sancto, repertum eſſet. Ægidius ſeniô confectus, cùm vitæ ſuæ ultimum periodum imminere ſentiret, cœleſtia duntaxat ſuſpirans, atque cum Paulò Tarſenſi diſſolvi, & eſſe cum Chriſto deſiderans, ex hac ad meliorem tranſijt vitam 5. Januarij an. 1231. poſtquam 41. in ſuo Regimine laudabiliſſimè inſumpſiſſet. *Ex Arnoldi de Raiſſe Auctario ad natales Sanctorum Belgij hoc die.*

Exigit etiam hoc loco virtus Reverendiſſ. Pauli Steinherr memoriam, cujus principia meditandi, Novellis Religioſis data, priori articulo in compendio libavimus. Is poſt abſoluta Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia adeò mira ingenij felicitate excelluit, ut varia in S. Ordine, & Collegio noſtro Beyrbergæ ei fuerint comiſſa officia; nam Zeloſus Archiconfraternitatis S. Roſarij Præſes, Parochiæ Vicarius, poſteà meritiſſimus Decanus, inter tyrones Magiſter, inter

ter Diſcipulos Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor, ac tandem exigente meritorum cumulo Præpoſitus digniſſimus extitit. Quo in munere non poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente ſe felicem exiſtimavit, dum in ſublimi permanſit demiſſus, in libertate cuſtoditus, inter Sæculares Religioſus. Adeò omnibus omnia factus eſt, ut Muſis Muſicus, Palladi Studioſus, Choro Canonicus, foro Regularis, ſubditis benignus Dominus, Canonicis gratioſus Pater communi titulo audierit. Cum his communi menſa & habitu contentus, nec ſplendidis veſtibus, nec privatis aut lautis convivijs, nec ſumptuoſis itineribus violare paupertatem unquam eſt ſolitus. Trita veſte, & inveteratis calceis uti non erubuit; dum interim Canonicos ſuos ultra neceſſitatem etiam novis veſtimentis cooperiri curâſſet. Quantus diſciplinæ Regularis amator, & ſollicitus fuerit promotor, libellus teſtatur ſpiritualis, pro quotidianis ſacris meditationibus conſcriptus: quem ingenio, labore, eruditione, religione, & textibus, ex S. P. N. collectis, plenum, inter alia Præpoſituræ negotia collectum, ſub titulo *Viatici Auguſtiniani* prælo ſubjecit. Zelum cultûs Divini, pietatem in Sanctos Patronos ſuæ Eccleſiæ, continuæ mortificationis, & abnegationis propriæ ſtudium, profundam ſui humiliationem, virgineam caſtitatem, aliáſque conſectaneas virtutes ſat exprimere non patiuntur anguſtæ pagellæ. Mortuus eſt 26. Novembr. an. 1696. ætatis 65. Prælaturæ 22. Corpus ſepulchro illatum fuit in medio Eccleſiæ ante aram ſummam; ejúſque tumulo ſequens Epitaphium inſcriptum: *Quieſcit Paulus:* prout ſequentes verſus continent in litteris initialibus.

Quos Vigil Inter Eram, Solus
Cedo Inde, Tacendo.
Sic
Paſſim Alios Variè Ludere Vita
Solet.

Aliud porrò Chronologicum Præſuli venerandiſſimo ad ejus tumbam appoſuit Religioſa poſteritas; quod hîc reticendum neutiquam videtur.

paLLas sILet,
VIrtVs IaCet,
ChorVs taCet,
LaChrIMatVr BeVrberga,
In fVnere ſponsI,
paVLI steInherr AntIstItIs &c.

ARTICULUS V.
De Motivis & Affectibus.

SUMMARIUM.

302. *Præmittitur difficultas eruendi motiva, & affectus.*
303. *Primus ſons motivorum ſcaturit ex locis communibus.*
304. *Alter ex rationibus particularibus.*
305. *Tertius oritur ex communibus & particularibus ſimul.*
306. *Duplex affectus aſceticus tam proſecutionis quàm averſionis ordinariam aut extraordinariam accipit cauſam.*
307. *Differentia inter affectum purè ſpiritualem, & ſpiritualem ſimul ſenſibilem.*
308. *Indicatur cauſa, cur quidam citiùs, alij difficiliùs moveantur in affectus. Reſignatio in Divinum beneplacitum optima in difficultate occurrente ratio. Otium ſanctum exponitur.*

302 Cùm in meditatione exercitium intellectûs antecedat voluntatis actus, & hæc non moveatur in affectus, niſi is rationes, & cauſas impellentes oſtenderit; agendum eſt de rationibus, & motivis, quibus intellectus primùm moveatur in ſe ad amplectendam ſpiritualem veritatem. Difficultas tamen non modica, præſertim Tyronibus, ſeſe ingerit, unde deſumantur rationes, quibus ſufficienter probetur intentum meditationis aliquod punctum? Nam contingit non raró, quòd minùs placeant, atque hoc ipſo minùs moveant rationes, quæ in libris ſpiritualibus ab alijs ponuntur; à contrario verò plùs moveant, fortiùs impellant motiva & cauſæ, à proprio ingenio inventa, utpote perſpicaciùs penetrantia. Hinc breviter, quoad fieri poteſt, è ſacratiori Rhetorica fontes motivorum adducam; quibûs ſi uſi fuerint Tyrones, dubium non erit, quin concluſionem practicam exinde ſint deducturi ad ſpiritualem fructum, ex meditatione hauriendum.

Primus fons eruendi idonea 303
pro meditationis ſcopo probando motiva continet ſequentes locos communes. 1. *Authoritatem Sacræ Scripturæ.* 2. Teſtimonia SS. PP. 3. Finem ſui ſtatûs, votorum, legum regularium obligationem. 4. Exempla Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, ſuæ præſertim Religionis. 5. Similitudines, & comparationes. 6. Cauſas, & effectus. 7. Contraria,

traria, & repugnantia. 8. Antecedentia, & conſequentia. 9. Circumſtantias, & adjuncta: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* &c. Notandum tamen eſt, non omnes locos hos ad unam veritatem probandam concurrere debere; cùm ſufficiat, tribûs, vel quatuor rationibûs eam eſſe ſtabilitam: tunc verò plures adhibendas eſſe, & efficaciores rationes; ſi minùs moveatur intellectus prioribûs.

304 Alter fons ſuppeditat faciliorem fortè eruendi motiva modum; & his comprehenditur documentis:

1. Expendat meditans, quid in præſenti ſtatu alijs conſuleret, quæ media, & rationes præſcriberet ad virtutem amplectendam, aut vitium fugiendum. Hoc ſibi applicet, & exinde pro ſcopo meditationis practicam concluſionem aſſumat.

2. Meditetur, quid in morte, quid in judicio, quid in ipſo aditu æternitatis felicis, vel infelicis ſe feciſſe velit?

3. Revolvat animo, quòd Chriſtus ipſe, hujus vitæ calamitatibus noſtri causâ ſubjectus, tam verbô, quàm exemplô docuerit ad exercendum ejusmodi actum, aut vitij fugam.

4. Recogitet, quomodo Sancti exemplô ſuô in ejusdem virtutis ſtudio ſibi præiverint: quod illi potuerunt (non ex infirma ſua, & corruptibili natura; ſed ex Dei gratiâ) cur idem non poſſit ipſe in brachio Excelſi?

5. Penſitet, an non id ſuadeat augmentum præſentis meriti, magnitudo futuri præmij, tótque alia à Deo collata in ſe beneficia tam univerſalia, quàm particularia?

6. Trutinet, an non hoc exigat finis creationis, titulus religioſæ vocationis, obligatio votorum, legum, ac religioſæ perfectionis?

7. Ponderet, quàm glorioſum ſit, Dei amicum eſſe, Chriſto autem, dilectô ejus filio, tam hìc, quàm in æternum eſſe ſimillimum &c. Hæc, & alia ad excitandum univerſim diſcurſum, affectúsque faciliùs promovendos utiliùs ſervire poterunt.

Tertius fons uberrima præbet argumenta à neceſſitate, utilitate, dignitate, honeſtate, æquitate, facilitate, & exemplo; ſicut ex hoc fonte derivata motiva ſupra num. 294. in praxi allegavimus. 305

Neceſſitas deſumitur ex authoritate Sacræ Scripturæ, præceptis Dei & Eccleſiæ, doctrina Chriſti, & S.S. P.P. teſtimonijs. 2. ex fine creationis, religioſæ vocationis &c. 3. ex ratione medij. 4. ex debito, v. g. quia homo ratione præditus; quia Chriſtianus; quia Religioſus; quia Sacerdos &c. 5. ex cauſis, & effectibus antecedentibus, & conſequentibus.

Digitized by Google

Utilitas habet commoda, quæ oriuntur ex virtutis actu, & vitij fuga; ſive dein ſint commoda ſpiritualia, ſive temporalia; ſive obveniant ſibi, aut alijs, vivis, vel defunctis. 2. Sententias Sacræ Scripturæ, & S.S. P.P. qui ejusmodi commoda teſtantur. 3. Similitudines, & comparationes, v. g. ſi pro modico temporali lucro longa via curritur; quantò magìs pro æterna beatitudine ad quævis ardua virtutum exercitia committendum eſt. 4. Conſequentia, & ab oppoſito damna, ſive ſpiritualia, ſive temporalia, ad utilitatem pertinent.

Æquitas in ſe complectitur ſequentia. 1. quòd virtutem, vel vitij fugam, & paſſionum repreſſionem naturale dictet lumen. 2. quòd officium Chriſtiani, & Religioſi id exigat. 3. quòd legum æquitas, mens fundatoris, religioſus Status, & beneficiorum Divinorum ratio perſuadeat. 4. quòd idem præſtent alij minoribûs motivîs incitati, paucioribûs mediîs & auxiliîs inſtructi, neque tot titulîs obſtricti.

Dignitas deſumitur 1. ab æſtimatiône, quam virtus apud Deum, & Sanctos conciliat. 2. in quanto pretio habeatur à Superioribus, æqualibus, & inferioribus, omnibúsque hominibus probis, & improbis. 3. quantîs Encomijs deprædicetur à Sacra Scriptura, S.S. P.P. & Illuſtribus Viris.

Facilitas includit ſpiritualia ſolatia, quæ oriuntur ex virtutis exercitio, & vitij fuga. 2. deſumitur ex actiône virtutis, & ſpe præmij cœleſtis; ſpes quippe, & amor onus alleviant. 3. ex aſſiduo virtutis ſtudio, quo natura ſenſim vincitur. 4. ex gratia cœleſti, quæ difficultatem virtutis emollit. 5. ex fiducia, & erectione animæ, quæ adversùs vanas apprehenſæ difficultatis opiniones, ab amore proprio ingeſtas, ſeſe opponit, atque ſic terrores ſuperat facillimè.

Exemplum accipitur ab ijs, quæ Chriſtus, quæ B. V. Maria, & alij Sancti, maximè Canonicæ Religionis noſtræ, geſſerunt, & in omnibus virtutibus præluxerunt; in quibus per ſimile exercitium ijs ſimiles eſſe ſtudeamus. 2. includit bona exempla, quæ nos per tales virtutes alijs dare poſſumus, ædificando illos, & ad ſimilem actionem virtutis juvando, & trahendo. Exemplum quoque inde deducitur, quòd paria, imò majora ex Dei gratia, & nôn tam à ſeipſo operati ſint; quæ gratia nobis quoque non deerit, ſi faciamus, quantum eſt in nobis. Atque hi tres fontes ſunt, ex quibus ſatis efficacia, & propoſito meditationis ſcopo convenientia facilè derivantur motiva.

Motiva ſequitur affectus; qui 306
ex num. 301. finis eſt immediatus, in meditatione intentus. Plura

Digitized by Google

ra autem ſunt documenta tradenda, qua ratione hi affectus ſint eliciendi, eorúmque natura, cauſæ, & effectus deſcribendi. Quod naturam ſpectat, *affectus aſceticus eſt quædam cordis commotio*, ſeu *ſanctus ardor, vel ex ſolo motu, & ſecreta impreſſione gratiæ Divinæ, vel ex præmiſſis conſiderationibus intellectûs in anima excitatus*. Duplex eſt hoc modo deſcriptus affectus, unus *proſecutionis* quoad bonum honeſtum, alter *fugæ, & averſionis* quoad malum inhoneſtum. In utroque obſervandum eſt, ne animus in otioſo tantùm guſtu quodam hæreat; ſed ut potiùs progrediatur ulteriùs ad efficacia propoſita virtutis exercendæ, aut fugiendi vitij.

Modus procurandi iſtos affectus eſt duplex; vel enim *communi, & ordinario modo* dependent ab humana induſtria intellectûs, veritates quasdam fidei perpendentis, & ruminantis, atque exinde amorem virtutis, vel averſionem vitij concipientis animæ: vel dependent *extraordinario* modo immediatè à Deo, qui unico momento illuſtrando intellectum hominis veritatem edocet, & affectum exinde vehementer accendit: ſicut unus radius ſolaris in conclave immiſſus plùs illuminat, quàm plures ibi accenſæ candelæ.

307 Ad dignoſcendum affectum purè ſpiritualem, & ſpiritualem ſimul ſenſibilem, ſcire oportet, quòd *ſpiritualis* ita in anima maneat, ut non in partem inferiorem, ſeu appetitum ſenſitivum deſcendat; affectus verò *ſenſibilis ſpiritualis* ille ſit, qui in voluntate, & appetitu ſenſitivo ſimul conſiſtit. Quod quidem dupliciter contingere poteſt: 1. ſi objectum meditationis eſt imaginarium, & ſenſibile; ubi neceſſe eſt, utrámque potentiam moveri. 2. ſi argumentum meditationis eſt quidem purè ſpirituale; commotiones tamen voluntatis adeò ſunt magnæ, ut in parte ſuperiori non contineantur, ſed etiam in inferiorem per redundantiam transfundantur. Poteſt tamen contingere, quòd ob indiſpoſitionem corporis commotiones vehementes animæ in ea remaneant, nec deſcendant ad partem inferiorem; licèt objectum fuerit ſpirituale ſenſibile.

Unde autem proveniat, quòd 308 aliquis magìs, aut citiùs, alter minùs, ac difficiliùs moveatur in affectus pios, ratio eſt partim teneritudo animi, vel naturæ mollioris indoles, quæ propter bonam complexionem, & humorum temperiem faciliùs reſolvitur in ſacratiores affectiones; partim verò Divinarum rerum notitia, per frequentes meditationes acquiſita: ex qua oritur facilitas ex ruminatis, & penetratis motivis educendi affectus. Id notandum, ne

ne deſiſtant ab ulterioribus affectibus, qui tenerioris ſunt indolis: ij verò, qui magis ſunt exercitati, ne nimiam activitatem, & ignis inſtar conceptum ardorem animi ad læſionem corporis permittant. Si tamen affectus remiſſiores fiant ſub meditatione, excitandi ſunt inſtar illius, qui ligna igni ſuperaddit, ipſúmque ſufflat, ne reſtinguatur. Hinc ex tribus fontibus motiva majora & graviora ſuperaddi oportet pro temporis congruentia; ut inde affectus eliciantur, qui meritum ſuum non ex ſuavitate ſenſibili, ſed ex voluntatis bonæ efficacia deſumunt: in qua tota vis virtutis, ratio meriti, ac ſanctitatis vigor conſiſtit, exempló Chriſti, qui uſque ad ſudorem ſanguineum in horto totus deſolatus, affectu reſignationis ſuæ in Patris voluntatem abundantis Redemptionis meritum acquiſivit. Non igitur Tyrones affectuum dulcedinem ſenſibilem, utpote quæ non eſt meditationis fructus ac finis, inordinatè appetant; nam proprio amori magis, quàm ſpirituali fructui intenti judicantur, qui ejuſmodi ſuavitatibus, & non ſolidandæ virtuti ardentiùs inhiant. Quòd verò quidam minùs moveantur in bonos affectus, indiſpoſitioni corporis, permiſſioni Divinæ, animam in deſolationibus probare volenti, vel Dæmonis tentantis, & evagationes varias cauſantis, fraudibus eſt adſcribendum: in quo caſu patienti animo humiliter feratur Divinæ lucis abſentia: fiat reſignatio in Divinum beneplacitum; nec deſiſtatur ab oratione: ſed hæreat animus in perpendendis aliquibus veritatibus, ſaltem obiter propoſitis; exinde ſaltem concipiat deſolata mens Divinæ conſolationis, & affectûs deſiderium. Voluntas in hoc caſu violenter cogi non debet; ſed potiùs juxta infirmam objecti notitiam, ita ad Deum ſuſpirandum: *Deſidero Domine talem actum virtutis exercere pro tua gloria cum deſiderio ardentiſſimo te glorificandi, quantum quidem tu ipſe mereri me noſti. Offero porrò Majeſtati tuæ ſenſus imperfectos meos in unione eorum, quos in hac, vel alia materia perfectiſſimos habuit JESUS Chriſtus: diſtractiones ſimiliter offero meas in recognitionem Diviniſſimæ attentionis, quam JESUS ſemper habuit in ſuis orationibus: tentationes etiam offero meas in honorem infinitæ Majeſtatis, & Sanctitatis, inquietudinem animi mei in honorem illius invariatæ tranquillitatis: fiat per me honor, virtus, & gloria, & voluntas tua nunc, & per infinita ſæcula.*

OTIUM SANCTUM.

MEditari eſt trium potentiarum, intellectûs, voluntatis, & memoriæ exercitium, affectuum multiplicium negotium, atque animæ *ſanctum otium*, in Maria contemplante expreſſum. *Otium ſanctum*, ait S. P. N. lib. 19. de civit. c. 19. *quærit Charitas veritatis; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas Charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ, ac intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter Charitatis neceſſitatem: ſed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.* Ubi S. Doctor otium, & negotium diſtinguit Charitatis, ſicut actionem, & contemplationem in vita duplici Marthæ, & Mariæ *ſerm.* 23. *de Verb. Dom.* exponit: una enim verſatur circa *negotium* procurandæ ſalutis alienæ; & hoc *ſuſcipit neceſſitas Charitatis*; altera appetit *otium ſanctum*, quæ per crebras meditationes Divinas contempletur perfectiones, & cœleſti paſcatur dulcedine: econtrà ſuas notet à ſanctitatis prototypo ſibi oppoſito imperfectiones animæ, & nævos ſpiritui adhærentes; quos proin à ſponſo in ſe ſponſa humillimè petit abſtergi. Ejusmodi *otium ſanctum* ſummoperè ſummo orbis Capiti, Eugenio Pontifici, *l.* 1. *de conſid. c.* 1. commendat melleus ipſius Magiſter, dum hortatur diſcipulum: *Audi, quid redarguam, quid ſuadeam. Si quod vivit, & ſapit, totum dat actioni, conſiderationi nihil, laudo te, in hoc non laudo &c. &c. certè nec ipſi actioni expedit, conſideratione non prævenîri. Si item totus vis eſſe omnium inſtar illius, qui omnibus omnia factus eſt, laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit: quomodo autem plena, te excluſo? &c. alioquin, quid tibi prodeſt juxta Verbum Domini, ſi univerſos lucreris, te unum perdens?* Jubet ergò Charitas ordinata, moderari actionem, & inutilibus mundi occupationibus abjectis, ſtato tempore *Sanctum* inſtituere *otium*, ſanctè meditari, ſanctè affectibus vacare. Hoc omnes, quotquot ſanctitatem adepti ſunt, vel ad perfectiorem vivendi modum aſpirârunt, maximo deſiderio ambiêrunt, & à turba ſegregati in contemplatione invenerunt. En teſtem veritatis!

B. Robertus de Abriſſello in Armoricæ, & Andinorum confinio Patre Damaliocho, Matre Orguende prognatus, eximius affectuoſæ aſceſeos auctor fuit; nam primùm Canonicus Regularis, ac SS. Theologiæ Doctor in Abbatia om-

omnium Sanctorum Andegavi: exin ſecedens in deſertum fontis Ebraldi, tribûs à Salmurio milliaribûs diſſitum, ibidem cum Petronilla de Chemiliaco, fœmina pientiſſima, novæ Congregationis fontis Ebraldi, à loco primario ſic dictæ, fundamenta poſuit. Retenta quippè Canonicorum Regularium veſte, ſuperinduxit multa ad normam S. Benedicti. Sed quod peculiare, ac inſuetum, nuncupato expreſſo voto viros puellis Sanctimonialibus mancipavit. Inſtituti ratio eſt mutua MARIAM inter & Joannem Evangeliſtam ſocietas, ac reciproca dependentia. Caput Congregationis, & dux fœmina, ex ſtirpe ùt plurimum Regia, officiô Abbatiſſa generalis Conventus, quos ſexaginta circiter Gallia numerat, regit per Prioriſſas, à ſuis Monaſterijs ſingulîs trienniîs eligendas. Extitit verò Roberti vita admiranda potiùs, quàm imitanda. Utebatur ad nudum corpus novo genere cilicij, ex aſperrimis catenis in modum loricæ cooptati; quod ſcitè veſtibus ſuis occultare novit: eò verò poſt biennium, dum ſolitudinem petijt, depoſitô, aliud è porcorum pilis horridum aſſumpſit: barbam ſine aqua ad ciendum dolorem raſit: ſomnum humi captavit, eúmque perbrevem: à vino, reliquíſque opiparis cibis omninò abſtinuit, ſolîs radicibûs, ac pulmentîs contentus. Ab Urbano II. Romano Pontifice Concionator Apoſtolicus conſtitutus, munus illud maximo animarum fructu geſſit; ubicúnque enim locorum ad concionem diceret, maximus ſemper eò fiebat hominum concurſus: redolebant ſiquidem ſermones illius odorem quemdam Divinæ eloquentiæ, ut eo audito multi compuncti domum redierint, vitámque in melius mutârint. Ex eleëmoſynis, aliiſque ſpontè oblatis licèt cum ſuis Alumnis, quos *Pauperes Chriſti* appellabat, duntaxat victitaret; nihilominùs largè ex ijsdem egenis quibuscúnque ſubvenit: nec leproſos abhorruit; quibus ſeparata domicilia exſtruens, ad eos ſæpiſſimè inviſit. Mirum ſanè eſt, hominem pauperem tot millia Religioſorum, ac Religioſarum (tria enumerat Author vitæ ipſius cap. 4.) hinc inde in diſtinctis cellis habitantium, alere potuiſſe. Amicabilis certè videtur fuiſſe contentio Deum inter & Robertum, quis eorum plus poſſet, an ille dando, vel iſte elargiendo.

Noctes integras orando tranſegit; ad aram rem Divinam peragenti lachrymæ uberrimè ex oculis præ devotionis teneritudine fluebant: lingua illius nihil, niſi quod Deum ſaperet, proferebat. Edolenſi Cœnobio Græciam ire vo-

Digitized by Google

volens, in itinere gravi morbo correptus, capulum ex aſſeribus confectum afferri, ei ſe imponi, ac Urſanum revehi juſſit, aſſerens, fatalem ſibi hunc morbum eſſe. Viſanum delatus, ſingulis diebus ea in infirmitate conſtitutus ſacram ſumpſit ſynaxin. Pridie mortis ſuæ ſacro Oleo inungi petijt, non ceſſans identidem ſe accuſare de peccatis præteritis, veniámque precari ab eo, cui Pater cœleſtis tradidit omnem poteſtatem.

Ita nimirùm, ùt ait Syracides Proverb. c. 18. *Juſtus eſt accuſator ſui.* Vitam piè clauſit 25. Febr. an. 1117. inter gratiarum actiones pro perceptis à Deo beneficijs, iteratáque erratorum, etiam alijs audientibus, Sacerdoti doloroſa confeſſione; quæ minuta tantùm erant, uti puerulum adhuc pulchriores cibos ſibi appoſitos comediſſe, tempore pluvio ſiccitatem deſideràſſe, & his ſimilia: in quibus non facilè culpa deprehendi poteſt. Nempè *bonarum mentium eſt, ibi quoque culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Sanctitatem Roberti teſtatur honor, qui habetur ſacris ejus reliquijs, Fontis-Ebraldi conditis: teſtantur quoque crebra miracula. *Ex vita, per Baldricum Epiſcopum Dolenſem conſcripta, apud Joannem Bollandum to. 3. die 25. Febr. F. Leone Carmelita Rhedunenſi in Scientia humana Hiſtorico-Chronologica Pariſijs anno 1657. edita folio 198.*

Reverendiſſ. Joannes de Olandia nondum ſe Leoni de Carate, Thadæo Binaſchio, & Bartholomæo Columnæ Frigdionariæ, nunc Lateranenſis dictæ, Congregationis Primipilis aſſociârat, cum jam priùs ſæculô relictô Canonicum noſtrum inſtitutum in celebri S. Frigdiani propè Lucenſem civitatem Cœnobio cum alijs quinque ſocijs amplexus eſt. Inter hos, uti ordine primus exſtitit, ita eoſdem pulchritudinis quoque illius, quæ eſt ab intus, prærogativâ anteceſſit, gerebat verò animum, cœleſtia duntaxat ſuſpirantem, adeò quidem, ut nihil omninò terrenorum aut capere, aut ſapere videretur. Nihil agebat, nihil loquebatur, niſi id priùs trutinâ prudentiæ probè examinâſſet. Ob ſingularem animi ſui demiſſionem primam Præfecturam (Prioratum dicunt) Monaſterij S. Frigdiani inter ſingultus, & largas lachrymas admittere noluit, aſſerens, *optimè ſecum agi, ſi ſubditus ſuſtineretur.* Cùm verò eandem dignitatem aſſumere urgeretur, obediendum cenſuit, ac colla regimini ſubmittere, priùs trium dierum communitus oratione, quam provinciæ tam arduæ præmittendam ſtatuit. Tenuit illam feliciter trienniô: ab illa verò abſolutus, quaſi ex ergaſtulo quodam egre-

Digitized by Google

di ſibi videbarur. Nec mirum; cùm ſibi ſoli vivere inter delitias Spiritûs, ita dictantibus vera humilitate, ſuique deſpicientia, numeraret. Longam vixit ætatem, ut qui ex duodecim undecimus ſociorum obijt, & intra ſpatium quadraginta annorum à depoſito Prioratu plura vidit monaſteria, Congregationi unita, varia etiam, ac maxima Dei beneficia in eandem collata; ipſe tamen nunquam de accepto propoſito colendæ ſubjectionis dimoveri potuit; juvabat tamen Concanonicos ſuos oratione, quæ jugis erat, vigilijs, atque jejunijs; quorum adeò cultor erat, ut vita ipſius unicum appellari jejunium potuiſſet. Solemniora Chriſtianæ pietatis feſta agebat cibo mitiore, ſed unica comeſtione adhibita. Excurrebat hinc inde ad diverſa, quæ acceptabantur, quæve accedebant Reformationi, Collegia, opémque ſuam egregiè præſtabat, exemplo inculpatiſſimæ converſationis novos Canonicos muniens. Tractabat cum Deo univerſa per orationem; hinc non ſemel illuſtratus fuit prænotione eorum, quæ ſucceſſura erant, præſertim ſub Martini V. & Eugenij IV. Pontificatu: ſed ſobriè adeò ſe in illis habebat, ut ex ſola obedientiæ vi quidquam manifeſtâſſe, vel Confeſſario communicâſſe innotuerit. Piè deceſſit in Monaſterio Frigdionario die 22. Febr. anno 1447. *Ex Celſi Roſini memorijs illuſtrium Reformat. Ordinis Canonici memoria 4.*

Patrium quoque exemplum dedit Joannes Schön: qui, cùm Canonicis Regularibus Dieſſenſibus in ſuperiori Bavaria viginti annis Decanus laudabiliſſimè præfuiſſet, promotus eſt in ejusdem Collegiatæ Eccleſiæ Præpoſitum, ordine vigeſimum; in quo diſciplinam Regularem collapſam poſtliminiò reduxit, ſeipſum præbens cunctis benè, religioſéque vivendi normam. Dormiebat is in communi Canonicorum dormitorio, non extra illud more aliorum Prælatorum: ædificia plura, inter illa ædem D. Protomartyri Stephano ſacram, in eam, quæ nunc viſitur, formam erexit: rem familiarem optimè inſtruxit, Bibliothecam optimis libris, ſuppellectilē, cultui Divino dicatam, multo ornatu auxit. Abijt ad meliorem vitam anno 1474. Præfecturæ 14. die incerto. *Ex to. 2. Metropolis Salisburgenſis.*

ARTI-

ARTICULUS VI.

De vario ſtatu meditantium, & ſupplendo labore.

SUMMARIUM.

309. *Triplex meditantium ſtatus conſiſtit vel in ſubſtantiali, vel ſenſibili devotione, vel in ariditate, ac deſolatione. Cauſa horum ſtatuum.*
310. *Quomodo meditans in primo ſtatu ſe gerere debeat?*
311. *Quæ ſint notanda pro ſecundo ſtatu? &*
312. *Quid agendum in tertio? docetur. Ubi diſcrimen ariditatis, & deſolationis.*
313. *Concluſio 1. Poteſt cum ſtatu ariditatis conſiſtere bona & fructuoſa oratio tam mentalis, quàm vocalis.*
314. *Concluſ. 2. Quatuor communiter cauſæ aſſignantur ariditatis.*
315. *Septem remedia aridis & deſolatis porriguntur.*
316. *Modi varij, laborem in meditando ſupplendi, exhibentur;*
317. *Et quidem extraordinarij,*
318. *Quinque ſenſibus externis ſpiritualiter aptati.*
319. *Regulæ dignoſcendi inſpirationes bonas & malas. Æquilibrium mentis quid?*

309 Cùm experientia doceat, quandoque nos in meditationibus valdè differenter habere; nam modò facilitatem, & magnam animi promptitudinem, fervorem, ſpiritualem lætitiam, & ſenſibilis devotionis abundantiam experimur: quandoque variîs tentationibûs, indiſpoſitione animi, difficultatibûs, & moleſtiîs affligimur: ſæpè ſterilitatem, & moleſtiſſimam ariditatem perſentiſcimus, ita, ut nec intellectus in ruminandis motivis, nec voluntas eliciendis affectibus diſpoſitiones in ſe advertant: qualis ſtatus ſummoperè, & maximè Tyrones affligit; qui exinde inquieti, puſillanimes, & velut deſperabundi fiunt. Igitur ad pleniorem notitiam varij ſtatûs explicatio, & documenta ſunt tradenda; unde diſcant, quomodo in quovis ſtatu meditationis ſe habere, quid agere, quid omittere, & qua ratione, non obſtantibûs difficultatibûs, orationi vacare debeant. Status autem communiter triplex in orationis exercitio aſſignatur à Magiſtris ſpiritualibus.

1. Eſt ſtatus communis, veræ, ac ſubſtantialis devotionis;

qui nec abundat ſenſibili ſuavitate, nec laborat ariditate. 2. Eſt ſtatus ſenſibilis devotionis; in quo tanta piorum affectuum ſuavitas continetur, ut in ſuperiori parte non ampliùs retineri poſſibilis in inferiorem, & ſenſitivam partem transfundatur. 3. Eſt ſtatus ariditatis, deſolationis, difficultatis, tentationis, ac moleſtiæ; qui tamen ſtatus à viris ſpiritualibus excellens, & maximè meritorius cenſetur.

Cauſæ horum ſtatuum aſſignantur etiam tres, nempe *Deus*, tanquam cauſa univerſalis, & principalis; qui hominem in oratione jam per viam ordinariæ, vel ſenſibilis devotionis, jam per viam ariditatis pro ſuo beneplacito, & ad ſpirituale animæ bonum dirigit. Altera cauſa eſt *homo*; qui ex ſua parte Divinæ directioni cooperatur; aſt corporis viciſſitudinibus obnoxius, & varijs paſſionibus ſubjectus, interdum pro diſpoſitione corporis facilitatem, quandoque difficultatem, & faſtidium experitur, ut nulla efficax ſpiritualis objecti cognitio, nec affectus ſuſcipi queat: quia *illuc rapitur naturaliter intentio mentis, ubi eſt vis doloris*, alteriúsve paſſionis; ut fert parœmia S. P. N. Aug. Hinc inutilis foret labor hominis, qui eodem ſemper ſtatu gaudere, & æquali paſſu in oratione mentali procedere vellet. Tertia cauſa eſt *Dæmon*; qui aut impedire, aut fructum orationis minuere intendit; & potiſſimùm tribus modis inſultat. 1. Perſuadendo homini, meditationem eſſe purum Dei donum, & ab humana induſtria independentem, atque impoſſibilem. 2. Vanas, & pravas cogitationes, aut impertinentes ſuggerendo, humores corporis commovendo, ut magnas quis ſentiat gravedines. 3. Fallaces illuminationes excitando in imaginatione, & in appetitu ſenſitivo ſenſibilia gaudia cauſando, quæ deſinant in elationem animi, & libertatem ſenſuum. Qua autem ratione infernali hoſti Tyrones occurrant, mox inferiùs docebitur: nunc de quolibet ſtatu in particulari agendum.

In primo ſtatu vera, & ſub- 310
ſtantialis devotio conſiſtit in prompta, ac reſoluta voluntate hominis ad faciendum id, quod ſpectat ad obſequium Dei; ſolet enim Deus extraordinario lumine abſcondito ordinariam, & ſufficientem tantùm tribuere gratiam homini, & permittere, ut ipſe laboret, induſtriam applicando, & tradita meditationis praxi utendo; in quo labore maximè ſibi complacet Divina Majeſtas, & inde majores ſemper reddit gratias, & poſt noſtrum ſtudium, ſuperatáſque difficultates *adeſt laborantibus in remigando*, & tranquillum facit. Qui eſt in hoc ſtatu, absque faſtidio, & alterius deſide-

rio

rio perſeverare debet, nec ad ſenſibilem devotionem aſpirare; quia humanæ naturæ magìs conſentaneus eſt hic ſtatus præ cæteris; & eſt inter conſolationes, ac deſolationes medius: in quo humana mens ſuis functionibus ordinarijs relinquitur. Laborandum hìc, ut intellectus excitetur ad inquirenda motiva, quibûs convenienter inflammetur voluntas; hujus flammam deinde nutriendo, & affectum augendo juxta traditam hucusque doctrinam procedatur.

Status hic diſtractionum variarum incommodis ſubjacet; hinc cauſæ diſtractionum, & remedia bene ſunt advertenda. *Cauſæ* quidem; quæ ſunt ſequentes; 1. fragilitas, & inconſtantia humani intellectûs. 2. fraus dœmonis. 3. multitudo affectuum, & deſideriorum. 4. incuſtodia ſenſuum exteriorum. 5. neglectus recollectionis phantaſiæ, & memoriæ. 6. omiſſio debitæ præparationis. 7. immoderata rerum agendarum ſollicitudo, meditationis tempore non repreſſa.

Remedia verò his oppoſita ſunt: 1. ſervare præſcriptum ordinem, n. 289. aſſignatum. 2. ſurda quaſi aure cogitationes præterire. 3. animadverſas abrumpere ſtatim, & ad relictum meditationis quæſitum redire cum dolore, ac emendationis propoſito. 4. implorare cœleſtem gratiam, cuſtodire ſenſus, eóſque interiores recolligere, curam futurorum, & rerum agendarum deponere. Et ſi adhibitâ omni diligentiâ, ac nunc præſcriptis medijs obſervatis, adhuc evagatio meditantis animum perturbet, nequaquam tamen ab oratione deſiſtendum; ſed coram Deo ſe humiliet, & viriliter progrediatur: quia involuntariæ diſtractiones non imputantur ad peccatum, ſed meritum augent propter generoſam reſiſtentiam.

In ſecundo ſtatu vera, & 311
ſubſtantialis devotio in promptitudine efficacis voluntatis ad præſtanda Dei obſequia conſiſtit: adeò inſuper extraordinariarum mentis illuſtrationum, & ſuaviſſimorum voluntatis affectuum copiâ ſuperabundans, ut in parte ſuperiore hominis non ſe contineat; ſed ad ſenſus externos cum quadam ſuavitate ſenſibili effundat, ut homo totus etiam externè inflammatus majorem agilitatem ſentiat ad promptum ſervitium Divinum. Ne verò error, & pro vera ſenſibili devotione falſa obtingat, ſequentibus inſtructionibus opus eſt: quas bene notent ſibi Tyrones, & quiqui genuinam ſpirituum diſcretionem adipiſci conantur.

Notandum 1. ſenſibilem in oratione dulcedinem provenire ex Dei benignitate; qui ad ſe converſos cœleſti ſuavitate replet, ut ſæculi voluptatum faſtidium inducat,

Digitized by Google

ducat, tum, ut ad orationem frequentiùs pelliceat, & in ſuo ſervitio conſtantes efficiat. 2. ex internæ devotionis abundantia. 3. ex rerum ſpiritualium notitia, & novitate, qua Tyrones priùs caruerunt. 4. ex teneritudine indolis provenit ſenſibilis devotio; ut jam n. 308. annotavimus.

Notandum 2. Dæmonem jucundas phantaſiæ repræſentationes, & veritates ad ſpeciem ſpirituales proponere poſſe, unde ſenſibilis ſequitur affectus, dein ſui complacentia, vana delectatio, & tandem capitis dolor cum ineptitudine ad alia officia: proin quoad hos guſtus, undecúnque proveniant, ſpiritualis Magiſter conſulendus eſt; præſente enim conſolatione ſenſibili imperare ſibi nequit juventus; quæ aliundè ſemper ad extrema vergit, & vires ſuas ex horum delectatione metitur; ut ait *Author praxis fructuosè meditandi. n.* 88.

Notandum 3. veram devotionem, & conſolationes ab adulterinis ex hiſce ſignis diſcerni. 1. *vera* conſolatio eſt tranquilla, lenis, paccata; *falſa* autem vehemens, & impetuoſa. 2. *vera* inordinatos carnis motus compeſcit; *falſa* excitat, & ſenſus titillat. 3. *vera* mentem accendit, & illuſtrat; *falſa* extollit, & inflat. 4. *vera* præſcripta ſpontaneis, communia privatis, obedientialia opera arbitrarijs anteponit, & debitum ſervat ordinem juxta datam ſibi directionem; *falſa* contrarium in his agit. 5. *vera* voluntatem, & judicium ſubmittit; *falſa* non paret. 6. *vera* utitur oratione, velut medio ad obſervantiam præceptorum Divinorum; *falſa* in ſenſibili devotione orationis, tanquam in fine, quieſcit. 7. *vera* impellit hominem ad exactam minimorum curam, ſui humiliationem, odium peccati, & actuoſum Dei amorem; *falſa* proprium amorem, ſui æſtimationem, neglectum examinis quotidianorum defectuum, & horrorem mortificationis, ac diſciplinæ regularis ſecum trahit, & inducit: atque ſi unum, vel alterum ex his enumeratis falſæ conſolationis ſignum ſub oratione animadvertatur, nec ocyùs corrigatur, ficta, adulterina, & diabolica erit *devotio ſenſibilis* in hoc 2.dò ſtatu.

Notandum 4. Novitio in ſtatu veræ, ac ſenſibilis devotionis: 1. ut cum humilitate, & ſumma reverentia cœleſtem dulcedinem in ſe ſuſcipiat, nihil ſibi, ſuis meritis, & animi conatibus adſcribendo. 2. ut juſſa, & communia privatis operibus anteponat. 3. ut in ea non otiosè quieſcat; ſed pro extirpando vitio, aut virtute exercenda eam tanquam medium fortiſſimum applicet. 4. ut in illa non ſtatim ad inſolita vota, & propoſita indiſcreta convolet. 5. ut capitis, pectoriſque contentionem, nimiám-

Digitized by Google

nimiámque potentiarum activitatem; à contrario etiam otium, & quietem vitet. 6. ut omnem vanam expellat complacentiam. 7. ut propter iſtam dulcedinem alijs meliorem ſe nunquam æſtimet, neque alios eas non habentes contemnat, aut ſuam in illa virtutem conſtituat. 8. ut non triſtetur, ſi ſpirituales guſtus receſſerint. 9. ut ſpirituales conſolationes Magiſtro ſuo aperiat; nam quamvis ſacramentum Dei abſcondere bonum ſit, ſpiritualibus tamen Patribus nimiùm occultare internas, & extraordinarias motiones, diabolicæ fraudis, & inſignis illuſionis indicium eſt.

312 Tertius ſtatus ariditate, deſolatione, & faſtidio tantum abundat, quantum ſtatus ſenſibilis devotionis ſpirituali gaudio, conſolationibus, & ſuaviſſimis affectibus repletur. Eſt autem *ariditas quædam abnegatio piorum diſcurſuum in intellectu, & bonorum affectuum in voluntate.* Unde fit, ut circa propoſitam meditationis materiam nihil agere, nec concluſionem deducere, nec affectum pium elicere valeamus: ſi contineatur in ſuperiori parte, propriè vocatur *ariditas*; ſi verò in partem inferiorem deſcendat, *deſolatio* dicitur: ex qua velut à mala cauſa tædium, & nauſea rerum ſpiritualium, atque operandi faſtidium, & ultima derelictio hominis oriuntur. *Faſtidium* iſtud, ſive *deſolatio*, ſive *ariditas*, ne Tyrones, quos nonnunquam inconſolabiliter affligit, ab oratione dejiciat, breviter exponam cauſas, & remedia, & qua ratione ſub oratione in hoc ſtatu procedendum ſit.

Dico 1. Cum ſtatu ariditatis poteſt conſiſtere bona, & fructuoſa oratio. 313 Ratio eſt: quia ſi ultimatus meditationis finis obtineatur, ad quem tres fructus n. 269. & 272. aſſignati referuntur, tunc bona, & fructuoſa eſt oratio; atqui in ſtatu ariditatis ultimatus meditationis finis obtineri poteſt: ergò in ſtatu ariditatis bona, & fructuoſa eſſe valet oratio. 1. oſtenditur. Ultimatus meditationis finis, ad quem *illuſtratio intellectus, efficax voluntatis propoſitum, conſtans propoſiti executio*, velut tres fructus meditationis referuntur, eſt ſanctitatis conſecutio, & perfecta voluntatis noſtræ cum Divina conformatio: ſed in ſtatu ariditatis conſecutio ſanctitatis, & perfecta voluntatis noſtræ cum Divina conformatio poteſt obtineri; nam patienter ferendo deſolationem, & reſignando voluntatem noſtram in beneplacitum Divinum reverà conſequimur conformitatem illam: ergo in ſtatu ariditatis conſequimur ultimum meditationis finem. Ratio altera: quia ſi non eſſet bona, ac fructuoſa oratio in ſtatu ariditatis, proveniret à carentia gratiæ Divinæ, vel ex defectu aliquo humano: non *à carentia* gratiæ Di-

vinæ, utpote quæ ſupponitur per peccatum mortale non eſſe expulſa ab homine: non ex *defectu humano*, quia in poteſtate hominis poſitum non eſt pro libitu ſenſibilem devotionis dulcedinem percipere, quam à Deo ſolo dependentem nec ſibi reddere, nec ſibi prohibere poteſt. Tandem fructuoſam homini reddere poteſt Deus, qui ſanctitatem, & unionem animæ vel in ſtatu ſenſibilis devotionis, vel in ſtatu ſubtractionis illius elargiri valet; ſicuti ſubinde majorem gratiam in ſtatu ariditatis præparaverat pluribus Sanctis, quos deſolationum igne, velut aurum in fornace probatos, mirabili dein ſanctitate, & virtutum gradibus decoravit. Quin meritum ex generoſa victoria inſigniter augetur: quia in hoc caſu non tantùm difficultas eſt ex parte operantis, ſed etiam ex parte ipſius objecti, circa quod intellectus, & voluntas verſantur. Ex quibus vel maximè ratio meriti, & magnitudo virtutis deſumitur; ſicuti à n. 107. & ſequentibus oſtendimus: ubi ex S. Thoma quidem probavimus, rationem virtutis deſumi magìs à bono, quàm à difficili, ſi cætera ſunt paria. At ratio meriti à conatu, & labore noſtro, dum Deus gratiam ſubtrahit ſenſibilem, accipitur, prout eſt magnitudo operis, ad quod perficiendum magna opus eſt gratia, quæ imperceptibiliter in ſtatu ariditatis à Deo data charitatem in anima adauget, omnis meriti radicem; ut docet S. Thomas 1. 2. Q. 114. a. 4. Sic S. Franciſcus Seraphicus, S. Thereſia, S. Catharina Senenſis, aliíque Sancti plurimi in ſtatu ariditatis, & deſolationis in charitate Dei creverunt, & maximos virtutum gradus adepti ſunt. Quæ omnia deſolatis Novitijs ſolatio magno eſſe debent, ut non minùs prompto animo orationem ſuſcipiant, & proſequantur, ſive in uno, ſive in altero ſtatu verſentur.

Dico 2. Cauſæ ariditatis communiter aſſignantur quatuor ſequentes: prima eſt nimia ſenſuum libertas, à qua S. Spiritus meritò abhorret. 2. nimia ſolicitudo rerum agendarum; ſive ex obedientia ſint præſcriptæ, ſive aliunde incumbentes: naturalem enim impreſſionem faciunt animæ, ut obſiſtat dein receptioni motionis Divinæ. 3. Eſt revolutio humorum corporis, ſive ex aëris, aut temporis mutatione, ſive ex alia indiſpoſitione proveniant. 4. eſt Divina permiſſio; cùm Deus ariditatem immittit ob finem quendam particularem, ut fidelitatem hominis in orando probet, ac doceat, ſibi ſervire nuda fide, & puro corde, non, quæ ſua ſunt, quærente; atque ut intelligat homo ſenſibilem orationis guſtum ab humana non pendere induſtria. Hæc verò ariditas, prout à Deo provenit, derelictio potiùs dicitur: quam Chriſtus ipſe in horto paſſus, in cruce, 314

etiam

etiam paulò ante mortem expertus eſt.

315 Remedia oppoſita ſunt: 1. fidelis cuſtodia cordis per aſſiduam ſenſuum externorum, & internorum continentiam. 2. temperantia ardoris quoad peragenda ea, quæ ex officio incumbunt: hinc omnia ſeponantur tempore meditationis. 3. humilitas, patientia, & reſignatio voluntatis noſtræ in Divinam, conſtantia moleſtias undecúnque provenientes ferendi. Igitur attendant ad ſequentia documenta Tyrones.

1. Firmiter credant, hunc moleſtiæ ſtatum eſſe à Deo, non minùs, quàm ſtatum ſenſibilis devotionis.

2. Humilient ſe, & indignitatem agnoſcant propter peccata ſua, ſenſuum libertatem, & negligentias ſpirituales.

3. Deo gratias agant, quòd hac ratione ipſos humiliet, purget, erudiat, redarguat, & occaſionem majoris meriti præbeat.

4. Invocent Deum, ut, ſi ad majorem ipſius gloriam ſit, ariditatem à ſe auferat.

5. Vel gratiam tribuat, ut totâ vitâ deſolationes ferre poſſint cum guſtu, & ſatisfactione Dei.

6. Si nihil aliud facere queant, flexîs genibùs actus internos adorationis, reſignationis, oblationis, fidei, ſpei, amoríſque &c. eliciant; etſi nullus guſtus ſenſibilis, imò magna repugnantia intercedat.

7. Utiliſſimum documentum eſt, in principio cujusvis meditationis ita paratum habere animum, ut quis pleniſſimam in omne Dei beneplacitum reſignationem, & indifferentiam habeat; ſive à Deo per lumen, ſeu per tenebras, ſive per ſolatia, ſeu per deſolationem ducatur: nam nihil refert, qua viâ ad virtutem pertingat; modò illam obtineat, & Deo placeat.

Si verò cum ſtatu ariditatis graviores inſuper ſe animo inſinuent tentationes, quantumcúnque moleſtæ, ſufficit diſplicentiam habere ſola mente: nec opus eſt ad negandum tentationibus conſenſum capite abnuere, torvum vultum gerere, aut alio motu caput fatigare. Nec timeant Tyrones, eò quòd non ſentiant in ſe diſplicentiam; quia timor naturaliter phantaſiam movet, & fortiùs tentationem memoriæ imprimit: proin modum pugnandi, & reſiſtendi ex n. 77. & 83. ſuperiùs indicatum obſervent.

Quoad laborem ſupplendum notandum eſt, quòd aliqui ſub meditatione plus temporis ratiocinationi, ſed minùs affectui, alij plus affectui tribuant, vel cum ratiocinatione, vel leviter perpenſo objecto: alij verò ſunt, qui ſimplici intuitu rei in affectus aſſurgunt; quæ eſt contemplatio. Sed ad id genus meditandi non pertingunt, niſi in meditando, & inquirendo valde exercitati: quibus mo- 316

Digitized by Google

tiva de Divino objecto omnia ſatis expenſa, & ruminata, atque adeò nota exiſtunt, ut uno quaſi momento, absque alio diſcurſu, in Deum rapiantur cum ardenti affectu. Contingit etiam, quosdam minùs in meditando verſatos ſubitò lumine à Deo perſundi, quo illuſtrati myſterium intuentur, & in varios affectus incaleſcunt: hinc aliqua myſteria, quæ magìs affecerunt, & meditantis cor penetrârunt, ſæpe in memoriam revocare conſultum eſt, ut rerum Divinarum lumen, & habituata notitia foveatur. Dum ergo debilitate capitis, vel alio impedimento talis prohibetur meditationi intendere, poterit aliquam certam materiam ſibi proponere, cœleſte lumen implorare, ut ſuppleat conatum, laborémque meditandi: cui accedat vel ex præterito uſu aliquod juvamen; quia res priùs ſæpè perpenſæ objiciuntur.

317 Dantur adhuc alij extraordinarij orandi modi: ſed quia orationis donum à Spiritu S. eſt, *qui effundit ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum. Zach.* 12. Et quia ſimul idem S. Spiritus pluribûs modîs nos docere poteſt, extraordinarios orandi modos expetere, magna eſſet præſumptio, & illuſionis periculum; hinc ordinarium modum, de quo hactenus diximus, teneamus. Juvat tamen aliqua non ignorare ad hunc extraordinarium modum pertinentia, & ab alijs eximiæ pietatis viris tradita. Sciendum igitur eſt, quòd, ſicut in parte ſenſitiva per quoscúnque ſenſus exteriores res ſenſibiles, & delectabiles anima percipit, ita cum quadam proportione in parte rationali ſint actus illis ſimiles, quibus inviſibilia Dei, & delectabilia percipiuntur. Ex quibus derivatur cognitio quædam experimentalis Divinorum; quæ tantô præſtat notitiæ ratiocinationibûs comparatæ, quantô deguſtatio antecellit omnem de ea re diſcurſum &c. & hæc eſt *Theologia myſtica*, & *Sapientia*, ſeu *ſapida ſcientia* Dei; de qua SS. PP. præſertim S. Bonaventura *de 7. itin. in 6. itin.* & S. Bernardus ait: *quod non capit intelligentia, niſi quantum experientia attingit*: de qua pauca etiam dedimus à n. 219.

Primus modus hujus extraordinariæ orationis eſt: quando Deus ita ſe communicat, dum aſpectui objicitur aliquod myſterium in tam claro lumine, ut videre ſibi homo videatur ipſam rem; quæ tamen viſio fidem non excludit. Exprimitur hìc modus illuſtrandi illis verbis *pſalmo* 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* Item: *vacate, & videte, quia ego ſum Deus.* Quaſi dicat: *vacate* à terrenis, & *videte* per ſubitam illuſtrationem, & elevationem mentis Divinum myſterium. Ad iſtam viſionem ſequi- 318

quitur jubilus, gaudium, & ſpiritualis lætitia animæ. Hunc primum modum intuendi Deum expreſſit S. Apoſtolus 2. *Corinth.* 4. conceptis verbis: ***quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem Scientiæ claritatis Dei in facie Chriſti JESu &c.***

Alter modus fit per internum ***auditum***; quando Deus ita ſe interiùs communicat, ut quædam ſpiritualia verba formet, quibûs doceat animam, vel voluntatem ſuam circa rem aliquam disertè intimet: ubi non res ipſa cernitur, ut in primo modo, ſed principaliter Divina vox percipitur, ad quam diffluit in affectus Sponſa: ***anima mea liquefacta eſt, ubi dilectus locutus eſt.*** Huic internæ locutioni ſimiles ſunt inſpirationes Divinæ, quæ quidem ſunt voces Dei, ſed non eodem modo expreſſæ. Prior, & iſte modus ſubinde ſuccedunt invicem; ſubinde ſimul eſſe poſſunt in anima.

Tertius modus contingit per internum ***olfactum***; quo perſentitur quædam rerum Divinarum quaſi fragrantia valde reficiens animam, ut inflammata dicat: ***curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant.* 1.** Sic ſolent ad Religionem vocati aliquid de hoc odore percipere, dum ſæculum nauſeant; nec difficultatibus à propoſito deterrentur.

Quartus modus habetur per internum dulcedinis Divinæ ***guſtum***; quo homini Deus, Divina, virtutes, religioſa converſatio ſuper omnia mundana placent. Hoc ſapore imbuta anima guſtatîs deliciîs affluit: ***Pſal.* 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*** Exinde à voluptatibus ſenſuum retrahitur, ad magnas virtutes confortatur, ut jugum Domini ſuave reputet: prout Divino ſapore repletus Rex exclamavit ***Pſal.* 30. *O Domine! quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te!***

Quintus modus ſpiritualem continet ***tactum***; quo anima arctè complectitur Deum: ***tenui eum, nec dimittam***; quin & oſculum expetit propter intimam unionem: ***oſculetur me oſculo oris ſui***: cum certa promiſſione voti adimplendi à Deo: ***dextera ejus amplexabitur me.*** Sicque in via unitiva fit unus Spiritus, & anima una in Deo; nam ***qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt.*** 1. *Corinth.* 6.

Atque hi ſunt modi extraordinarij, qui non niſi per magnas mortificationes ſenſuum tum interiorum, tum exteriorum obtinentur à Deo; *cujus ſpiritus eſt unus, & multiplex*, adhuc alios occultos habens modos, quibûs animas ſibi fideles in hac etiamnum vita illuſtrat, docet, inflammat, & cœleſtia præguſtare gaudia per aliquod tempus facit.

Quia num. priori ſub altero 319

Ccc 3 modo

modo *inſpirationes internæ locutioni ſimiles* eſſe dictum eſt, placet pro complemento hujus articuli de internis animi impulſibus, & inſpirationibus Divinis pauca hæc annectere, ne, dum Sathan transfigurans ſe in Angelum lucis, corrupta, & amore proprio infecta voluntas, ratio quoque, & judicium erroribus obnoxium, & obſuſcatum ad mala ſive directè, ſive indirectè inducunt, graviter hallucinentur Tyrones, & pro inſpirationibus bonis ſequantur malas, juxta monitum Apoſtoli. 1. *Joan.* 4. *nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.*

Signa igitur malæ, & ſuſpectæ inſpirationis ſunt:

1. Si tempore impertinenti occurrant, cum quo non compatiuntur, v. g. ſi tempore Chori, vel Officij Divini ad aliam orationem, vel tempore ſpiritualis lectionis ex præſcripto ad orationem vocalem impellant.

2. Si veniant cum inquietudine, tumultu, & perturbatione animi.

3. Si Regulæ, conſtitutioni Superioris, aut communi diſciplinæ repugnent.

4. Si tendant ex fine ad proprium commodum, & temporale lucrum.

5. Si offendant alios in communitate, ſingularitatem exoticam ſapiant &c. & communi converſationi religioſæ diſconveniant.

A contrario indicia bonæ inſpirationis eſſe ſolent

1. Si opera, ex bono motu interno intenta, inducant in animum odium peccati, amorem virtutis, deſiderium ſalutis propriæ & alienæ ſine admixtione malæ intentionis.

2. Si pro fine habeant Dei gloriam, regularem obſervantiam, contemptum ſui, mortificationem paſſionum, & charitatis religioſæ officia.

3. Quia inſpirationes ſanctæ à Deo, bonis Angelis, & ingenua, ſana, ac timorata indole naturæ proveniunt, debent complexioni, indoli, & ingenio hominis quoad naturæ vires, officium, vocationem, ætatem, & capacitatem eſſe convenientes.

4. Si conjunctam habeant diſcretionem, ut evitentur extrema, omníſque confuſio interior amoveatur, atque univerſa ordinatè, ac ſuis in circumſtantijs fiant, bona habeantur dictamina.

5. Si conveniant S. Scripturæ, doctrinæ SS. PP., religioſæ vocationis fini, & Superiorum directioni, boni cenſeantur impulſus interni, nec pro ſuſpectis habendi ſunt. Ne tamen in his, ſicut in alijs dignoſcendis, in errorem labantur, ſicque per praxin doctam diſcretionem ſpirituum diſcant Novitij, inſpirationes ſuas ſuo in ſpiritu Magiſtro intiment, & cum eo conferant.

Tan-

Digitized by Google

Tandem, ſicut Divinas inſpirationes negligere malum ingens, periculum ſalutis, & iram Dei inducit; ita inſignia bona illlis obſequendi promptitudo ſecum trahit: imò neceſſaria eſt Religioſo, qui tenetur ad perfectionem Religioſam, atque adeò etiam ad media promoventia, inter quæ inſpirationes ſunt; ſicut cum alijs SS. PP. docet Magnus Gregorius *L. 2. mor. c. 2.* dum ait: *aſpera & difficilia mitigant animos frigidos, & tepidos accendunt, infirmos roborant, dubios firmant, diſtractos colligunt, induratos in malo ad pœnitentiam emolliunt: quod ſæpe nullis conſilijs, monitis, & flagellis humanis evinci poteſt* &c. Unde & plurimis tales inſpirationes Divinæ, quibus obſecuti ſunt, certa, & unica via fuerunt ad vitam æternam, aliàs æternùm perituris, ſi ejuſmodi motionibus ſanctis non paruiſſent.

ÆQUILIBRIUM MENTIS.

SUblimior artis aſceticæ Regula hæc eſt, cœlô immiſſa tædia, obnubilationem intellectûs, duritiem voluntatis, perturbationem memoriæ, ſenſuum gravedinem, ſubtractionem ſenſibilis dulcedinis, abnegationem ſpiritualium favorum, ultimam derelictionem animæ, triſtitiam & afflictionem ſpiritûs eo ſuſcipere animo, quo cœli riſum, illuſtrationes Divinas, cœleſtes conſolationes, ſupernos favores, ſuaviſſimas conſolationes, & ſpirituales animi delitias amplecti ſolemus. Et verò in tenebris ſperare lucem, in deſolatione conſolationem, medium non minimum eſt, ad tantam pervenire æquanimitatem, ſeu *æquilibrium mentis*: hoc ut aſſequaris, obſerves velim tradita hucúſque ſpiritualia documenta, & illam gnomam S. Bern. *ſerm. 21. in Cant. Curabis* (*ſi ſapis pro conſilio Sapientis*) *in die malorum non immemor eſſe bonorum, atqne in die bonorum non immemor eſſe malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli eſſe ſecurus, ſed clama ad Deum cum Propheta, & dic: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porrò tempore tentationis conſolare, & dic cum ſponſa, trahe me poſt te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Sic te non deſeret ſpes in tempore malo, nec in bono providentia deerit; eríſque inter adverſa, & proſpera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem &c.*

Quàm conſtans fuerit in omni ſtatu tam ſenſibilis devotionis, quàm miſerandæ ariditatis S. Joannes de Craticula, periodus illius vitæ exhibet. Nam ex Abbate Canonicorum Regularium Monaſterij S. Crucis Guengempienſis, ſive Guincampenſis in ultimum Eccle-

ſiæ

ſiæ Cathedralis Alethenſis in Britannia Armorica, primum verò Maclovienſis in Gallia Antiſtitem, ita jubente Cæleſtino II. Romano Pontifice, promotus, eaſdem ijs ſanctimoniæ, doctrinæ, zeli apoſtolici, & omnis virtutis Pontificiæ ſplendoribus, inductâ etiam in Eccleſiam Cathedralem Maclovienſem Canonicorum Regularium Congregationis Victorinæ Pariſienſis coloniâ, ita irradiavit, ut meritò à Petro Cellenſi *lib.* 1. *Ep.* 15. *Litterarum, Piorúmque decus non minimum, imò ævi ſui alter Elias habitus fuerit.* Porrò inſtantia laborum, ſolicitudine Eccleſiarum, compaſſione afflictorum, reconciliatione diſſidentium verum Paſtorem animarum ſe probavit. Quin & Religionis augendæ, impietatis deſtruendæ, injuſtitiæ profligandæ impigerrimum fuiſſe, pluribus memorant vitæ illius Scriptores.

Quantâ verò patientiâ polleret, emicuit ex illa ad annos plurimos coram ſummo Orbis & Urbis tribunali contra ipſum injuſtiſſimè ab æmulis protracta lite; ubi injurias varias paſſus, æquo ſemper ſtetit animo; licèt non omni tamen tædio, ac moleſtia caruerit. In quo ſtatu poſitus ſolitas precum horas exactiſſimè ſervavit, & miſerè contabeſcens in oratione incæpta perſeveravit. Inductos in Regalem Eccleſiam S. Genovefæ Pariſijs ab Eugenio III. Pontifice Max. Canonicos Regulares, è S. Victoris Cœnobio ibidem auctos, ac varijs calumnijs appetitos, coram eodem Pontifice egregiè defendit. Collapſam in S. Mariæ, & S. Meneni Cœnobijs diſciplinam, ſuffultus auctoritate Pontificia, reſtauravit: Invaſores, ac iniquos poſſeſſores bonorum Eccleſiæ ſuæ ad reſtitutionem adegit: quæ res magnos ei labores, ac plurimorum odia peperit. Verùm cuncta imperterritâ conſtantiâ ſuperavit. Omnium graviſſima dimicatio fuit cum Henrico Stephani III. Ponteuurrenſis Comitis filio. Hic enim, ſub Patris diſciplina optimè actâ adoleſcentiâ, ſimul ac is exceſſit è vivis, effuſus eſt in omnem morum, luxuriæ præſertim improbitatem. Cui ut liberiùs indulgeret, ex Guencampenſi S. Crucis Cœnobio Canonicos Regulares omnes cum ſuo Abbate Moyſe, Joañis noſtri Succeſſore, viro ſanctiſſimo, exturbavit, idque in jus & poſſeſſionem Abbatiſſæ S. Georgij in urbe Rhedonenſi tranſcripſit, habitandum interim à fœminis: inter quas pellicem ſuam nobili ortam genere collocavit; ne quid ſuis illicitis deſiderijs obſiſteret. Malè habuit ea res Joannem; qui, ne aliquid intentatum relinqueret, ad ipſum Romanum Pontificem Eugenium appellavit: à quo poſtmodum ad Henricum datæ litteræ, quibus ille & unà Joannis opportunis monitis inductus, Abbatem, & Canonicos reſtituit, reſciſſa donatione, & pellice Præto-

Digitized by Google

ri Trecorenſi nuptui tradita. *Pluribus ſancti huius Pontificis merita recenſere, quibus Dei gloriam, & Reipublicæ Chriſtianæ commoda promovere ſtuduit, non eſt facile,* ait Sauſſajus in Martyrologio Gallicano. Ætate ac laboribus tandem feſſus è mortali hac vita exceſſit Anno Dom. 1163. Ætatis 61. tumulatus in Eccleſiæ ſuæ choro. Illum dein multis miraculis clarum Leo X. Pontifex max. Cœlitum honoribus decorandum ſanxit. Cognominatus verò fuit à *Craticula*, quòd erumpentibus ex ejus tumulo ſignis (ùt refert Andreas Sauſſajus in ſupplemento Martyrologij Gallicani) ſupernæ virtutis, appoſita ſit venerationis ergò ſepulchro ejus craticula, cujus adminiculo à ſordibus incedentiũ tantæ ſanctitatis loculus ſervaretur immunis. *Ex Auguſtino Pazio, Claudio Roberto, Baudo, Argentao, & Sauſſajo apud Joannem Bollandum S. J. To. 1. die 1. Febr. fol.* 248. *& ſeq.*

Non minori ſanctitatis famâ illuſtris fuit Franciſcus à Toledo, Archi-Epiſcopus Valentinus, in Hiſpania. Ortus is fuit regio ſanguine; amplexus autem Canonicum noſtrũ inſtitutum in cœnobio Roncæ-Vallenſi, in agro Navarræ ſito, Prior illius, ùt vocant, conſtitutus eſt. Miſſus inde à Rege Hiſpaniæ ad Trid. Concil. Seſſ. 13. XI. Octobris habitæ interfuit, eidémque ſe cum aliis ibidem congregatis Patribus ſubſcripſit. Fuit autem Franci.c⁹ referente ſuo Concanonico Martino Azpiliveta Doctore Navarro in manuali c. 27. n. 133. *Illuſtribus virtutum eximiarum, litterarum, & admirabilis vitæ, & conſuetudinis ornamentis præditus, declarans exterioris dignitatis* (ſcilicet Archiepiſcopatûs Valentini) *acceſſione incrementa interiora heroicarum illius virtutum: quæ Divino munere in dies magìs ac magìs illuſtriores fiebant, & ferebantur in cœlum:* ubi jam à multis annis, ut par eſt credere, tam feliciter fruitur Chriſto, quàm ſanctè vixit in terra. Obiit 16 Aprilis Anno 1563. *Ex Bibliographia Canonico-Auguſtiniana, & Theatro Virt. Reverendiſſ. Grueber.*

Coronidis locô annectimus Reverendiſſ. Wilhelmum de Arnſperg, Suevum Germanum. Is infans adhuc caſu è feneſtris decidens à piiſſimis Parentibus Deo, ac ſtatui Religioſo dicatus, prodigiosè conſervatus fuit. Poſtmodum Canonicum Regularem in Abbatia Creuzlingenſi propè muros civitatis Conſtantienſis in Suevia profeſſus, brevì tantos virtutum progreſſus fecit, ut Anno 1534. præmiſſa poſtulatione, celebri Collegio Beyrenſi Ordinis noſtri ejusdem Conſtantienſis Diœceſis, ad Danubium ſito, Præpoſitus fuerit renuntiatus: quo in loco collapſam Canonicam diſciplinã, & diruta ædificia reſtituit. Anno 1559. verò ſuis Creuzlingenſibus

ſibus in Abbatem datus, munus illud inſigni cum laude geſſit usque ad Annum 1571. quo rebus humanis exemptus eſt, Præſul ſummè commendatus. *Ex Germania ſacra Gabrielis Bucelini, & cit. Auct.*

ARTICULUS VII.
De Oratione Vocali.
SUMMARIUM.

320. *Oratio vocalis neceſſaria eſt, & utilis.*

321. *Quatuordecim Regulæ fructuosè orandi.*

322. *Præparatio triplex ad vocalem orationem cum duplici Alphabeto.*

323. *Alius orandi modus à capitalibus deſumitur litteris.*

324. *Preces horarias & Canonicas peragendi ratio communis.*

325. *Specialis in Feſto alicujus Sancti.*

326. *In feſtivitate B.V.M.*

327. *In diebus, ubi ſumitur SS. Eucharistia.*

328. *Pro diebus Veneris.*

329. *Pro diebus Solis & Jovis. Explicatur Doctrina B. Hugonis de Statu ſolitudinis S. & fori rebellis, in oratione occurrentium.*

320 POſtquam ſatis prolixè de oratione mentali tractavimus, de *vocali* etiam quædam Documenta tradere debemus; ſicut enim Tyronibus eſt neceſſaria oratio, ita quoque neceſſaria erit illius notitia. Neceſſaria quidem eſt, quia victoriam tentationum variarum conciliat, quas quidam præ cæteris frequentiores, & ob teneriorem indolem graviores pati ſolent Novitii; ſicut Art. 1. præſentis cap. oſtendimus. Ita antiqui SS. PP. docuerunt ſuos Diſcipulos, per ferventem orationem implorare auxilium Divinum, & ſic adversùs malas ſuggeſtiones fortiter pugnare. S. Climacus ſuos hortabatur: *Qui per orationem immundum canem à ſe abigit, pugnanti leoni comparatur.* Sic Theodoretus teſtatur, virum Theodoſium, *precatione, & hymnodia utentem aſſiduè, cupiditatem, & iram, & arrogantiã, & alias animi belluas ſopiviſſe.* Sic Abbas Joannes lib. 3. vitæ PP. n. 208. & 209. apud Ruffinũ docuit: *Si Monachus ſedeat in cella, & reſpiciens pravas cogitationes venientes ad ſe, cùm non potuerit eis reſiſtere, confugiat per orationem ad Dominum, & ſalvabitur.* Sic ſæpè citatus S. P. N. ajebat: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Sic etiam rurſus docuit, quando *L. de Eccleſ. dogmat.* clarè aſſeruit, non ſolùm profectum ſpiritualem, ſed & ſalutem ipſam ab oratione pendere. *Nullum* (ſunt verba S. P.) *credimus, niſi Deo invitante ad ſalutem venire. nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi auxiliante*

Digitized by Google

liante Deo, operari, nullum, niſi orantem, auxilium promereri &c. Sic S. Bern. ſupra cit. *In ſcala clauſtrali* definit orationem, *devotam cordis intentionem ad Deum pro amovendis malis, & adipiſcendis bonis.* Sic S. Abbas Iſaac *apud Caſſ. coll. 9. c. 1.* ſuos inſtruxit benè orare ex fine principiali, ad quem inſtituta eſt oratio; continuò enim inculcavit illis, quòd *orationis principalis finis univerſarum virtutum molitie perficiatur*: impetrat enim inſignes gratias pro extirpandis vitiis, & virtutibus implantandis. His præmiſſis diutiùs morandum non eſt, ſed ad documenta ſequentia progrediendum.

321 In praxi aſcetica, quando ad orationem te accingis, *prima* ſit tibi cura, ut omne peccatum veniale diligentiſſimè evites, præſertim ſub meditatione, Sacrificio Miſſæ, examine conſcientiæ, recitatione Roſarij, Officio Divino, & in Choro &c. Unde caveas, ne diſtractionibus cauſam des per negligentem ſenſuum, & animi cuſtodiam, vel languidam præparationem.

2. Dum oras ad Deum, loquere velut reus cum Judice, velut mendicus cum divite, velut ſervus cum Domino, velut diſcipulus cum Magiſtro, velut filius cum Patre, velut amicus cum amico, velut cliens cum ſuo Benefactore: hoc enim modo erit in te 1. *Ardor* quæque Dei cauſâ patiendi, & faciendi. 2. *Humilitas* & *egeſtas*, dum petis à Deo, quibus eges, more mendicorum: quali exemplo S. P. N. ad hoc ipſum ſeſe excitaverat. 3. *Reverentia*, & externa membrorum compoſitio cum ſenſuum cuſtodia, Aulicorum more in conſpectu Regis aſtantium. 4. *Fiducia* boni inſtar diſcipuli, nova lumina à Deo Magiſtro addiſcentis, ad reſecandos defectus, & acquirendas virtutes. 5. *Amor filialis*, dum ardentiſſimo affectu laboras ad promovendam Dei gloriam in te, & in omnibus aliis, ut cognoſcatur, timeatur, colatur, & ametur ab omnibus perfectiſſimè. 6. *Familiaritas*, & *Spes* ea acquirendi, quæ ab amico dilectiſſimo petis. 7. *Summa gratitudo* erga benefactorem, qui tui causâ tantum fecit, tantum paſſus eſt pro te, & tantum adhuc largitur. Inde ad heroica facienda excitaris, & ad magna ſuſtinenda, vel agenda pro Deo inſtigaris.

3. In oratione non facilè ſedeas (quantum quidem debilitas corporis patitur) nec corpus fulciatur ſcamno; ſed decenti ſitu exhibeatur reverentia ſecundùm priorem inſtructionem.

4. Orationis tempore pulices ne veneris, & mactes, caveas; ſed potiùs cilicij locô tales tolera moleſtias: idem ſit de muſcis capiendis, & abigendis. Carnem etiam non frices, ſed propter Deum perferas; quia ex his levibus mortificationibus ingentia aliqui ſunt promeriti à Deo prœmia; ùt

teſtatur *P. Lanc. opuſc.* 2. *c.* 9. *n.* 178.

5. Oratio tua ſit ſemper ardens, & quodammodo ebullienti ergà Deum, & res Divinas affectu inflammata: qualis oratio & ſeraphicus Deum amandi ardor maximè Deo placet, & multa impetrat.

6. Sicut patet ex n. 320. orationem eſſe efficax ad extirpanda vitia, & implantandas virtutes medium; ita, ſi in aliquo majorem difficultatem in te ſentias, dirige preces, & præſertim etiam meditationem, ad expugnandam voluntatem tuam.

7. Tempus meditationis, vel vocalis orationis non decurtes, vel permutes; niſi Superioris juſſa aliud præcipiant.

8. Non ſolùm tempore Miſſæ audiendæ, examinis, Divini officij, meditationis, ſed aliô ſæpe cor ad Deum breviter quidem, ſed ardenter, & intensè elevare aſſueſce.

9. Interdiu actualem Dei memoriam variîs pietatis actibûs internîs excita. Tribus id potiſſimùm obtineri poteſt modis: 1. in meditatione matutina habere ardentem erga Deum affectum, odium imperfectionum, & amorem virtutum. 3. in recreationibus loqui de rebus Religioſo dignis ſine effuſione cordis ad nimiã lætitiam, & jocos. 3. omnes præcipuas diei actiones, ſaltem initio ſingularum, breviter & ardenter offerre ad gloriam, & guſtum Divinæ Majeſtatis.

10. Hanc quoque regulam ſpectat, ad cujusvis horæ pulſum poſt ſalutationem angelicam varios quosdam actus erga Deum exercere, quos ſpiritualis Magiſter docebit.

11. Operam da, ut illo tempore, & loco ferventiùs, & diligentiùs ores, quibûs videris alios tepidos: ſive ſis in choro, & ſub Miſſa, ſive in gratiarum actione poſt menſam.

12. Caveas ſub oratione, ne quodam ſtrepitu, vel nimiâ pituitæ excreatione, vel nimiùm properante linguâ alios orantes impedias.

13. Nunquam in choro, vel in lytaniis, aut precibus communibus feſtines; quia magna eſt irreverentia: nec unquã ultima alterius chori verba excipiendo prævenias.

14. Quamvis quilibet honeſtus locus orationi ſerviat; magìs tamen oratorium in Eccleſia, & cubiculum Religioſum accommodum eſt, juxta monitum Chriſti: *cùm oraveris, intra cubiculum, & claude oſtia &c.* ubi expendit S. Bernardus *Form. honeſtæ vitæ coll.* 2. dicens: *cùm oraveris, non impleas aures audientium ſingultibûs, & ſuſpiriis, ſed intentè ora Deum in cubiculo cordis tui.*

Ad finem hujus Capitis & Articuli placet annectere compendioſam doctrinam ex vaſtiſſimo Cathechiſmo Novitiorum Reverendiſſimi Lairvelzii To. 2. extractam à Reverendiſſimo Doctore noſtro 322

Vdalrico

Vdalrico Byrſon, hiſce comprehenſam. Præparationes ad orandum communiter tres recenſentur: 1. eſt *remota*; & conſiſtit in S. vita, hoc eſt, in obſervatione cordis, in temporis bono uſu, in recta intentione actionum. 2. eſt *propinqua*; & conſiſtit in profunda conſideratione, quòd velimus laudare Deum, illi gratias agere &c. 3. conſiſtit in ferventi, purâ, & collectâ mente. Jam ergo, qui purè, & ferventer orare cupit, conſideret, & conſervet ſingulorum verſuum literas capitales, & ad quemlibet verſum adjiciat titulum Chriſti, v.g. *pſal.* 1. *Beatus vir:* prima littera capitalis eſt B. cogita ergo: *ò Benigniſſime Jeſu!* perge in 2. verſum, qui incipit: *ſed in lege Domini:* littera S. eſt capitalis; cogita, *Sapientiſſime*. Et ſic de aliis. Debes autem in promptu habere ſuperlativos, v. g.

A. Amantiſſime. Altiſſime. Amabiliſſime.
B. Beatiſſime. Benedicte.
C. Chariſſime. Caſtiſſime.
D. Dulciſſime. Dilectiſſime.
E. Electiſſime. Elegantiſſime.
F. Fortiſſime. Feliciſſime.
G. Gratioſiſſime. Glorioſiſſime. Gaudioſiſſime.
H. Humillime. Honorandiſſime.
I. Illuſtriſſime. Invictiſſime. Innocentiſſime.
L. Laudabiliſſime. Liberaliſſime.
M. Mitiſſime. Manſuetiſſime. Miſericordiſſime.
N. Nobiliſſime. Notiſſime.
O. Omnipotens. Obedientiſſime. Optime.
P. Piiſſime. Patientiſſime. Potentiſſime.
Q. Quietiſſime &c.
R. Redemptor. Rex regnans. Redamabiliſſime.
S. Sanctiſſime. Sapientiſſime. Suaviſſime.
T. Tranquille. Triſtiſſime. Triumphans.
V. Veraciſſime. Venuſtiſſime. Venerandiſſime.

Simile quoddam alphabetum Encomiorum B. V. Mariæ, ut eſſet in promptu, conſcripſit ſibi peculiaris Deiparæ Cliens, & cultor flagrantiſſimus B. Hugo Victorinus: quod hìc annectimus.

MARIA.

Agna Munditie.
Balſamum Bona opinione.
Columba Simplicitate.
Domina Dignitate.
Ebur Fortitudine.
Favus Dulcedine.
Galbanus Odore.
Hortus Virtutum varietate.
Iris Reconciliatione Divinâ.
Lilium Suavitate.
Mater Fœcunditate.
Nubes Protectione.
Ovum Innocentiâ.
Platanus Operatione bonâ.
Quercus Conſtantiâ.
Roſa Charitate.
Sponſa Fide.
Turtur Caſtitate.

Viola Humilitate.
Vitis Fructificatione.
Virgo Integritate.

323 Alter modus eſt, ad quamlibet litteram capitalem addere aſpirationem, vel petitionem, v. g. ad A. utinam *amore* caſtiſſimo te diligerem amantiſſime Jeſu! utinam *abnegarem* voluntatem meam, & *abſtractam* ducerem vitam! &c. Ad B. poſſunt fieri exclamationes, & gratiarum actiones pro *Beneficiis*. Ad C. pete *Charitatem*, *Caſtitatem*, *Cordis puritatem*. Ad D. *Deſiderium* bonum, *Diſcretionem*, *Dilectionem*. Ad E. *Eccleſiam* commenda Deo, & ejus ærumnas. Ad F. pete *Fidem*, & *Fidelitatem*. Ad G. *Gratiam*, & *Gloriam Dei* ſolius. Ad H pete *Humilitatem*. Ad I. *Intentionem* ſimplicem. Ad L. *Linguam bonam*. Ad M. *Miſericordiæ* opera, *Manſuetudinem* &c. Ad N. *Nunquam* offendere Deum. Ad O. pete *Obedientiam*. Ad P. *Patientiam*, & *Paſſionem* Chriſti reduc in memoriam. Ad Q. Pete *quietem* conſcientiæ. Ad R. *Reverentiam* erga Deum in omni loco. Ad S. *Sitim*, & Zelum animarum, atque *ſinceritatem* erga proximum. Ad T. *Timorem filialem*. Ad V. *Virginis B.* commendationem. Si audis verba hæc *Dominus*, aut *Deus*, ſecretò adora Dei Majeſtatem, & Chriſti Humanitatem, atque illi exhibe reverentiam. Ad literam Capitalem verſuum adde Sanctum aliquem, v.g. Ad A. *S. Auguſtinum*, *Angelum Cuſtodem*, *S. Annam*. Ad B. *S. Benedictum*, *Bernardum*, &c.

Tertius modus eſt, preces horarias, & canonicas ita diſtribuere, 324
ut in ſingulis ſpecialis virtus, vel titulus peculiaris laudandi Deum, & imitandi Sanctos eruatur. Sic ad *Matutinum* offer Deo laudes Angelorum: ad *Primam* prædicationes Apoſtolorum, quos miſit Chriſtus in univerſam terram: ad *Tertiam* patientiam Martyrum: ad *Sextam* laborem Confeſſorum: ad *Nonam* mortificationes Religioſorum, qui jam ſunt in cœlo: ad *Veſperas*, & *Completorium* caſtitatem Virginum. Vel aliô modô: ad *Matutinum* cogita, quòd Angeli laudent Deum Creatorem: ad *Primam*, quòd Apoſtoli Redemptorem: ad *Tertiam*, quòd Martyres Ducem fortiſſimum. Ad *Sextam*, Confeſſores ſummum Paſtorem: ad *Nonam*, Religioſi Patrem amantiſſimum: ad *Veſperas*, & *Completorium*, Virgines Sponſum dulciſſimum.

In feſto alicujus Sancti ad Ma- 325
tutinum conſidera converſionem illius, renuntiationem, vocationem, & correſponſionem gratiæ. In *Prima*, quàm fidelis ſervus fuerit, & quàm ſanctè converſatus poſt vocationem: ad *Tertiam*, examina exercitia proximis exhibita, obedientiam erga Superiores, patientiam & curam in aliis: ad *Sextam*, qualis in ſeipſum fuerit, quàm humilis, & in carnem ſuam ſeverus: ad *Nonâ* conſidera pretioſam mortem il-

lius

Digitized by Google

lius,& fiduciam in Deum. Ad *Veſperas & Completoriũ* cogita ejus gaudia in cælo,& venerationem inEccleſia.

326 De B. Virgine Maria cogita in *Matutinis*, SS. laudare Deum propter beneficia, in B. V. ante & poſt Incarnationem collata. In *Prima* deſidera humilitatem in viſitatione Eliſabeth: in *Tertia* Præſentationem in Templo,& Purificationem, & ſimul pete puritatem: ad *Sextã*, quomodo anxiè Filium triduô quæſierit; quære & tu gratiam: ad *Nonam*, Matrem afflictam juxta crucem; pete patientiam: ad *Veſperas* Chriſti apparitionem, & Reſurrectionem; pete charitatem: ad *Completorium* conſidera mortem, & ductum ad cœlum; pete extrahi à vitiis.

327 Quando communicas, ad *Matutinum* cogita inſtitutionem venerabilis Sacramenti, cauſam, & amorem Chriſti JEſu erga nos. Ad *Primã* cogita accedentem Deum ex hoc Sacramento; age gratias pro hoc Sacrificio. Ad *Tertiã* age gratias Chriſto,quòd ſeipſum in cibum dederit. Ad *Sextam*, age gratias, quòd nobiſcum voluerit eſſe præſens. Ad *Nonam*, age gratias, quòd fides Sacramenti hujus tot miraculis ſit confirmata per totum orbem. Ad *Veſperas* & *Completorium* cogita, hoc Sacramentum eſſe arrham, & pignus æternæ ſalutis.

328 Die Veneris myſteria poſſunt conſiderari. Ad *Matutinum* cogita orationem factam in horto,& comprehenſionem Domini, & quæ illâ nocte facta ſunt. Ad *Primã*, quomodo Chriſtus manè Pilato præſentat⁹, accuſatus, ad Herodem miſſus, & illuſus ſit. Ad *Tertiam*, quomodo flagellatus & coronatus. Ad *Sextam*, quomodo damnatus fuerit ad mortem,crucem portârit,& huic affixus ſit. Ad *Nonam*, verba Chriſti in cruce, ac mortẽ perpende. Ad *Veſperas*, lanceâ perfoſſum pectus. Ad *Completorium*, depoſitionem de cruce: cogitare etiam poteris Beatos quoque hoc tempore agere Deo gratias pro hiſce paſſionis Dominicæ titulis.

Ita inſtituit Eccleſia *ſeptem* orandi horas propter occulta Divina myſteria; nimirum, quia per *ſeptem* Dies creatus eſt mundus: quia *ſeptem* ſunt dona S. Spiritûs; *ſeptem* petitiones in Oratione Dominica; *ſeptem* pſalmi pœnitentiales; *ſeptem* mundi ætates; *ſeptem* myſteria Paſſionis Chriſti, explicata juxta decantatum verſiculum:

Hæc ſunt, ſeptennis propter quæ pſallimus horis.

Pro diebus *Solis*, & *Jovis*, ſicut 329
& cum proportione pro aliis, conſideranda ſunt beneficia, maximè 7. *ad Matutinum* Beneficium creationis hominis, & omnium creaturarum, cogitando, quas creârit, & cur, nempe ob finem ſuæ gloriæ, & in bonum noſtrum, ut cum ipſo fruamur etiam æterna beatitudine, &c. ad *Primã*, Beneficium Redemptionis: ad *Tertiam*, Beneficium vocationis ad fidem: ad *Sextã*, efficacia media Pœnitentiæ, & SS. Euchariſtiæ:

Digitized by Google

ſtiæ: ad *Nonã*, cogitandum eſt gaudium Sanctorum in cœlis. Poteris etiam imaginari totam Cœleſtium curiam ſe inclinare ad *Gloria Patri, Te Deum laudamus &c.* Quidam habent in uſu, dum recitant *Gloria Patri*, ut doleant de defectibus, in illo pſalmo commiſſis. Tres etiam actus exerceri poſſunt. In *Matutino* habe admirationem Dei, & ejus operum. In *Laudibus* lauda. In *Prima* offer te pro ſervitio, quod debes facere tali die, & pro tribus primis præceptis Decalogi ſervandis. In 3 *tia* offer te Deo pro reliquis mandatis Decalogi ſervandis. In 6.*ta* offer te pro cura & ſolicitudine, quã corpori, & animæ debemus. In *Nona* pro obligatione, quam habemus perficiendi iter viæ Spiritualis in Ordine noſtro. In *Veſperis* & *Completorio* offer te ad amoris exercitium. Ecce! habes tres actus, admirationem, laudem, & oblationem..

Cæterùm, qua ratione quis ſe habeat in oratione, colligat Religioſus orator tam ex allatis, quàm afferendis ſequenti Capite, Art. 5. & 7. Quoad horas canonicas verò, in Choro recitandas, Cap. 10. ſub ſpecifico Titulo documenta dabimus, atque finem imponimus huic Capiti bene notandâ doctrinâ, quam Magnus Doctor Hugo de S. Victore *L.* 3. *de anima, & de interiori domo cap.* 29. pro informatione, & orantium cautelâ nobis reliquit.

SOLITUDO SACRA, & FORUM REBELLE.

SOlitudinem ſacram, ſive devotam mentis recollectionem in oratione ad Deum, ipſemet Divinus Magiſter petiit Matth. 6. v. 5. & 6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtiô, ora Patrem tuum in abſcondito &c.* Ubi per cubiculum S. Aug. Hieron. & Ambroſ. accipiunt cor & mentem, ejúsque ſecretum, quaſi hoc orantem ingredi, & claudere oporteat, ne diſtractiones irrepant, quæ mentem à Deo avocent. Ita S. Ambroſ. *L. de Cain, & Abel c.* 9. differit; *Salvator ait, intra in cubiculum, non incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculum, quod intra te eſt, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui. Hoc orationis cubiculum:* (hæc ſolitudo ſacra, hæc animæ eremus) *ubique tecum eſt, & ubique ſecretum eſt, cujus arbiter nullus eſt, niſi ſolus Deus &c.* In hàc ſolitudine, ſeu ſacro animæ à negotiis profanis ſeceſſu, orationem inſtituendam eſſe SS. PP. docuerunt; quamvis etiam verus, & genuinus S. Scripturæ ſenſus

Digitized by Google

ſus ſit, à tumultuante foro, à compitis, ab *angulis platearum*, à frequentia populi, à converſatione amicorum diſcedere orantem debere, tum ad gloriam vanam, & oſtentationem evitandam, tum ad mentem ab omnibus evagationibus tutò cuſtodiendam; prout S. Cyprian. *tract. de orat.* declarat in hæc verba: *Secretò nos orare præcepit in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis; quod magis convenit fidei, ut ſciamus, Deum ubique eſſe præſentem, audire omnes, & videre &c.* Quid jam ſit præfixa *ſolitudo ſacra*, quid *forum rebelle*, tumultuantium nempe, & inter ſe confligentium cogitationum, præfatus D. Pariſ. ſic oſtendit. Oratio eſt mentis devotio, id eſt, converſio in Deum per pium, & humilem affectum; humilem ex conſcientia infirmitatis propriæ, pium ex conſideratione Divinæ clementiæ. Nullo alio modo Deus citiùs ad miſericordiam flectitur, quàm ſi animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur. Nihil ita Deum complectitur, quemadmodum purus mentis affectus. Idcirco, cùm orare volueris, ſolus *ſolitudinem* cordis tui ingredere, & collecto ſpiritu tuo, integra mente, & vacua curis, orationis domum intra, & ſtans coram Deo ante unum aliquod de altaribus orationis inſtantiâ cælos penetra, & præſentatus choris Cæleſtium, in ipſorum præſentia miſerias, & calamitates, quas pateris, miſerandus deplora. Prode tuam neceſſitatem, poſce eorum pietatem; & ego confido in eo, qui dixit: *Petite, & accipietis.* Luc. 11. Quodſi perſeveraveris pulſans, non exibis inde vacuus. Sic ora, cùm oraveris, quaſi ſis aſſumptus, & præſentatus ante faciem Majeſtatis in excelſo throno, ubi *millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei.* Dan. 7. Tunc veraciter oramus, quando aliud non cogitamus, *ſine intermiſſione orare debemus.* 1. *Theſ.* 5. nam ſicut nullum eſt momentum, quo homo non fruatur, aut utatur Dei pietate, & miſericordia; ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria. Felix anima, quæ omnes evagationes mentis in uno ſtudet colligere, & in illo veræ felicitatis fonte deſiderium figere. Quando oramus, Spiritum S. ad nos vocamus. Oratio cordis eſt, non labiorum. Neque enim verba deprecantis DEUS intendit, ſed orantis cor aſpicit. Hæc de *ſolitudine S.* & devota. Nunc *de foro rebelli.*

Cùm ad cor meum redire volo, deſideriorum carnalium turbæ, tumultúſque vitiorum tentationibus ſuis cogitationem meam diſſipant, & intentionem cordis in oratione perturbant. Et dum converti ad Deum poſt perpetrata vitia ſtudeo, & contra hæc eadem vitia, quæ perpetravi, iſtum exorare

rare conor, occurrunt cordi phantaſmata peccatorum, quæ feci; & mentis meæ aciem reverberant, confundunt animum, & deprecationis meæ vocem premunt: ita mala, quæ feci, cogitationi meæ ſuis imaginibus impreſſa, in ipſa mea oratione me conturbant. Cæterùm quanto graviore tumultu cogitationum carnalium premor, tanto ardentiùs orationi inſiſtere debeo: & quantò plura peccatorum meorum phantaſmata in oratione patior, tantò magìs neceſse eſt, ut intentio cordis mei, quò duriùs repellitur, eo valentiùs inſiſtat orationi; quatenus cogitationis illicitæ tumultum (*ſorum rebelle*) ſuperet, atque ad pias aures Domini nimietate ſuæ importunitatis tam diu irrumpat; donec cogitationes malas manu S. deſiderij ab oculis cordis abigat. &c. *Hæc illa ad bonum noſtrum tanti viri doctrina.*

Solitudinem ſacram ambabus manibus amplexus eſt, ècontra *forum rebelle* cogitationum inanium ſedulò declinavit, D. Menendus Luſitanus, Prior ad S. Salvatoris de Ribas, cujus vita regularis *oratio perpetua* vocari jure poteſt: nunquam enim è cubiculo, ne dicam, ex Cœnobio pedem movit, niſi cultus Divinus, & obſequium Dei id exigerent; uti videre eſt in Cenotaphio, quod ejus ſepulchro ob notam ſanctitatem ſtatim poſt obitum inſcriptum fuit, hujus tenoris: *Hic jacet D. Menendus hujus Monaſterij Prior, qui nunquam, dum vixit, pedem movit, niſi ad obſequium Dei.* A veridicis inſcriptum hoc fuiſſe, teſtatur A. 1565. circiter 400. An. ab illius depoſitione ſepulchrum apertum juſſu Roderici de Mello illius Monaſterij Commendatarij ob famam Sanctitatis Menendi. Pedes námque, & crura integra (cultûs Divini inſtrumenta) cum carne quaſi animatâ, caligis & calceis tecta, quæ ex contactu illorum parem incorruptionem præſeferebant, inventa fuerunt. Quo ſanctitatis opinio apud omnes reſtabilita permanſit. Vixit circa An. 1260, uti eruitur ex celeberrimo Hiſtoriographo noſtro *Gabriele Pennotto L.2. c. 61, num. 3.*

Solitudinis ſacratæ amator quoque fuit, ſicut oſor *fori rebellis*, P. Martinus Legionenſis Hiſpanus, illuſtribus Parentibus Joanne & Eugenia prognatus: quibus demortuis, paternas opes pauperibus diſtribuit: Hieroſolymam S. Servatoris noſtri loca viſurus abijt. Inde in patriam redux, Sacerdos inauguratus, Canonicum Regularem in S. Martialis Eccleſia induit: ubi obedientiam, ſubmiſſionem animi, cæteráſque virtutes ita exercuit, ut brevì veteranos ipſe Novitius anteîerit. Emicabat porro in ejus moribus, in vultu, cæterôque corporis habitu nil, niſi mundi contemptus, flagrans in Deum

Deum charitas, & inſignis ad leges modeſtiæ compoſitio. Canonicos ſuos, ad Eccleſiam & Collegium S. Iſidori ejusdem urbis & Ordinis migrantes, Martinus quoque fuit ſecutus: ubi ob tarditatem ingenij cùm aliquando de more noctu ferventiores ad Deum funderet preces pro acquirenda ſcientia, lacrymis perfuſo Eccleſiæ illius Patronus S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, librum manu tenens, ſe ſpectabilem reddidit, & librô ad comedendum porrectô, dixit: *cape Martine librum, & comede: dabit tibi Dominus ſcientiam Scripturæ S.* Hîs prolatîs evanuit. Martinus cælitùs inſtructus S. Litteras legit, legendóque cùm eas quaſi devoraſſet, repentè tantus evaſit in ſacra ſcientia, ut Theologos ævi ſui ſuperârit, plurésque libros cæleſti ſapientiâ plenos ediderit, quibus Hæreticos proſtravit, Catholicos in ſana fide confirmavit. Miraculo miraculum ſuæ virtutis adjecit, quòd acquiſitâ ſupernaturali ſcientiâ nunquam ſuperbior, aut inflatior fuerit, ſed eandem, quam antè, corporis macerationem, eaſdem ferventiſſimas preces, eadem virtutum exercitia continuaverit. Exinde alium cæli favorem fuit promeritus Martinus; nam ſeptem amanuenſes, operam illi navantes, ſolâ illâ annonâ, quæ tantùm ſibi in dies porrigebatur, ſalutifero crucis ſigno ſuper eandem efformato (vim eam ac copiam addente) alebat, ut octo ſatiatis, pars ſemper aliqua pauperibus elargienda ſupereſſet. Inſons aliquando apud centum Cellas, Etruriæ urbem, ùt fur captus, carceríque mancipatus, ab Angelo Cuſtode, innocentiam ſui Clientis detegente, liberatus fuit. Prænuntiato obitûs die 11. Febr. An. 1221. ad Superos evolavit crebrîs miraculîs illuſtris. Illius S. oſſa An. 1513. die 13. Martij è terra levata, ac in cineres redacta, fuêre reperta, ſolâ manu dextrâ exceptâ, quæ ita integra ac recens erat, ac ſi eo anno primùm illic fuiſſet depoſita, & etiamnum talis perſeverat.

Ex vita ipſius apud Joann Bolland. to. 2. die 11. *Febr.*

CAPUT VI.
De viis ad Perfectionem.

FInis communis omnium Religionum eſt perfectio charitatis, in ſuo ſtatu acquirenda: hæc autem, quia, quamdiu vivimus, intenſibilis eſt, continuò ad majorem perfectionem à nobis deduci debet, & augeri: atque hinc enaſcitur Religioſis obligatio totâ vitâ ſuâ tendendi ad religioſā perfectionem, hujúsque augmentum acquirendi; indignus enim habitu, & nomine erit is, qui non omnes vires ſuas impendit hujus ſtudio; nam teſte S. Bernardo, *qui non ſurſum nititur, in inferiora urgetur.* S. quoque Bonaventura *in tepido Novitio non ſperat curſûs perſeverantiam.* Enimverò Novitius, qui non ſponte currit, in ſpiritualibus manebit rudis, ad victoriam ſegnis, in tentationibus crudus, de profectu incurius, atque adeò totus imperfectus; ut ait Reverendiſſimus noſter Udalricus.

Ne igitur Tyronibus deſit modus, & ratio tendendi ad perfectionem, in hoc capite vias varias ijs aperiemus, quas ſeptem articulis comprehendemus. In 1. agemus de via purgativa. In 2. de illuminativa. In 3. de unitiva. In 4. de fugiendis peccatis, & ijs, quæ diſplicent Deo. In 5. de faciendis ijs, quæ placent Deo. In 6. de ferendis æquô animô ijs, quæ diſplicent amori proprio. In 7. de aſcenſu ad perfectionem, ſeu ut feramur ſemper ad perfectiora. Sit proin

ARTICULUS I.
De via purgativa.

SUMMARIUM.

330. *Quid via purgativa ſit, quam materiam, & finem habeat, breviter docetur.*

331. *Media ad finem hujus viæ conducentia comprehenduntur.*

332. *Stimuli, vel motiva excitantia ad hanc viam apprehendendam à quovis ſalutis ſuæ cupido.*

333. *Contraria explicantur, & quid ſit ſemita ad virtutem. Exempla. Annectitur Q. an Fr. Laici ſint Can. Regulares.*

Via

Digitized by Google

330 Via purgativa ex eo dicitur, quia hominem purgat à vitiis, peccatis, exceſſibus, & defectibus; quamdiu enim peccatis ſervitur, non eſt libertas ſpiritûs, & nemo ad perfectionem aſpirare valet, quamdiu in ſordibus hæret. Propria igitur *materia* ſunt vitia, peccata, exceſſus, defectus, & quæcúnque deordinationes à præceptis, regulis & conſtitutionibus regularibus: *Finis* verò *viæ purgativæ* (uti jam n. 280., & ſequentibus explicatum eſt) in his conſiſtit 1. ut peccata commiſſa gravia, & levia, ſi per Sacramentum Pœnitentiæ ſunt jam expiata, non ampliùs perpetrentur, & quantùm humana fragilitas patitur, etiam illa, quæ ex ſubreptione fiunt, & ægrè vitari poſſunt, expientur, & ſtudioſè caveantur. 2. ut vitioſi habitus penitus evellantur, paſſiones frœnentur, tentationes futuræ prævertantur, & præſentes ſuperentur, ut ad peccatum trahere hominem nequeant. 3. ut omnis inordinatus affectus erga creaturas exuatur, ne unquam ullius creaturæ amore, deſiderio, vel temporalis lucri intuitu Creator offendatur, & finis ultimus perdatur.

331 *Media* finem prædictum obtinendi hiſce comprehenduntur. 1. Si habeas fervens deſiderium, & propoſitum perfectionis religioſæ, atque ſæpiùs renoves, manè præcipuè, ac veſpere intentionem nunquam peccandi. 2. Si ſollicitè attendas, ne labaris: ſtudium autem hoc facilè promovetur per praxin exercitii præſentiæ Divinæ, recollectionis horarum (de qua à num. 322. documenta dedi) per vivam memoriam tuæ vocationis, & profeſſionis, per ruminationem Divinorum beneficiorum &c. 3. Si poſt lapſum te humilies per contritionem, & propoſitum non ampliùs peccandi, ac pœnitentiam tibi ipſi injungas, vel injunctam à Confeſſario perfectè peragas. 4. Si accuratè inſtituas examina quotidiana, Confeſſiones, recollectionem hebdomadariam, & menſtruam; ut dictum eſt n. 25. & 26. 5. Si ferventer conſideres, quomodo hîs præſcriptîs mediîs uſus fueris, qualiter impoſterum ea applicare velis, & quid optares in agone te egiſſe.

Stimuli proficiendi in via purgativa deſumuntur imprimìs ab 332 ipſo actu religioſo, cui annexa eſt obligatio per tria vota ſequendi Chriſtum. Dein, quia Religio eſt ſtadium perpetuæ cum vitiis, & paſſionibus pugnæ, ſchola mortificationis, locus pœnitentiæ, & humilitatis, & martyrii, ubi quotidie jugulatur voluntas propria. Alii deſumuntur ex triplici timore, *ſervili* ſcilicet, *mercenario*, & *filiali*. Sunt autem 1. Majeſtas Dei infinita, & cùm talis ſit, offendenda non eſt, pro ſalute etiam infinitorum mundorum. Quin offenſa in tan-

Digitized by Google

tùm creſcit, ut læſa Majeſtas, non niſi morte, & ſanguine Chriſti unigeniti filii placari potuerit. 2. Conſideratio juſtitiæ Dei, quæ peccatum mortale æternâ pœnâ punit, veniale verò graviſſimo igne purgatorio, aut aliis temporalibus ſuppliciis expiat. 3. Abyſſus judiciorum Dei, cùm ſæpe ingrati peccatores permittuntur labi, Religioſi apoſtatare, & imparati mori. 4. Odium tepiditatis, quæ in vita innumeris gratiis, & ſolatiis privat; in morte filialem fiduciam aufert; poſt mortem verò privat magna gloria, utinam non æterna. 5. Brevitas temporis; citò enim labitur, neque amplius redit, & finis ejus incertus. 6. Timor mortis, horror judicii generalis, & particularis. 7. Conſideratio æternitatis, felicis, ac infelicis: & 8. Gratiæ à Deo conceſſæ uſus bonus pro accumulandis meritis. Hæc, inquam, Religioſo ſtimuli ſunt ad profectum ſpiritualem in hac via quærendum; nam tam ex vi ſui ſtatus, quam ex motivis adductis ad perfectionem tendat; prout S. Eucherius ſapienter monet, *Religioſum debere eſſe fugacem voluptatis, appetitorem laboris, patientem abjectionis, impatientem honoris, pauperem in pecunia, divitem in conſcientia, humilem ad merita, ſuperbum ad vitia.*

Contraria, quæ in via purgativa profectum impediunt, ſunt iſta. 333
1. Non habere Zelum majoris puritatis. 2. Non cavere peccata venialia. 3. Non horrere tentationes, non fugere occaſiones, & nimiùm ſibi fidere. 4. Tepeſcere, nec ſibi frœnum inijcere per mortificationes internas, & externas. 5. Divinos inſtinctus diſſimulare, & admonitiones Superiorum malè vertere. 6. Ad exteriora ſe effundere, vagari ſenſibus, & cogitationibus, otiúmque proſequi. 7. Liberè loqui, aliorum dicta & facta cenſere, ac carpere, delectari jocis, & colloquia pia faſtidire. 8. Solatia quærere in cibo, & potu, recreationibus, & nugis. 9. Utrumque examen inſtituere ſine compunctione, ſine propoſito, ſine emendatione. 10. Ex conſuetudine tantùm, & ſine præparatione debita confiteri, & alia opera bona ſine ſenſu obiter peragere.

SEMITA AD VIRTUTEM.

AUguſto Doctore tract. 5. in Ep. Joan. *Neceſſe eſt, ut homo cogitet, quemadmodum ambulet in via, ne remaneat, ne retrocat, ne aberret, ne claudicando non perveniat.* Quo textu *incipientium*, & *proficientium via* comprehenduntur; qui enim nullam ſibi præfigit ſemi-

Digitized by Google

ſemitam, qua ratione poterit pervenire ad terminum? Tres quidem arctas ad cælum vias aſſignat egregius Hipponenſis Magiſtri Diſcipulus Hugo Victorinus to. 3. l. 4. miſcell. tit. 44. f. 289. *Triplex eſt arcta via, quæ ducit ad vitam. Sanguinolenta in Martyribus, qui in ſanguine agni lavantes corpora ſua, altitudinis ſolium attingunt. Purpurea in confeſſoribus, qui in ſua cruce veſtigia diverſæ paſſionis per abſtinentiam expreſſerunt. Lactea in virginibus, quæ puritatis Angelicæ candidatum in ſe conſecrantes, ad complexum inde ſponſi virtutum evolaverunt.* Aſt de hac via ad cælum nulla hic nobis agendi ratio, qui aliam ad hanc præſuppoſitam inquirimus: ſive enim per *ſanguinolentam*, aut *purpuream*, ſive per *lacteam* viam quis æternam ingreditur patriam, aliam priùs ſemitam calcaverit, neceſſe eſt; & hæc eſt *ſemita juſtorum*, dum vitia fortiter proteruntur, ac cautè declinantur mala, quæ viatores impedire, & à recta aberrantes ad interitum ducere ſolent. Sic ſapientiſſimus Rex *Prov.* 16. *v.* 17. animadvertit: *ſemita juſtorum declinat mala.* Seu, ut legit Chaldæus hìc apud Cornelium, *ſemita juſtorum eſt, declinare à malo.* Semita ſignificat viam, & vitam juſtorum eſſe rectam, occultam, & arctam, prout declinat curva, & prava, latáque vitiorum diverticula, quæ undique eam circumſtant, & ambiunt. Rectè igitur *ſemita ad virtutem* præſcribitur à nobis *via purgativa*; ſemita enim eſt quaſi *ſemiiter*, ſive via dimidia, ut agnoſcat Religioſus viator, qui iſtam ingreditur, ſe quidem inchoare ſanctiorem vitam, eam verò totam nondum poſſidere. Anhelas tu ad virtutem, & ad magnam vitæ perfectionem? *viam purgativam* conſtanter perambula: aſcetica documenta tam in hoc, quàm 2.do, & 4.to capite hujus aſcetici tractatûs bono tuo conſcripta capeſſe, & *ſemitam* hanc *ad virtutem* ſedulò percurre, gnomam illam S. Baſilii f. 25. cit. altiùs in animo figens: *Principium ad bonorum apprehenſionem, ſeu emendationem vitæ eſt à malis abſceſſio.* Hoc eſt, *ſemita juſtorum eſt, declinare à malo.* Medium quidem iter virtutis eſt, ſi tamen conſtanter illo inceſſeris, & contra inolitas naturæ vitiis debilitatæ inclinationes pertinaciter perrexeris, Diviná Gratiâ comite ad optatam virtutis, & religioſæ perfectionis metam certiſſimè pervenies. Eja ergo hanc ad virtutem ſemitam animosè ingredere; facilior modò eſt, quia Chriſti, tótque Sanctorum, ac religioſiſſimorum Virorum veſtigijs trita. Calcar incipienti ſit illud Poëtæ:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Nam in hac via purgativa ſeſe exercendo non tantùm religioſam vitam exegit, ſed & ad magnam ſanctitatem aſcendit D. Andreas Novarienſis de Caſtro domûs

Digitized by Google

mûs Oſſulæ *vir prope Divinus, totiúſque bonitatis inſignis, atque beatiſſimus*; ut eum compellat Joan. Philippus. l. 6. c. 42. Hic malè locata juventute pœnitudine ductus nomen Clericali dedit militiæ, aliquot annis Parochi cujuſdam munere functus, ætatis verò ſuæ an. 36. agens, cùm intus ſe trahi ad perfectiorem vivendi modum ſentiret, beneficium Eccleſiaſticum, hactenus cum non infimo animarum fructu adminiſtratum, Riccardo cuidam presbytero piiſſimo ceſſit, & relicto ſæculo in Vercellenſi S. Andreæ abbatia regulare noſtrum amplexus eſt inſtitutum. Tyrocinium eodem fervore aggreſſus fuit, quo illud coronavit: at non tam religioſiſſimè finiit, quam cum profeſſione denuo inchoavit, ut omnis Andreæ vita continuus videretur Novitiatus. Nam per 40. annorum ſpatium indefeſsè jejuniis, vigiliis, & orationibus intentus, corpus ſuum caſtigando, & edomando ſpiritui ſervire carnem coëgit. Paupertatis amore tunicam novam admiſit nunquam, ni priore, quam unicam duntaxat ſemper habebat, prorſus obſoleta: pretioſum rochettum, aliáſque lineas veſtes (Itali *de raſſa* vocant) & pelliceas ſemper abhorruit, levioris pretii materiâ contentus. Omnes Religionis obſervantias, & diſciplinas, quas cæteri ſolent ſenes omittere, ipſe vir Dei tam avidè amplexabatur, ut cæteros juvenes etiam fortes anteiret. Si illum aliò proficiſci contigit, itinera pedibus confecit, equo neutiquam vectus. Munuſcula, quæ ob vitæ ſanctimoniam à ſæcularibus viris, & mulieribus ei multa porrigebantur, ſi erant comeſtibilia, omnia Canonicis ſuis in refectorio communia eſſe voluit, nihil reſervando ſibi: ſin verò alterius generis, ad Eccleſiæ ornatum deputabat. Quatuor annos mira vitæ auſteritate Vercellis, poſtea de majorum ſuorum voluntate Papiæ in Canonica S. Epiphanij majori ſanctitate 10. circiter annos tranſegerat. In abbatia dein S. Mariæ de gratiis extra muros Novariæ per 26. annos, diffuſo ubique per Italiam religioſiſſimæ converſationis, & prodigioſæ ſanctimoniæ odore fragrans. In cœleſte tandem viridarium tranſplantatus eſt Flos Novarienſis anno 1500. 4. Septembris, cœlo utique maturus, quia ætatis 76., & religioſæ plantationis 40. rigidiores ſolis terreni æſtus perpeſſus, nunquam tamen emarcuit; ſed ſuaviſſimum odorem, quem raro virtutum exemplo undique ſparſit in via, cum integro foliorum (meritorum) ornatu intulit in patriam. Eapropter novum, aut mirum nemini videri debet, quòd Andreas certus collium æternorum incola varijs prodigijs ab abitu ſuo refloreret cæperit. Inter alia illud memoratu dignum à Joanne Phi-

lippo

Digitized by Google

lippo loc. cit. refertur.

Erat in præfata civitate Novarienſi Andreas, dum viveret, nobili cuidam Matronæ viduæ à ſacris confeſſionibus: hanc demortuus maritus omnium, quæ reliquerat, bonorum, ex aſſe hæredem conſcripſit: ex quo hæreditatis jure eam deturbare nitebantur parentes defuncti viri, relictâ ſolâ illi dote. Ob hoc plurimùm anxia illa, maximè etiam, quod nec teſtamentum ſui mariti paulò ante mortem conditi poſſet invenire, omni humano proin deſtituta auxilio Superum implorat fidem; templum cœnobii S. Mariæ de gratiis adit, atque ſupplex ad ſepulchrum Andreæ in genua procumbens ardentibus, & madentibus oculis Patris ſui ſpiritualis opem efflagitat, effusìsque precibus magna cum fiducia templo egreſſa domum contendit. Nocte inſequente adſtat ei dormienti Andreas, eámque affatus, *O Catharina filia mea,* inquit, *quid ploras? miſſus ſum ad te à Domino, ut conſolationem accipias; nam fides tua tibi ſubvenit. In ſcrinio tuo, & ipſius ſcrinii angulo in parvo ſacculo teſtamentum viri tui invenies.*

His dictis diſparuit beatus vir, & cœleſti quodam ſolatio in tantùm reliquit ſibi devotam filiam, ut evigilans ſtupore repleta & teſtamentum repererit eo in loco, quem Andreas revelaverat, & coram judicibus illo producto confuſis actoribus victoriam reportaverit. *Ex cit. Authore apud Pennotum l. 3. c. 51. n. 4.*

Sanctè etiam *incipientium viam* ingreſſus eſt, & ab hac magnos ad charitatis, & in illa radicatæ ſanctitatis perfectionem paſſus fecit B. Maroldus Bojus celeberrimæ Canoniæ Undenſis, ſive Inderſtorfenſis in Bavaria Converſus. Nullis is licèt ſacris Ordinibus initiatus, nec litteris eruditus eſſet, legum tamen religioſarum obſervantisſimus, magniſque gratiarum cœleſtium donis locupletatus extitit. Dominis ſuis Canonicis magna cum animi ſubmiſſione, ac charitate inſervìit; quin ex prædiis ſuburbanis, quæ ad victum pertinebant, ſuis apportavit humeris. Miſerorum conditione ita afficiebatur, ut illorum egeſtatem magnopere doleret, &, quibus poſſet, auxiliis levaret. Deferebat olim elephantiacis aliquot panis cruſtula, & non nihil de vini latice, occurrensque fortè ſuo Præſidi (ad quem jam aliàs de nimia in pauperes liberalitate delatus erat) veluti deprehenſus, & ſeveriùs objurgatus, atque juſſus, quid portaret, affirmavit, ſe lignum, & lixivium ferre, factúmque momento temporis, ut menſa, quam ferebat, in materiam, & lixivii liquorem, obſtupeſcente Præſule, verteretur, ipséque, quò tenderet, abire permitteretur. Erat inter Cœnobium & vicum, unde quotidie neceſſaria pro victu ſui collegii portabat, pia Chriſti de Cruce pendentis imago,

Digitized by Google

ad quã onere tantiſper poſito, nonnihil requieſcens preces fundere ſolebat, ut vires tum corporis, tum animi inſtauraret. Ad hanc velut aram tandem & annis feſſus, & laboribus exhauſtus, cùm de more tranſiret, tanquam victima cecidit, atque in genua abjectus, ſublatis in cælum oculis, ac manibus precabundus animam Deo reddidit anno 1172. die non annotato, præmiáque pietatis, religionis, & obedientiæ recepturus. Interea ſtatim ab ipſius morte, dum adhuc ad crucem extinctus hæreret, omnia in turri Collegiatæ Eccleſiæ æra, nullo manum admovente, concrepuêre. Miraculo id factum fuiſſe, nemo dubitavit, ubi de morte ipſius innotuit. Ergo tota Canonicorum illic ſodalitas ſupplicabunda ad locum Crucis, & defuncti proceſſit, humeríſque ſacrum Fratris pignus domum retulit, atque ad S. Nicolai aram, qui honos nec Præpoſitis ipſis, nec Conditoribus Cænobii ante illum diem habitus eſt unquam, ſepelivit. *Ex Bavaria pia Mathæi Raderi S. J.*

Parem charitatis perfectionem in hac via obtinuit Gerardus Hombolt Trajectenſis Belga: qui ante ſuſceptum regularem habitum Palæſtinam adiit, loca illa ortu, prædicatione, ac paſſione Servatoris noſtri nobilitata inviſurus. In patriam redux ad montanum Ordinis noſtri, S. Agnetis prope Zvvollas Collegium ſe contulit, & fratribus Laicis accenſeri inſtantiſſimè petiit. Voti compos effectus 35. an. hoſpitum, ac refectorii curam magna ſedulitate, atque charitate geſſit. Quodam tempore cùm plures hoſpites adveniſſent, id coco maturè indicavit, qui ob rei cibariæ penuriam multùm ſollicitus triſtari cœpit, timens, ne hoſpitibus pro debito charitatis ſatisfacere poſſet. Sed eum Gerardus bono animo eſſe, crucíſque ſignum ſuper ollas, & cibos coctos formare juſſit, aſſerens, Deum abunde ſervis ſuis proviſurum. Dictum, factum. Cocus repetitam benedictionem cibis impertiit, qui ita multiplicati ſunt, ut non modò ex iis hoſpites ad ſatietatem refecti, ſed tantum reſiduum fuerit, ut pro nocturna refectione ſuffecerit. Suaviſſima ei erga Deiparam Virginem erat propenſio voluntatis, cujus dies omnes pridianos feſtivitatum ſolo pane, & cereviſia victitabat: pro cujus itidem ara, in Eccleſia S. Agnetis erectâ, pulcherrimam ejus ſtatuam auro ornatam, ac coronam cum multis luminaribus ex ære candente confectam procuravit. Piè deceſſit 11. Septembris an. 1459. ætatis 29. Religionis 35. *Ex Chronica montis S. Agnetis c. 27.*

Unam adhuc ſolidæ pietatis idæam exhibet Joannes de Leeuis Affligienſis Belga: qui ob pietatis abundantiam, quam cunctis noverat impendere, ab omnibus paſſim *bonus coquus* appellabatur. A primo in Religionem viridis vallis prope

Bruxel-

Bruxellas ingreſsùs ſui anno, ac deinceps adeò ſibi rigidus fuit, ut cæteros carnis maceratione, vigiliis, & abſtinentia ſuperârit. Hoſpitibus non tam officioſum, quàm pium ſe exhibuit, curans, ut non modò eorum corpora reficerentur cibo, quàm corda incaleſcerent Dei amore ex colloquiis de Divinis rebus inſtitutis. Veſtibus utebatur aſperis, uſûque ita attritis, ut nec color, nec filorum ſeries dignoſci in illis poſſet. Rarò, vel nunquam veſci voluit, niſi fragmentis à PP. Canonicorum menſâ relictis. Ut magis guſtum ſuum mortificaret, fætentes cibos ſæpe maxima animi voluptate ſumpſit. Somnum perbrevem, eúmque magno ſui tædio cæpit; videbaturque ſibi tempus illud perditum, quod quieti indulſiſſet. Unde rarò cubitum ſeceſſit, niſi priùs matutinis precibus noctu interfuiſſet. Porro licèt pluribus officiis, ac occupationibus eſſet diſtentus, in his tamen ſemper cordis, & animi tenuit tranquillitatem, ut actioni ſimul, & contemplationi eſſet intentus, nec à cæleſtium rerum meditatione externis actionibus præpediretur.

Adeptus eſt hanc gratiam aſſiduâ dominicæ paſſionis, maximè verò ſacratiſſimorum vulnerum Chriſti, conſideratione; cujus tam induſtriè adnitebatur imitari veſtigia, ut carne ſimul, ac ſpiritu vivam hoſtiam ſe illi præberet. Dum meditandis doloribus Servatoris noſtri inſiſtebat, ſæpius extra ſe raptus deprehendebatur. Nullatenus tamen efferebatur animo propter ſpeciales cœli favores, quin potiùs ſe creaturarum omnium infimum ſincerè ſentiebat. Tantam apud Deum familiaritatem obtinuit, ut multa ſecreta cælitus didicerit: & licèt litterarum ignarus eſſet, tanta nihilominùs Divinæ Crucis irradiatione perfundebatur, ut libros Dei ſpiritu plenos conſcripſerit. In quibus admirationem excitat rerum ſublimitas, quam ne Theologi multi, niſi affectionum Divinarum periti, aſſequi poſſunt. Experiri eum fecit in hoc mundo degentem Altiſſimus ſeptem graviſſimas, & quæ purgatorii, imò inferni excedere videbantur pœnas, ut patientiam ipſius probaret: hanc ne perderet, ſed nutriret, malum quoddam, quod pluribus annis in pede uno ſuſtinuit, nulli mortalium, dum vixit, aperuit. Vice quadam, cùm die feſtum S. Martini Turonenſium Præſulis antecedente pro more menſæ inſerviret, cibóſque apportaret, repente magnâ animi lætitiâ in hæc verba, vernaculâ tamen linguâ prolata, prorupit: *S. Martine Sacerdos ſancte! bona fracida meſpila creſcunt in patria tua! Miſerere Domine!* Hoc audiens, qui menſæ præerat, torvis illum ob hoc oculis in correctionis ſignum aſpexit: aſt totam faciem Joannis ſplendore quodam igneo inflammatam conſpiciens, quod ex fervore

vore ſpiritûs oriebatur, ab ulteriori correptione deſtitit. Circa poſtremos vitæ ſuæ annos, cùm ſex menſibus gravi morbo laboraret, coquinæ tamen, quantùm vires ſinebant, præfuit, patientiſſimè ferens non duros modò corporis dolores, quàm officii illius moleſta onera. Mortem verò imminere Divinitus edoctus, ſacro oleo inungi petiit: quo peracto placidiſſimè exſpiravit 5. Februarii an. 1377. *Ex Joanne Schonhovio, & Henrico Pomerio in ejus vita p. 5. Hagiologii Brabantiæ apud Arnoldum Raiſſium in auctario ad natales Belgii Joannis Molani 22. Jan. & vita Ven. Joannis Rusbrochii c. 7.*

Appoſui Laicorum, ſeu Converſorum fratrum iſtorum vitas, non quod ipſi ſint verè Canonici Regulares, ſed quia ſunt Ordinis noſtri Clericalis, ſicque privilegia, favoresque Clericales participant, ut viciſſim illorum pietate, vitæ ſanctimonia, & virtutum ſpectabilium exemplo totus Ordo Clericalis gaudeat, & in illa jus acquirat, tanquam ſibi propria adſcribendi. Enim verò, quamvis tò *Canonicus* abſtrahat à laico, & clerico, à regulari, & ſæculari, dum antiquis temporibus Canonicorum nomine intelligebantur etiam pueri, qui alios Canonicos juvabant canendo in choro, ut ex antiquiſſimis Auth. probat Nicol. Deſnos p. 5. Quin etiam Reges, & Principes inter Canonicos pſallentes ſe conſtituerunt; prout refertur de piiſſimo Rege Luitprando, qui poſt translatum, & in templo S. Petri Papiæ collocatum S. Auguſtini corpus *die, ac nocte in hymnis, & canticis cum Clericis, & Sacerdotibus in Eccleſia pernoctavit, & tanquam unus de Miniſtris in canticis, & pſalmodia ſeipſum exercuit.* Ita ex *Epiſt. Oldradi Ep. Mediol. apud Baron. ad An.* 726. *& lect.* 2. *noct.* 28. *Febr. in proprio Can. Reg.* Similia exempla adducuntur à Thomaſſino *in vet. & nova Eccl. diſcip. to.* 5. *l.* 3. *c.* 64. tò *Canonicus Regularis* tamen in ſuo conceptu eſſentiali neque logicè abſtrahit à clericatu, quia ad opera vitæ activæ directè, & per ſe eſt ordinatus: *inter quæ præcipua ſunt ea, quæ aguntur in Divinis myſteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium; quibus per ſe competit, ut ſint NB. Clerici Religioſi*, docente S. Thoma 2. 2. p. 189. a. 8. ad 2. Idipſum exhibent Bullæ Pontificiæ, Decreta Apoſtolica, & deciſiones Romanæ, characterem Clericalem Canonico Ordini, tanquam eſſentialem, ſemper adjudicantes, & recenter in favorem Canonicorum Regularium Anno 1713. in S. Rota pro Creuzlinganis C. R. ita ſententiantes inter alia: *Conſpirabat in hoc ipſum præpotens aliud fundamentum qualitatis, qua pollebat Ordo Canonicorum S. Auguſtini, nempe characteris clericalis annexi eſſentialiter eidem Ordini, quando ex oppoſito Monachi ex primordiali inſtitu-*

to

Digitized by Google

to, & eſſentia erant laici, ita ut clericatus ſuperventus accidentaliter duntaxat ſe habuerit &c. Et paulò inferiùs: *Indeque contingit, quòd, ubi ad Cardinalatûs apicem promoveantur Canonici Ordinis S. Auguſtini, purpuream veſtem induant, uti cæteri Cardinales S. R. E. Clerici Sæculares, juxta declarationem Leonis X. in ejus Conſtitutione la 34. ex oppoſito verò diverſimodè ſervatur in illis &c.* Proinde, ſicut ex adductis evidenter conſtat, *Canonicum Regularem* ex eſſentia eſſe *Clericum*, & *Laicum fratrem profeſſum* ex eſſentia *non* eſſe *Clericum*; ita pariter evidens eſt, Laico fratri profeſſo clericale nomen Canonici Regularis ex jure, & directè competere non poſſe. Dixi *directè*; nam per accidens, & *indirectè*, ſicut Clericorum privilegiis fruuntur, ita nomine gaudere valent abſque eo, quòd ſint Canonici Regulares. Ita Pellizzarius in Man. Reg. to. 1. a. 1. c. 3. n. 21. Religioſi Laici *dici quidem poſſunt eſſe ex Religione Clericorum Regularium, non tamen dici poſſunt Clerici Regulares; ſicut neque Converſi Canonicorum Regularium dicuntur Canonici Regulares, eſto ſint de Religione Canonicorum Regularium &c.* Diſcrimen porro laicorum, & clericorum in Ordine noſtro quivis haud difficulter adverterit, qui clericalia officia, habitum, & tonſuram obſervârit. Aſt de hac animadverſione ſatis, quia p. 2. plura ex profeſſo tradenda erunt. Interim nobis adverſantibus illam ſuper aurum, & topazion appretiandam ſententiam Aurelii Doctoris *l. 2. de Bapt. contra Donatiſt. c. 4.* Subjicio, bene perpendendam, peroptans cum pacifico Patre, ut *Hoc faciat ſanitas pacis, ut, cùm diutiùs aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diverſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum, liquidúmve perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſà remaneat inſanabile vulnus erroris.*

Simile concipio votum, & monitum, non tam ad novellos, quàm altiores Ordinis noſtri Clericos directum: non habeant faſtidio fratres ſuos laicos; non contemnant ac infimos ſervos; non tractent velut mediaſtinos; non indignentur tanquam inutilibus. Verùm potiùs bono illis exemplo præluceant, ſalubrémque doctrinam eis præbeant juniores, patientiam habeant majores, & quò in altiori gradu clericatûs, vocante, & miſerente Numine, præ illis ſunt poſiti, eò potiorem ſumant anſam profundiùs ſeſe humiliandi in conſideratione majoris à Deo collatæ gratiæ, quoſdam ad clericalem dignitatem evehente, alios in laicali ſtatu ad eandem Divinam gloriam prædeſtinante. *Fratres ſumus, unum Deum invocamus, in unum Chriſtum credimus, unum Evangelium audimus, unum Paſcha celebramus* (admonet S. P. N. in

Pſal. 54.) in una domo vivimus (proſequor) eandem profitemur Regulam (quantùm Clericos concernit; nam quædam S. Reg. capita expreſsè Clericatum ſupponentia Laicis convenire nequeunt, ut patet legenti) ſub eodem vivimus Patre: in *via purgativa* pro abſtergendis vitioſis habitibus pariter verſamur; eadem præcepta Divina, eaſdemque leges tenemus. Unum eſt cælum, una ad cælum virtutis via, licèt multiplicia media. Væ Laico aberranti! væ Clerico media non applicanti! formident Clerici omnes illud S. Auguſt. de verb. Dõ. Ser. 49. c. 7. *ne Laicus, qui vult bene vivere, cùm attenderit Clericum malum, malè vivat.*

ARTICULUS II.

De Via Illuminativa.

SUMMARIUM.

334. *Viæ Illuminativæ deſcriptio, finis, & conditio.*
335. *Proponuntur media hujus viæ,*
336. *Stimuli ad exercendum ſe in illa, &*
337 *Contraria: Fructus præſentia Dei, & Exempla.*

334. Via illuminativa ex eo dicitur ſecundus gradus perfectionis, quòd anima peccatis expurgata illuminari petat à Deo, & inſtrui, ut vitam in virtutibus protrahat ad majus beneplacitum Divinæ Majeſtatis, atque ab exemplis *infantiæ*, *prædicationis*, & *paſſionis* Salvatoris amantiſſimi diſcat vitam imitari, & ſucceſſivè virtutis viam ingredi, id eſt, inchoare, proficere, & perfectionem adipiſci. Mutatur autem homo in via illuminativa quaſi in alium, fitque ex debili fortis, ex morbido ſanus, ex coacto milite ſpontaneus, ex ſervo liber, ex ſimplici prudens, ex timido cordatus. Vocatur *via proficientium* ex eo, quia in hac proficiunt, atque ad ſupernaturale augmentum ſuccreſcunt animæ, *Finis* hujus perfectionis & viæ conſiſtit in ſoliditate virtutum; uti jam ſupra n. 281. attigimus. *Conditio* autem virtutum requiritur varia; & quidem 1. ut illæ virtutes ſint rectæ, ſeu puræ quoad intentionem, ſcilicet ut non exerceantur ob reſpectum humanum, nec ob metum ſupplicii, nec ob ſpem præmii, nec intuitu honeſtatis propriæ, ſed præciſè honoris & beneplaciti Dei. 2. ut ſint magnæ, & intenſæ, nempe eliciantur abſque lapſu in vitium oppoſitum, abſque magna difficultate, & periculo lapſûs, sed cum magna alacritate, & gaudio. 3. Ut ſint fortes, &

Digitized by Google

& conſtantes; ſcilicet actus interni, & externi ſint frequentes in omni virtutis objecto, & quovis tempore cum æquali ſemper intentione, alacritate, & facilitate tam in mediis tentationibus, adverſitatibus, & opprobriis, quàm in variis proſperitatibus, ſolatiis, & ſpiritualibus lætitiis.

335 Media acquirendi, & conſervandi hanc perfectionem conſiſtunt in his. 1. *in deſiderio* vehementi, & efficaci virtutum; quod frequenter renoves. 2. in *diffidentia*, & *confidentia*; *diffidentia*, ut propriis viribus non credas, ut in omni virtutum exercitio confidas in Divina gratia, & exerceas actus internos virtutnm perfectos quoad puritatem intentionis, quoad objectorum latitudinem, quoad conatûs intenſionem, & quoad inſatiabilitatem deſideriorum ſupra vires. 3. *in eximio conatu*; dum actus externos datâ occaſione exerces, non ex arida conſuetudine, vel tantùm materialiter, ſed etiam formaliter, actus internos jungendo cum externis, & ſuperaddendo deſideria vires proprias excedentia. 4. *In victoria ſui*; ſi actus prædictos exerceas circa objecta valde ardua, & naturæ repugnantia, vehementiam oppoſiti vitii, & naturæ reluctantiam heroicè ſuperando tempore etiam cujusvis adverſitatis. 5. *In humilitate profunda* poſt lapſum in oppoſitum vitium coram Deo tuam deplorando fragilitatem, cum compunctione cordis, ſpe veniæ, & propoſito bono. 6. *In conſideratione vitæ Chriſti*; qui eſt cauſa exemplaris in omnibus actibus internis, & externis virtutum; quin etiam in ardentibus deſideriis eas perfectiùs exercendi: ſicuti Chriſtus ab infantia uſque ad tempus prædicationis, & ab hac uſq; ad paſſionem perfectiùs ſemper exercuit virtutes: qui poterit etiam conſiderari tanquam cauſa meritorum, & efficiens.

Stimuli excitantes ad viam illuminativam deſumuntur ex ſpe bonorum tam naturæ, quàm gratiæ, & gloriæ: itidem ex ſpe præteritorum, præſentium, & futurorum bonorum &c. Itaque ad virtutes ſtimulabis te 1. conſiderando, quàm liberalis ſit Deus, qui dona naturæ tribuit, gratiam confert, & exigua opera virtutum remunerat. 2. cogitando, quàm miſericors ſit Deus, qui præſervat hominem à vitiis, & à malo providè liberat. 3. imaginando, Deum ubique tibi præſentem, tanquam Creatorem, Redemptorem, Spectatorem omnium operum, & bonorum Remuneratorem, & malorum juſtum vindicem. 4. conſiderando, voluntatem Divinam totam in eo eſſe, ut teipſum ad profectum ſpiritualem excites; quia paternè monet, ſeverè minatur, æterna promittit. 5. perpendendo temporis, vitæ, & gratiæ conceſſæ brevitatem: nunc enim omne eſſe 336.

poteſt

poteſt momentum meritorium gratiæ, & gloriæ; hoc verò elapſo, *tempus non erit amplius*. 5. contemplando magnitudinem beneficiorum Dei, v. g. creationem, conſervationem, ſanctificationem in Baptiſmo, redemptionem, vocationem ad veram fidem, Religioſum ſtatum &c. 7. meditando Chriſti, & Sanctorum vitas, quibus ad ſimilitudinem provocaris. Denique oportet cognoſcere virtutum naturas, gradus, atque media, & incitamenta, meditando de iis, legendo, conferendo, & tandem altùm animo imprimendo; prout ad hunc finem caput tertium integrum de virtutibus præcipuis conſcripſimus.

337 Contraria viæ illuminativæ ſunt 1. nullam æſtimationem hujus perfectionis habere. 2. actus internos virtutum omittere. 3. actus externos ſine attentione, & devotione ſolùm ex quadam conſuetudine exercere. 4. ad altiora non aſpirare. 5. puræ intentioni parùm ſtudere. 6. fugere labores, & difficultates, humiliationes, & abjectiones. 7. tepeſcere in quotidianis exercitiis ſpiritualibus. 8. nullam temporis habere rationem otiando & ſternendo. 9. non eſſe indifferentem ad proſpera æquè, ac adverſa, ad vilia æquè, quàm ad magna: quod in S. Religionibus maximum eſt impedimentum viæ illuminativæ. 10. negligere, aut ritè non inſtituere examen particulare virtutum, & tandem deſperare de perfectione, & ſpirituali profectu.

LUX CÆLESTIS.

MAgnus Patriarcha Abraham tres gradus, & ſtatus Chriſtianæ perfectionis repræſentat, & in ſacris libris Geneſis pro exemplo virtutis proponitur; uti advertunt SS. PP. & Commentariſtæ apud Corn. in Geneſ. *In cap.* 12. deſcribitur velut *incipiens*: ubi ei præcipitur à Numine, ut egrederetur de terra ſuâ, & de cognatione ſuâ, & de domo patris ſui, & veniret in terram, quam monſtraturum eſſet illi. *Semitam* enim *ad virtutem* ingredi volens, egredi debet de terra *voluptatum & illecebrarum*, de cognatione *ſenſuum, qui ſunt cognati mentis*, quibus illicitus uſus eſt abſcindendus, de domo patris *proprii intellectûs, & voluntatis, quæ quaſi pater potentias ſuas in ſingulas partes ſeminat, ſuas cuique operationes tribuens, & omnes gubernans*; prout Mediolanenſis Præſul *l.* 1. *de Abraham. c.* 2. tropologicè exponit. In eundem ſenſum abit lumen Pariſienſe *Hug. vict. l.* 2. *allegor. in Gen. c.* 2. Dum ibi Abraham repræſentatur velut *anima*, cujus

terra

Digitized by Google

terra delectatio terrena, *domus patris* ejus converſatio prava, *parentes* dæmones ſunt. Et ab his jubet Deus *animam* egredi, ut ſpiritualem capiat fructum Divinæ promiſſionis. Non ſolùm autem præcipit à mala terra egreſſum providentiſſimus Deus, ſed etiam adjungit emigrationem in terram bonam, quæ eſt *vita ſpiritualis, ad quam cùm anima Divino ſermone compuncta, declinans à malo, & faciens bonum tranſit, figit in ea tabernaculum per honeſtam converſationem, & ædificat in ea altare lapideum per firmam fidem: offert ſacrificium per bonam converſationem, & dilatatur circumquaque per multiformem virtutum exercitationem, & bonorum operum exhibitionem.* Magnus etiam præceptor Alcuinus *Q.* 154. *in Gen.* eandem tropologicam tenet doctrinam, aſſerens, *per tres egreſſiones de terra, de cognatione, de domo paterna, ſignificari, egrediendum nobis de terreno regno, de cognatione vitiorum noſtrorum, & de mundo, qui diaboli domus eſt, idque ſignificari Pſ.* 44. *obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.*

Sicut igitur Abraham in virili ætate *velut incipiens Geneſ. c.* 12. inducitur; ita ulteriùs c. 17. poſt egreſſum de terra, cognatione, & domo ſuâ in ſcenam hujus mundi datur tanquam *proficiens*, cui jam novum ab Omnipotente præſcribitur mandatum: *Ambula coram me.* Ne tamen præceptum iſtud Patriarchæ datum fuiſſe abſque ſpeciali lumine credatur, meminit S. textus ante omnia: *Apparuit ei Dominus.* Utique Abrahami intellectum illuminans (ut Divinam juſſionem priori longè perfectiorem ritè perciperet) & voluntatem efficaciſſimis præſentiæ, & ubicationis Divinæ motivis ad ſuavem virtutis amplexum alliciens, impellénſque. Antè jubetur egredi, & terrena deſpicere; nunc jubetur altiùs agere, & *ſemitam virtutis* intrare, ſeu ambulare coram omniſcio oculo, coram *luce verâ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Et verò *viam illuminativam* Doctores Myſtici derivant *ab illuminando.* Aſt unde major purgatæ à vitiis animæ affulgeat lux, quàm à gratioſa Divinitatis irradiantis præſentia? Omnibus quidem præſens eſt Deus, ſpeciali tamen luce juſtos in via virtutis incedentes pervadit, cùm impii velut ad ſolem caligantes fulgorem cœleſtem haud percipiant. Tunc unicuique noſtrûm (*Deitati totus immerſus Auguſtinus l.* 83. *qq.* 12. *declamat*) ſimul eſt Deus, cùm men-"tis noſtræ illibata puritas in ejus "præſentia ſe eſſe putaverit. Ut enim "viſus oculorum, ſi fuerit vitiatus, "quicquid videre non potuerit, ad-"eſſe non putat; fruſtra enim cir-"cumſtat oculos præſens imago re-"rum, ſi oculis integritas deſit: ita "etiam Deus, qui nuſquam deeſt, "fruſtra pollutis animis præſens eſt, quem

"quem videre mentis cæcitas non "poteſt. Senſit ipſemet hic S. D. in tarditate ſuæ converſionis *cæleſtem lucem*, ſed expertus eſt, oculis ægris odioſam eſſe lucem, & obſcuram Dei præſentiam, quæ puris eſt amabilis. Hanc veritatem expreſſit Juſtus Lipſius *Manu. l.* 1. *diſs.* 13. *improbis*, ſcribens, *& ſervilibus animis diſplicet, quidquid probum, rectum, & honeſtum eſt.* Atque exin R.mus Picinellus interprete R.mo Auguſtino Erath *in Mundo ſymbol. l.* 5. *n.* 40. virtutem impiis odioſam eſſe, ſicut lucem malè affectis oculis, pulchro explicuit lemmate: ÆGRO INVISA LVMINI.

Duas autem præcipuas qualitates à luce participat Divina præſentia: ſicut enim lux *ſplendet, & ardet;* ita præſentia Dei familiarem ſibi animam *illuminat, & accendit.* Utrumque irradiatus Doctor *in Pſal.* 118. *ſer.* 18. demonſtrat, *Deus*, inquiens, *per ſe ipſum, quia lux eſt, illuminat pias mentes, ut ea, quæ Divina dicuntur, vel oſtenduntur, intelligant.* Atque *L. ſoliloq. c.* 3. *& L.* 10. *confeſs. c.* 34. ardentia repetit lucem amantis ſuſpiria mentis: "O "lux, quam videbat Thobias, "quando oculis clauſis docebat fi-"lium vitæ viam! O lux, quam vi-"debat Iſaac interiùs, quando cali-"gantibus oculis exteriùs filio futu-"ra narrabat! lux, inquam, invi-"ſibilis, cui abyſſus humani cordis "eſt viſibilis! O lux, quam Jacob vi-"debat, quando, ſicut tu intus "docebas, filius exteriùs futura "prædicebat! Illuminare ergo lux "mea, illuminatio mea! Si Divina præſentia pro illuſtrandis mentibus, velut *lux cæleſtis*, comparatur, & viam illuminativam ſummoperè perficit, rogabis fortè, illuminate viator, quos fructus ſit inde percipere? & ecce! lubens repono haud exiguos, verùm maximi momenti plurimos te aſſecuturum. Sint interea, donec plures experiaris, tibi ſequentes ad uſum.

Fructus primus D. præſentiæ, ſeu cæleſtis lucis eſt, fugare peccata; non enim tenebras vitiorum ſecum compatitur. Ita S. Ignatius Heronem à peccando retrahit brevi monito: *Memento Dei, & non peccabis.* Ita Clemens Alex. *l.* 3. *Pæd. c.* 9. aſſeverat ſuis Diſcipulis, *hac ſolùm ratione fieri, ut quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat.* Ita S. Ephrem impudentiſſimam meretricem ad caſtiorem reduxit vitam, dum in publico ſcelus committere nollet foro. Ita Suſanna mori maluit, quàm peccare *in conſpectu Domini.*

2.dus eſt tentationum victoria, inimicorum ſubactio, & periculorum evitatio. Ita hoſtibus undique circumdatus Rex præſentiâ Dei confortatus, inimicorum inſidias nullas formidavit *pſal.* 22. *etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Ita S. P. Aug. *in Pſal.* 61. efficaciam

Digitized by Google

ciam præſentis oſtendit Numinis,& contra inimicorum incurſus puſillanimes fortiſſimè obarmat: *Qui dat poteſtatem tentatori, ipſe tentato præbet miſericordiam; ad menſuram enim permittitur tentare diabolus. Noli ergo timere, permiſſum aliquid facere tentatorem; habes enim miſericordiſſimum Salvatorem. Tantùm permittitur ille tentare, quantùm tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis, ut, qui te neſciebas, à teipſo invenîaris.*

3.tius eſt excitatio ad amorem Dei; unde oritur mira in corde lætitia. Ita David *Pſal.* 15. poſt præmiſſam Dei præſentiam: *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, mox ſubdit: *propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.* Sicut enim verò *inviſa diligi poſſunt* quidem, *incognita nequaquam*, teſte S. P. N. *l.* 10. *Trin. c.* 1. & juxta Philoſophos *non præcognitum, non poteſt eſſe volitum*: ita à contrario ſummum bonum (*inviſum licèt*) continuò à nobis cognitum, & conſtanter menti noſtræ præſens, non poteſt à nobis continuò non amari; nam *Deus accendens mentium noſtrarum lucernas* (per piarum cogitationum à ſe immiſſarum ſuaſiones) *& igne nos ſuæ charitatis inflammans* (voluntatem noſtram ad executionem rei inſpiratæ ab ipſo incitando) facit, *ut non ſolùm ipſum, ſed etiam quidquid diligit, diligamus.* Ecce duas qualitates illuminandi, & accendendi divinæ præſentiæ! ut habet S. Leo *ſer.* 1. *de jejun.* 10. *menſ.* Prout clariori calamo explicat Lanc. *op.* 4. *c.* 16. Volens enim Deus aliquos evehere per viam illuminativam ad magnam perfectionem, & acquiſitionem eximiorum donorum cooperando ad illa, valde illuſtrat intellectum per pias cogitationes à ſe immiſſas, per conſiderationes, ac meditationes pias, quibus Deus præſentiſſimus nobis fit, tum extraordinariis illuſtrationibus, per quas voluntatem noſtram ex ſe cæcam inflammat ad exercitium virtutum internarum, & externarum.

4.tus ex priori enaſcitur; præſentia enim Dei fugat iram, coercet concupiſcentiam, diſtractiones avertit, hominémque efficit perfectum. Ita Doſitheus cogitando ſemper Deum ſibi præſentem ex diſſoluto milite Monachus perfectus evaſit; ut habetur in ejus vita.

Quintus fructus Divinæ præſentiæ eſt, quòd hominem cælo ſimilem faciat: ſicut namque in cælo à Beatis ſemper conſpicitur Divina eſſentia, continuò adoratur, & glorificatur, & inde maxima etiam in Sanctos redundat gloria, juxta illud: *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua:* &, *inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* Ita cæli delicias prægustare in terris, præſentis Dei memoria in nobis facit. Hinc monet S. Ephrem: *ſemper Dei memineris, & cælum mens tua evadet.* Angelis etiam, qui ſemper vident faciem Patris, viatores *Dei memoria* aſſimilat.

eat. Proin, ſi vis eſſe perfectus, ſi conaris perfectè legem, & voluntatem Dei implere, ambula jugiter coram Deo, & brevi eris perfectus: nam *lux cæleſtis* circumdabit te, intellectum illuſtrando, & voluntatem ſupernaturalibus gratiis ad altiora promovendo, inflammandóque, cùm nequeat otioſa perſiſtere in deſiderante: ſemper enim *ſplendet, & ardet* lux cæleſtis.

Viam hanc illuminationum Divinarum radiis fulgentem magnis paſſibus ingreſſus eſt B. Joannes Hortulanus à Dionanto Belga; uti ex ſequenti vitæ ejus periodo clarè perſpicere eſt: virginitatem enim, quam illibatam à puero ſervavit, tumulo intulit. Canonicum noſtrum inſtitutum in Oegniacenſi Cœnobio amplexus, plures animas vitiis immerſas, & ob hoc æternùm perituras, virtutum ſuarum exemplo, ſacriſque adhortationibus ad meliorem frugem reduxit. Cùm eum fatali lectulo decumbentem B. Maria Oegniacenſis, quæ illum intimè amans Patris loco habebat, inviſeret, frequentes Angelos lætiſſimos lectum Joannis circumſtare conſpexit, gratiſſimúmque odorem perſenſit, ita ut præ gaudii magnitudine ſe ampliùs continere non potuerit, quin & ipſa tripudiaret. Ad hæc Divinitùs didicit, Joannem, eò quòd in vita ſua tot, & tanta opprobria, atque perſecutiones Chriſti cauſâ æquo ſemper animo perpeſſus eſſet, inſuper tam rigidam duxiſſet vitam, nec non tot animas Chriſto lucrifeciſſet, citra ullam purgatorii moleſtiam liberè ad cælos evolaturum. Itaque quoties ejus ſepulchrum, quod Oegniaci viſitur, Maria præteriret, ſubmiſſa ſemper capitis inclinatione illud venerata eſt. Subinde verò, cùm & ipſa ſupremo morbo laboraret, adſtantem ſibi habuit Joannem, comitatum à Richardo noſtro, viro pientiſſimo, in expiatoriis flammis tamen adhuc detento; qui miſſi ideò fuêre à Domino, ut ſolatio Mariæ eſſent. *Ex vita B. Mariæ Oegniacenſis per Jacobum Vitriacum conſcriptâ. l. 2. c. 3, apud Arnoldum Raiſſium, in auctario ad natales Sanctorum Belgii Joannis Molani 23. Junii.*

Joannem in virtutum ſplendore ſecutus eſt B. Pontius Falcinas, primus Abbas Monaſterii Sixienſis in Sabaudia. Oriundus is erat ex Illuſtriſſima Falcionatum Baronum familia, Canonicúmque Regularem primitùs egit in Abbatia Abundantiana: inde tranſlatus ad clavum Sixienſis Abbatiæ, ut novæ Religioſorum Canonicorum coloniæ primus præeſſet. Fuit autem vir & ſanctimoniâ, & doctrinâ clariſſimus, quem Deus variis poſt mortem ad ejus ſepulchrum patratis miraculis illuſtriorem fecit. Anno 1620. decimo octavo Calendas Decembris cùm illius tumulum S. Franciſcus Saleſius Gebennenſium Epiſcopus magna cum reveren-

verentia januis clauſis referâſſet, unumque ex oſſibus illius manu tangeret, id tantiſper elevans, *Ecce*, inquit, *os magni viri, qui multùm pro Domino, ejusque ſancta Eccleſia laborâvit.* Quod effatum prophetico Saleſii Spiritui tributum fuit. Præterea Saleſius digitum B. Pontii ſecum aſportavit non ſine querula voce, quòd nemo hactenus tanti viri res præclarè geſtas, nec non miracula poſteris hominibus ſcripto reliquerit. Ad apertionem ſepulchri vir quidam, qui tum fortè aderat, ab anno magnis febribus divexatus, imploratâ B. Abbatis apud Deum intercesſione, ſubitò ſanatus fuit. *Ex vita S. Franciſci Saleſii Lugduni editâ F. mihi 247. & 441.*

His accedit R.mus Clemens Claudioceſtrenſis Anglus, Abbas Langthonienſis Cœnobii. Cùm propter frequentes nobilium viſitationes, & quotidianum hominum accurſum deprehenderet, ſe à ſtudiis litterarum diſtrahi, &, quò minùs res cæleſtes contemplari poſſet, impediri, ſeceſſit in Calabriam, & in alio Ordinis noſtri domicilio, remotus ab omni forenſi ſtrepitu, liberiùs orationi tam vocali, quàm mentali, nec non lectioni, ac ſcriptioni vacavit, illuſtréque nomen, quantumvìs ſolitariam ageret vitam, in omni vicinia conſecutus eſt. Paralyſi tactus obiit die incerto, Anno 1170. *Ex Joanne Pitſio de Scriptoribus Angliæ.*

Innumeris prætermiſſis, viatorum illuminatiſſimorum agmen claudat Venerandiſſimus Nicolaus Grenierius Pariſienſis florentiſſimi Collegii S. Victoris Prior, & Congregationis Præpoſitus religioſiſſimus. Prognatus fuit Pariſiis Anno 1505. Patre Umberto Grenierio Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XII. cubiculario, Matre Genovefa Cockia: à quibus humanioribus, ac philoſophicis litteris imbuendus, præclaris Pariſienſis Academiæ Magiſtris traditus erat. Agebat annum ætatis decimum ſeptimum, cùm ſanctioribus radiis à Spiritu ſancto illuminatus, mundo ejúsque vanitatibus valedixit, & Ordini noſtro Canonico in celeberrimo ad S. Victorem Pariſiis Collegio An. 1522. die 22. Aprilis nomen dedit ſub Joanne Borderio Abbate. Vir certè magnâ pietate, nec minori doctrina inſtructus; uti varia ab ipſo conſcripta, lucique data opuſcula probant. Prælaturas binas geſſit Pariſiis, & Athiæ: ubi ſimul ſexennio populum è ſuggeſtu maximo animarum fœnore edocuit, inſtitutis etiam variis piis ſodalitiis, quorum aliqua hodiedum vigent. Intenſo ferebatur amore erga Deum, ejusque ſanctiſſimam Matrem. Henricus II. Galliæ Rex, aliíque ejus Regni proceres Nicolaum magno proſecuti fuerunt amore, ac benevolentia: Hæretici verò, quorum impoſturas, & falſa dogmata ſcriptis

Digitized by Google

ſuis editis laceſſebat, fatali adverſùs eum odio ferebantur, ita ut ſæpius vitæ ſuæ inſidias ſtruerent, certò certiùs eandem ipſi adempturi, ni Divino nutu præſervatus fuiſſet. A ſupremo Pariſienſium Dicaſterio reformationis quorundam diverſi Ordinis Monaſteriorum ei demandatæ provinciam tanto Zelo, tantâque dexteritate obibat, ut brevi temporis ſpatio dicta religioſa domicilia priſtino ſuo vigori, ac religioſæ obſervantiæ reſtituerit. Congregationi victorinæ præpoſitus maximè adlaboravit, ne quidquam admitteret, quod ſtatutis religioſæ diſciplinæ contrairet, aſſiduò incumbens Canonicorum ſuorum ſaluti ſpirituali, & litterariæ eruditioni, nec non evulgandis variis ingenii ſui fœtibus; licèt debilis, ac delicatioris eſſet naturæ, podagrâque multùm laboraret. In vivis eſſe deſiit Pariſiis 5.to Januarii An. 1570. ætatis 65. Religionis 47. Elogium illius complectitur ſequens.

EPITAPHIUM.

Seu confecta fuit ſenio, ſeu floruit ætas,
Hunc tenuit quovis tempore cura triplex:
Fundere vota Deo, Scripturæ incumbere ſacræ,
Imbuere hanc ſacram Religione domum.

Ex monumentis Pariſiis transmiſſis ex S. Victore apud Reverendiſ. Grueber in theat. virtut.

ARTICULUS III.

De Via unitiva.

SUMMARIUM.

338. *Finis, & conditiones viæ unitivæ ſtatuuntur.*
339. *Media ad eam generalia, &* 340. *ſpecialia referuntur.*
341. *Stimuli excitantes.* 342. *contraria.* 343. *Fontes impedimentorum. Amoris iter. Exempla.*

338 Via unitiva, ut patet ex n. 283. & ſeq. ideo dicitur, quòd à vitiis purgati, & in virtutibus illuminati, ac perfecti ad ulteriorem perfectionem tendentes, cæleſtem quodamodo ingrediantur viam, & terrena penitus faſtidientes, nil aliud cupiant ampliùs, quàm diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Finis* ergo, & *perfectio* viæ unitivæ conſiſtit in unione cum Deo, & perfecta conformitate voluntatis noſtræ cum Divina. Quotupliciter fieri poſſit unio cum Deo, explicatum eſt à n. 385. Proin ibidem dicta hìc non repetenda eſſe

Digitized by Google

eſſe, cenſeo. Ad perfectionem viæ unitivæ ſequentes requiruntur conditiones. 1. ut unio cum Deo *ſit pura quoad intentionem*; nempe ut omnes actus interni, & externi ſint eliciti ab ipſa, tam proprii (*ut ſunt actus amoris Dei, reſignationis, Zeli gloriæ divinæ*) quàm imperati per ipſam (*uti ſunt actus aliarum virtutum proprii, ex motivo tamen charitatis Dei eliciti:* atque ex puro corde rectà in Deum propter Deum, per ſe infinitè amabilem, ſine ſpe præmii, vel metu ſupplicii tendant. 2. conditio eſt, ut hæc unio, ſeu charitas Dei *ſit magna, & intenſa quoad gradus*; id eſt, ut actus tam proprii, quàm imperati alacriter, faciliter, cum intenſo conatu, & inſatiabili deſiderio exerceantur. 3.tia conditio eſt, ut unio *ſit fortis, & conſtans* per extenſionem ad omnia objecta, ad omnia tempora proſpera, & adverſa, ad omnes modos conſolationis, & deſolationis. Inſuper *æqualis* habeatur *intentio* amandi Deum, ejúſque gloriam promovendi, non obſtante tentatione, tribulatione, ariditate, oblocutione aliorum &c. ut poſſimus dicere, ſicut in via unitiva verſatiſſimus exclamavit Apoſtolus: *quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? &c.* cum certitudine, *quòd neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro.* Ad Rom. 8.

Media tum acquirendi, tum 339 conſervandi perfectionem hujus viæ conſiſtunt in his. 1. excitare deſiderium fervens, & conſtans conformandi ſe cum voluntate Divina, & evellendi ex ſe omnem affectum ad creaturas. 2. conari proficere in dies in perfectione viæ purgativæ, & illuminativæ, maximè in continua abnegatione, & mortificatione amoris proprii, in aſſidua virtutum ex motivo puro amoris Dei exercitatione, ita, ut actus proprii aliarum virtutum ex amore Dei ardentiſſimè eliciantur, præſertim in purgativa actus contritionis, compunctionis, doloris &c. 3. actus internos, maximè amoris, reſignationis, Zeli gloriæ Dei, ſalutis animarum ſæpius excitare, & exercere, proximè in meditatione, & breviter per ſuſpiria, perfectiſſimè, hoc eſt, latiſſimè quoad omnia objecta, puriſſimè quoad intentionem, intenſiſſimè quoad conatum, inſatiabiliſſimè quoad deſideria ſuper vires. 4. eodem modo exercere actus externos, conjunctos internis circa objecta difficilia; injurias maximas, dolores corporis, angores mentis in maxima deſolatione grato, & hilari animo acceptare de manu Dei ex puro ejus amore, cum deſiderio duriora perferendi. 5. omnes alias virtutes, & actiones indifferentes elicere ex amore Divino. 6. poſt lapſum ſe humiliare

Digitized by Google

re, proponere emendationem, conſiderare Chriſtum, cauſam exemplarem, meritoriam, & horum omnium efficientem.

340 Alia porro media ad eximiam Religioſorum perfectionem ſuggerit S. quidam Doctor apud Cornelium religioſiſſimum Com. in Gen. c. 17. ſcilicet 1. ambulare jugiter coram Deo. 2. in omnibus tam triſtibus, quàm lætis conformare ſe voluntati Dei. 3. recipere ſe in fundum animæ, ac inibi diligenter ſcrutari, v.g. quid te maximè inhibeat, & deſtineat, ne purus ſis, liber, & agilis ad obſequium Dei, omnémque virtutem: & hunc laqueum, qui te detinet, radicitùs reſeca, alioqui fac, quod vis, omnia erunt fruſtra. 4. cùm natura noſtra fallaciſſima ſit, ac mille angulis, & verſutiis prædita, in quibus ſe ipſam fovet, ac retinet, funditùs ea extirpentur. Inter hæc maximum eſt, quod etiam Sanctos tenet, velle videri, velle, ut alii ad eos ſe convertant, ut ipſis deferant, ipſos honorent. &c. Hoc planè abnegandum eſt, ut funditùs venias ad illud Joan. Baptiſtæ: Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti. 5. hinc abſtrahe te ſaltem mente ab omnibus hominibus. 6. expedi te ab omnibus rebus, quæ ſi tibi acciderent, affectûs adhæſionem, & curas nimias, ac ſolicitudines adhærerent. Sic à quibuscunque intro receptis imaginibus mundum, & liberum te ſervabis. 7. animum tuum fige in Deo, quaſi in ſcopo, cætera opera bona huc refer, tantúmque ex iis aſſume, quantum tibi ad finem hunc utile eſt. 8. ſic te in omnibus Deo reſigna, ut ſi quis vaſto jactetur pelago, ac pallio reſideat; talis enim quid agat, niſi ut Deo ſe totum reſignet? ſic & tu facito. 9. diſce contemnere omnia, & contemni ab omnibus; ut cum S. Paulo fias purgamentum mundi, & peripſema omnium.

Stimuli viæ unitivæ deſumuntur ex puro amore Dei, & Zelo ipſius gloriæ, deſiderio ſe conformandi ejus beneplacito: itaque ſi cum Deo uniri cupis. 1. conſidera, quàm ſit bonus Deus, & infinitè amabilis; eſt enim fons omnis boni, eſt infinitè pulcher, ſuavis, & delectabilis. 2. contemplare, quàm ſummè ſit liberalis; comunicat enim ſe creaturis, & quidem gratis. v. g. homini dat eſſe naturale quadruplex, *eſſe*, ſcilicet, *vivere*, *ſentire*, *intelligere*: item dat eſſe quadruplex ſupernaturale, *eſſe gratiæ*, *eſſe gloriæ*, *eſſe perſonale Verbi*, *eſſe ſeipſum in Euchariſtia*. 3. attende ſummum Dei in homines amorem ſecundùm quatuor dimenſiones, *longitudinem*, *latitudinem*, *altitudinem*, *& profunditatem*. 4. cogita, quòd planè ſummo amore ſit dignus, & reverentiâ ob infinitam ejus excellentiam. 5. perpende, quàm ſit providus Deus erga electos ſuos, dum varia, & congrua illis parat 341

media

media perveniendi ad ſummum ſui amorem, ſalutem, & æternam conſequendi gloriam. 6. meditare, quòd ſit ejus voluntas; præcipit enim, ut eum amemus: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* 7. quòd ſit ſumma obligatio amandi eum; eſt enim finis noſter, & centrum noſtrum. 8. conſidera exempla Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, quomodo hanc viam tenuerint; cùm iſti nullis illecebris, tentationibus, & martyriis ſeparari potuerint à Deo. Tandem conducit ad hanc *viam unitivam*, ejus naturam & proprietates bene perpendere, & actus charitatis Dei, & proximi, gratitudinis, reſignationis &c. frequenter exercere, & ſæpius meditari de his; nam in meditatione maximè accenditur animus, ad magna audenda roboratur, vitia extirpat, heroico niſu aggreditur virtutes, & in charitate Dei per efficacem gratiam inflammatur; ſicut antecedente capite probatum eſt.

Contraria viæ unitivæ ſunt: 1. te-
342 por, & frigus devotionis in uſu Ss.mæ Euchariſtiæ. 2. oratio vocalis, & mentalis, ſine ſenſu, affectu, & fructu peracta. 3. faſtidium lectionis librorum piorum, defectus guſtûs in piis colloquiis. 4. rara collectio per ſingulas horas, & per exercitia præſentiæ Divinæ. 5. rara, & frigida exercitatio actuum internorum, amoris Dei, & proximi. 6. nullus conatus in operibus, purè ex amore Dei peragendis. 7. nulla attentio, vel intentio in actibus externis. 8. fuga laborum, quibus proximus juvari poteſt, & Dei gloria promoveri. 9. languor, tum in cultu Divino, tum in cultu Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum. 10. deſperatio viæ unitivæ acquirendæ, ficta impoſſibilitas familiaritatis Dei, ac tandem abnegatio perfectæ reſignationis voluntatis noſtræ in Divinam.

Si fontem omnium contrario- 343
rum, ſeu impedimentorum inſpicere velimus, facile tam in via purgativa, & illuminativa, quàm in via unitiva ea comprehendere eſt, ſi ad ſequentes fontes, unde effluunt rivuli, perfectè attendatur. 1.mus ergo fons eſt neglectus mortificationis vitioſorum habituum, & paſſionum. 2.dus pigritia, & puſillanimitas, difficultatis, & continui laboris horror; verbo, defectus magnanimitatis. 3. defectus fiduciæ Divinæ, & confidentiæ in propriis viribus; qui enim cum his nihil proficit, animum deſpondet. 4. ſuperbia, & amor inordinatus æſtimationis propriæ laudis, vanæ gloriæ, unde oritur neglectus puræ intentionis, & exercitii humilitatis. 5. indulgentia nimia in ſenſualitate, in commoditate corporis, in recreatione, & ſenſuum libertate. 6. remiſſio in actionibus, orationibus ordinariis, uti in meditationibus, & quotidianis devotionibus erga

Chriſtum, Beatiſſimam Virginem Mariam, & S S. Patronos. Certè, ſi quid aliud diſplicet Divinæ Majeſtati, eſt omiſſio conſuetarum precum, & exercitiorum ſpiritualium, ex præſcripto ordinationis Divinæ peragendorum. 7. defectus candoris, confidentiæ, & amoris erga Superiores. 8. abſentia ſtudii indifferentiæ; dum quis Divinæ providentiæ, & S. obedientiæ committere ſe nolit ex immortificatione proprii judicii. 9. defectus præſentiæ Dei, recollectionis diurnæ, & intentionis, actiones bene ad Deum referendi. 10. nimia ſcrupuloſitas, & anxietas, conjuncta cum diffidentia in Dei bonitatem. 11. ingratitudo animi pro beneficiis Divinis, oblivio gratiæ vocationis, & officii noſtri. Hi ſunt fontes, unde ſcaturiunt defectus innumeri, qui contrariantur profectui ſpirituali in tribus viis perfectionis religioſæ. Hinc magis oportet examinare modos, quibus obſtrui valeant hæc impedimenta; quod ſequentibus articulis ſatis præſtabitur.

AMORIS ITER.

Faciliorem, dulciorem, & jucundiorem viam animæ ad Deum ſummum bonum non eſſe, *amoris viâ*, teſtatur experimento cæleſtis ſuavitatis edocta, & amoris ægritudine langueſcens Sponſa *cant.* 1. *Trahe me*, dilecte, *poſt te*; *curremus in odorem unguentorum tuorum*: ubi S. P. Auguſtinus *tract.* 26. *in Joan. quia, quo currit ſponſa, trahitur à dilecto, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Atque hinc ſponſam imitatus ipſe amorem ſuum erga Deum ponderi aſſimilat, identitem ingeminans: *Amor meus pondus meum! illuc feror, quocunque feror.* Felix amoris iter! quia rectà ad Deum tendit, & conſtanter unit amantem & amatum. Vis ergo proficiſci ad infinitè amabilem? amoris iter relictis terrenis affectibus aggredere, & viam unitivam amplectere; ubi tot *gradus*, quot *affectus ſunt: iter tuum voluntas tua eſt. Amando aſcendis, negligendo deſcendis. Stans in terra, in cælo es, ſi diligas Deum.* Ita te docet in amoris itinere verſatiſſimus Dux noſter *in expoſ. pſ.* 85. Et verò magna amoris vis; nam parit unionem, & mutuam inhæſionem, qua ſe amant, & redamant Deus & homo, ſibique viciſſim bona volunt, & procurant; ut dicant cum ſponſa in cant. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Duas iſtas amoris proprietates inflammatus Doctor perpendens, præfatur *in pſ.* 31. *Charitas non permittit aliquid mali te facere ei, quem dili-*

diligis ; nec permittit te non præſtare, quidquid potes ei, quem diligis. Et L. *de Trin.* 9. *c.* 2. *Quid eſt amor*, inquit, *niſi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur.* Hinc amorem pueri ſpecie viſendum R.mus Picinellus ſub hoc lemmate exhibet: UNIT & FOVET. *Quemadmodum enim*, perorat Philippus Berualdus apud R.mum Aug. Erath in Mundo ſymb. *radius à ſole, calor ab igne, frigus à glacie, candor à nive nequeunt ſeparari : ita ab amore divelli non poſſunt benevolentia, ſatietas, neceſſitudo, concordia.* Ex his dimanat tertia amoris proprietas, aſſidua nempe cogitatio amati Numinis; verſatur namque ante oculos mentis amantis continuò Deus. Cùm enim amor ſit nexus animorum, nectere non poteſt animos, ſi non jungat cogitationes. Sic magni Auguſtini ſcitum eſt *l.* 9. *de Trin. c.* 5. *Amici corpore videntur ſeparari poſſe, non animo.* Tandem neceſſariò conſequitur transformatio amantis in amatum. Ita S. Dionyſius *de Div. nom. c.* 4. *Amor*, inquit, *eſt virtus faciens unionem.* Et rurſus: *Extaſin facit Divinus amor, amatores ſuo ſtatu dimovet, & ſui juris eſſe non ſinit, ſed in ea, quæ amant, penitùs transfert.* Ita quoque Phœnix noſter *tract.* 2. *in Ep.* 1. *Joan.* transformationem iſtam charitatis animadvertit: *Talis enim quiſque noſtrûm eſt, qualis eſt ejus dilectio. Terram diligis, terra eris ; Deum diligis, Deus eris.* Ita S. Paulus fatetur, ſe jam non vivere, vivere verò in ſe Chriſtum, *Ad Gal. c.* 2. Ut ergo effectuum amoris particeps fias, illud Poëtæ in hac vita, & via cordi tuo diligenter imprime:

> Religioſe, viam tibi quæris ad aſtra, viator;
> Sit regale tibi dulcis amoris iter.

S. Raymundus Tholoſárius Gallus, Epiſcopus Barbaſtrenſis, Patrem habuit Heliam è Franciæ Regum proſapia : cujus cura liberalibus primùm diſciplinis inſtructus, militaribus mox caſtris adſcriptus eſt : ſed poſthabitâ ſæculari militiâ, Divinæ nomen dedit in Eccleſia S. Antonini Appamiarum; ubi regularis Canonicorum vigebat diſciplina. Sic mundi pompis exutus, Chriſti paupertatem induit, & religioſum ſecutus inſtitutum, tantâ virtutum omnium laude floruit, ut S. Saturnini Tholoſatenſis Canonici Regulares eum in Abbatem expetierint, ſuo è vivis ſublato. Vocantem huc Deum ſecutus eſt, & acceptâ paſtorali ſollicitudine, humilitatem, ac manſuetudinem ſic coluit, ut ſuis potiùs ſervierit, quàm imperaverit : inde virtutum ejus odor ultra Pirenæos montes diffuſus, Barbaſtram uſque Hiſpaniæ citerioris urbem pervenit : quo factum, ut Cleri, populique ſuffragiis in hujus civitatis Præſulem electus fuerit: quibus & ipſe Arra-

goniæ Rex Petrus lubens ſubſcripſit, legatúmque ad Raymundum miſit, qui ipſum non indicatâ causâ ad ſe accerſeret. Paruit quidem: verùm Petro, ad quem pergebat, jam mortuo, Alphonſum ejus ſucceſſorem adiit; à quo benignè exceptus, conſecrationis beneficium, & paſtoralis officii munus ſubire coactus eſt. Suſceptâ igitur animarum curâ, vivendi licentiam, quæ ſumma tunc erat, & perditos Chriſtianorum mores inſequi non deſtitit: templa, Maurorum ſtrage diruta, inſtauravit, & Canonum leges abrogatas reſtituit. Verùm cùm Regem ob bellum in Chriſtianos ſuſceptum liberiùs reprehenderet, apud Ruthenſes, malis cujuſdam Epiſcopi artibus, qui Barbaſtrenſem Epiſcopatum invadere tentabàt, exulare juſſus eſt. Ibi à Canonicis Regularibus Eccleſiæ Ruthenſis exceptus, oblatum eorum regimen non abnuit, ſed eo in munere conſtitutus, Deo ſic ſe mancipavit, ut orationibus, jejuniis, ac aliis piis operibus ſemper intentus, cæleſtis vitæ genus in terris duxerit. Sed Cæleſtinus Pontifex hanc injuriam, inſonti Præſuli illatam, ferre non ſuſtinens, Oſcæ Epiſcopum criminis conſcium, & authorem, anathemate percuſſit: qui, licèt reſipiſcens, divinâ hoc agente juſtitiâ, à ſicariis invaſus miſerè interemptus eſt. Quod, ut Rex animadvertit, Raymundum citiùs ab exilio revocavit, in ſuam recepit gratiam, & in infideles cum exercitu procedens, eum ſibi comitem adjunxit; nec fruſtra, ſiquidem ejus precibus hoſtes fugati, deletique ſunt. Rex verò, cùm ei acceptam referret victoriam, ſtipendiúmque non vile tanto pararet militi, æternum in cælis donavit Chriſtus. Mortuo igitur non ſolùm allachrymatus eſt Alphonſus, ſed etiam publicam ab Epiſcopis exoravit, ac ſuſcepit pœnitentiam, ut crimen, quod in Sanctum perpetrârat, expiaret; quin imo ejus tumulum multis ornavit donariis: quem Deus variis decorabat miraculis. *Ex officiis propriis Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ, Pariſiis an.* 1666. *impreſſis.*

Ut à via unitiva non ampliùs abduceretur B. Heldemarus, ſæculi pompas abjecit, & vaſtiſſimam petiit eremum: ubi è cella ad cælum pervium ſine obſtaculo reſtaret iter animæ cum ſolo Numine conjunctæ. Tornaci is haud ignobili ſatus ſanguine cum Conone (qui poſtea Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, & Apoſtolicæ Sedis fuerat legatus) relictâ patriâ, venit in Angliam, ſeveriorum muſarum attractus curâ. Hìc uterque alta adeo ſcientiarum jecerat fundamenta, ut Canonicæ Religionis habitu, & pòſt Sacerdotii gradu digni, Guilielmo primo, Anglorum Regi unus, Reginæ Mathildi alter à ſacratioribus fuerint obſequiis. Aulæ mollitiem

averſatus, Anglis valere juſſis, religioſam ad Sanctorum lipſana inſtituit peregrinationem Heldemarus, & ſecum in Patriam Cononem fidum reduxit Achatem. Verùm ducente cælo, in ſilva Aridagamantia ad truncum Berengarii latrociniis famoſum Eremiculam offendunt Rogerium, antehac familiariter notum. Hîc ergo perſiſtit Beata virorum trias, compari conſilio ſerviendi Deo: ad honorem SS. Trinitatis conduntur ædes, & Aroaſienſi Congregationi Canonicorum Regularium prima jaciuntur fundamina An. Chriſti 1090. quæ à Conone Heldemari ſucceſſore, ac purpurato, eminentior poſtea reddita, ſacris Reliquiis copiosè ditata, inſignium Abbatiarum caput, & in præſens ſæculum effloret celebratiſſima. Tantos ex ſterili ſaltu ne mirare fructus, Lector; fœcunda etenim radix, Heldemari primi Abbatis ſanctitas; cui proprius acceſſit cruor, ariditatem omnem abſtergens. A quodam nominetenus Clerico, qui ſeſe cum Heldemari ſociis Deo ſerviturum ſimulaverat, læthaliter vulneratus, non tantùm vindictam non poſtulavit, ſed, cùm & auſu ſacrilegeo inſontem ipſum Rogerium occidiſſet, homicidæ lubens veniam conceſſit, precéſque pro eo ferventes ad Deum fudit, & tandem 13. Januarii 1097. vitam mortalem exuit, æternam, ac felicem Martyr aditurus. Ab obitu miraculis inclareſcentis ſepulchrum Conon ſucceſſor, ac dein Cardinalis legatus, cùm ad ſuos Aroaſienſes divertiſſet, elevari, & deſuper oratorium conſtrui curavit, lapidi inſcripto ſequenti thanatogrammate:

CENOTAPHIUM

B. Heldemari Aroaſienſis.

Quem tegit iſte lapis, noſtri decus extitit orbis:
Martha labore gregi, mente Maria ſibi.
Mente vigens, actúque potens, ſignísque refulgens,
Infima deſpiciens, ſoláque ſumma petens.
Hæc Heldemarus loca fundans, ipſa ſalubri,
Arida quæ fuerant, rori ſer imbre rigat.
Furis hic impuri transfoſſus tempora ferro
Martyr Martyrii præmia conſequitur.
Idibus huic Jani vitam ſine fine quietam,
Abſque labore diem dat ſine nocte Deus.

Ex Arnoldo Raiſſio in Auctario ad Molani natales Belgii. Anonymo Aroaſienſi Can. Reg. apud Joannem Bollandum tomo 1. Januarii die 13. & ejuſdem Bollandi notis ibidem.

OCcaſione hujus Hiſtoriæ (quod præterire non valeo) noſtris temporibus Scriptores quidam inſurrexerunt: qui, ut Canonicos

Regulares Monachos, aut Monachis ſimillimos efficerent, leviſſimo hoc argumento uſi ſunt, quòd multi S. Fundatores, vel primi Præſides (ſicut Hildemarus, aliíque) in diſſitis, atque ab humana converſatione remotis locis, in ſilvis umbroſis, & ferarum magìs, quàm hominum receptaculis, in aſperis montibus, in vallibus profundis, aliíſque acceſſu difficilibus locis Monaſteria, ſive Collegia Canonicorum erexerint: in quibus, ſicut Monachi, ſanctam inſtituerunt vitam. Ac ſi verò ex loco habitationis & ſitu eſſentialis traheretur ſequela Monachalis inſtituti; cùm tamen ex omnium Doctorum ſententia non à loco, vel Monaſterii, aut Collegii alicujus ſitu, ſed à profeſſione in loco factâ deſumenda ſit Clericalis, vel Monachalis inſtituti ratio. Malè certò, imò peſſimè quis inferret ex loco ſolitario vitam etiam ſolitariam arguendo; cùm mala ſit hæc argumentatio: *qui in deſertis locis vitam degunt, ſunt Monachi, & Eremitæ: atqui multi ſæculares Presbyteri in deſertis locis vitam degunt* (in aſperis alpibus, in Tyroli, Sabaudia, quin etiam in Diœceſis Salisburgenſis, & Friſingenſis confinibus) *ergo multi Presbyteri ſæculares ſunt Monachi, & Eremitæ &c.* Simile argumentum à contrario formari poſſet, Monachos nempe paſſim in civitatibus viventes, tales non eſſe ob defectum loci, contemplationi in civitatibus minùs apti &c. Ergo à profeſſione Inſtituti Clericalis, vel Monachalis Clericum, vel Monachum patet, dignoſcendos eſſe, non à loco. Sic, licèt quatuor illi *Canonici Avenionenſes* urbe egreſſi, Eccleſiam S. Ruffi incoluerint, *Aroaſienſes* in denſum ſaltum ſe receperint, *Guilielmus de Campis* ſelegerit Eccleſiam S. Victoris in Suburbanis Pariſiorum; *primi Authores Congregationis Windesheменſis* in ſolitudines conceſſerint, omnes tamen iſti Clericali dignitate erant inſigniti: & nemo Monaſteriorum, & Congregationum iſtarum Authores à loco ſoltiario, quem ſibi elegerunt, & inhabitârunt, *Eremicolas*, & *Monachos* jure vocitaverit, niſi nominetenùs. Unde litigium ſolùm orirетur de *nomine*, non autem de *re*. Cæterùm nomen *Monachi* ſummis viribus à ſua profeſſione eliminare, & in aliis deprimere neutiquam contendunt Canonici Regulares, nec ringuntur, & reluctantur (ut quidam ſibi perſuaſum habent) ſed fatentur, quòd ſint Regulares; negant tamen, quòd propter tria vota religioſa (ideo Regulares vocantur) ad ſtatum, & conditionem Monachorum reducantur; aliàs Clerici Regulares Theatini, de Somaſcha, & Societatis Jeſu ob emiſſa vota æquè appellandi forent *Monachi*; quibuſcum quoad varia officia Clericalia, quæ Monachi moderno tempore cum Clericis habent communia,

nia, conveniunt regulares Clericorum, & Canonicorum Ordines. Conveniunt inſuper quoad officia quædam vitæ paſſivæ, quoad privilegia, & favores, quin tamen propter inſtitutum ex eſſentia Clericale *Monaſtici* ſint. Ob eandem analogiam domus, & collegia Canonicorum Regularium in favorabilibus nomine Monaſteriorum veniunt, ſecus in odioſis: quod idem de Monachorum nomine, Canonicis applicato, intelligendum eſt; prout docent Panormitanus in C. *quod Dei timorem.* Navar. Com. 3. de Reg. Q. 12. n. 40. Suar. t. 4. tr. 9. l. 1. c. 7. Lezana. to. 2. c. 1. n. 2. Peyrin. to. 1. priv. Conſtit. 12. Julii II. n. 2. Miranda to. 1. Q. 10. a. 5. Sanch. l. 6. mor. cap. 13. n. 1. Rodericus to. 1. Q. 1. a. 3. cum S. Th. 2. 2. Q. 189. a. 8. ad 2. ubi iſte Author Canonicos Regulares *Clericos* eſſe dicendos à Regula, quam vovent, quæque *Regula Clericorum* appellatur; & à Conſtitutionibus Pontificiis clarè deducit. Taceo noſtros Scriptores Joan. Trullum, Auguſt. Ticinenſem, Nicol. Desnos, Pennotum, Cornel. Bartholomæi, alióſque ad unum omnes pro hac ſententia militantes; quos hìc allegare non vacat. Quando ergo Canonici Regulares vel in jure, vel in Bullis Pontificiis appellantur *Monachi*, à præfata analogia provenit; dum Can. Reg. propter tria vota communem vitam regularem, obligationem horas Canonicas in choro perſolvendi, aliáque vitæ paſſivæ opera proximè Monachis accedunt: atque ex hinc Innocentius III. Canonicos Regulares *à Sanctorum Monachorum conſortio non putavit ſejunctos,* tum propter ſanctitatem vitæ, tum propter contemplandi ſtudium Clericatui Can. Reg. conjunctum, *Cap. Quod Dei timorem de ſtatu Monach. & Can. Reg.* & *Cauſa* 20. *Q.* 3. *c.* 4. Eadem habet Nicolaus Papa, & Urbanus II. aſſerens, *florentem Monachorum Religionem, & Canonicorum Regularium vitam Eccleſiæ primitivam unius penè (non planè omnino) ejuſdémque propoſiti eſſe &c.*

Dixi: *Canonici Regulares propter vitæ paſſivæ opera proximè Monachis accedunt*; ut advertas, non omnimodam eſſe convenientiam propter opera vitæ activæ, ad quæ *directè, & per ſe* ordinatur Ordo Can. Reg. ut patet ex art. 1. hujus capitis. Cæterùm quia Canonici Regulares in favorabilibus Monachorum nomine veniunt (Navarr. in *cap. Statuimus* 19. *Q.* 3. *Ca. pœna de pœnit. diſt.* 10. & parem facit diſtinctionem *Rubrica de ſtatu Monach. & Can. Reg.* ex communi DD. cùm lex pœnalis non debeat excedere proprium caſum; prout habetur in jure; hinc lex pœnalis, loquens de Monachis, non debet extendi ad Canonicos Regulares) vocari iſti poſſunt in favorabilibus *Monachi*. An verò è converſo *Monachi*

Digitized by Google

nachi jure, re, & nomine *Canonici Regulares* bene appellari poſſint, Doctorum impartiali relinquam judicio. Aſt hæc per tranſennam, & ex occaſione Aroaſienſis in vaſtiſſimo tunc ſaltu fundatæ Congregationis, ſalvâ charitate (quam, tum per nominalem tum realem utriuſque S. Ordinis convenientiam, & diſconvenientiam breviter attactam, non mihi perſuadeo ſubvertendam) non animo vellicationis appoſita ſunto. Utinam ejusmodi vitiligationes, quibus Canonicus Ordo cominus & eminus impetitur, ac continuò in armis ſtare cogitur, lethæis ſuffocarentur aquis! Ego Canonicis illam Purpurati Patris Bellarmini parœmiam, tanto Cardinale dignam, iteratò inculco: *Uncia charitatis ac pacis melior eſt librâ victoriæ.* Similis eſt hæc ſententia illi, quam fraternum inter perſonas religioſas diſſidium peroſus, nunquam verò non pacis ſtudioſus Præſul Hipponenſis protulit *ſer. 12. de verb. Apoſt. Nolo,* 434
inquit, *habere, cum quo litigem: multò eſt mihi optabilius, inimicum non habere, quàm vincere.* Cùm igitur aſcetico ſpiritu adſtruamus perfectiſſimam utriusque S. Ord. *in via unitiva* convenientiam, nil efficacius flagramus, quàm illam pacem, *ſimplicitatem cordis, amoris vinculum, & conſortium charitatis; quæ* ex mente S. P. N. *ſer. 57. de verbis Dom. ſimultates tollit, bella compeſcit, comprimit iras, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida: non quærit alienum, nihil deputat ſuum, docet amare, quæ odiſſe non novit, neſcit extolli, neſcit inflari. Hanc ergò qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amiſit, exquirat.*

ARTICULUS IV.

De fugiendis peccatis, & iis, quæ diſplicent Deo.

SUMMARIUM.

344 *Peccata maximè diſplicent Deo, quorum 3. ſunt ſpecies, vitium nempe, incontinentia, & feritas.*

345. *Violationes regularum. &*

346. *Imperfectiones noſtrorum operũ.*

347. *Omnes homines obnoxii ſunt peccatis, excepto Chriſto, & B. V. M.*

348. *Modus 1.mus fugiendi peccata eſt, nullum veniale per multos annos deliberatè committere.*

349. *2dus à certis quibuſdam abſtinere.*

350. *3.tius etiam indeliberata rarò admittere. Ubi quid ſentiendum de frequenti confeſſione ſacramentali, declaratur.* 345

351

351. *4tus. fugere venialia periculoſa.* 352. *5tus, Devitare defectus in operibus ad cultum Divinum ſpectantibus. Bona mali fuga. Exempla.*

434 TRadunt S. Aſceſeos Magiſtri cum P. Lancicio *op. ſpirit.* 3. quatuor monita perveniendi ad perfectionem, eáque à quatuor F. inchoata: *fugere, facere, ferre, ſerri.* Nunc de primo F, quod eſt, *fugere ea, quæ diſplicent Deo*, breviter aliqua tractabimus, ne ullam perfectionis viam prætereamus. Pro quo notandum 1. peccata omnia diſplicere maximè Deo, quia ſunt mala, & Regulæ Divinæ contraria. Inter hæc nominatim à Philoſophis moralibus *Eth.* 8. recenſentur tres ſpecies, *Vitium, Incontinentia, & Feritas. Vitium* eſt habitus, ad operationem legi naturali, Divinæ, vel humanæ contrariam inclinans. *Incontinentia* eſt flagitium ex vehementi paſſionum commotione admiſſum: atque diſtinguitur à vitio, quòd *hoc* ſine paſſionum commotione à ſola voluntate pendeat, *illa* paſſiones graves ſecum habeat. *Feritas*, ſeu *immanitas* eſt enormitas vitii, & ferinum, ac beſtiale quiddam præſefert, ordinarios pravitatis limites ſuperans. Et hæc teſte Ariſtotele opponitur virtuti heroicæ; quæ eſt excellentiſſima virtutis perfectio, conſtituens hominem quodammodo Divinum.

345. Notandum 2. violationes regularum religioſarum, ſtatutorum, & mandatorum, quæ ex Superiorum præſcripto fiant, etiam diſplicere Deo, juxta monitum ipſius *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Etſi enim peccata non ſint ejusmodi tranſgreſſiones, ſi fiant ſine contemptu formali, ſubinde tamen, & vix quadam carent culpa; ut docet S. Th. 2. 2. Q. 186. a. 9. ad 1. ubi ait, fieri poſſe, tales transgreſſores, *venialiter, & mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu.*

Notandum 3. non placere Deo quasdam imperfectiones operum noſtrorum; quæ quidem, per ſe loquendo, peccata, ſeu *maculæ animæ* non ſunt, *nævi* tamen reprehenſione digni vocitantur à S. Bern. *ſer.* 77. *in Cant.* Tales imperfectiones Chriſto non placentes admiſit Petrus, quando Chriſtum à morte, & paſſione retrahere volebat. *Math.* 16. Item, dum in monte Tabor cupiebat perſeverare præ nimia ſenſibili lætitia. *Math.* 17. Item quando nolebat lavari ſibi pedes à Chriſto. *Joan.* 17. Ob quas imperfectiones ullo peccato carentes (ut docent S. Th. Chryſ. Hyeron. Auguſt. Leo. Baſilius, Laur. Juſtinianus) variè reprehenſus fuit à Divino Magiſtro. Item & SS. Apoſtoli ob nimium, & humanum, ſeu ſenſibilem erga Chriſti humanitatem affectum ſatis capaces æſtimati non

 ſunt

ſunt ad recipiendum Spiritum S. impediunt enim imperfectiones quædam influxum copioſiorem gratiarum, & donorum S. Spiritûs, & aliquo modo diſplicent Deo; uti fuſiùs docet op. cit. c. 1. R. P. Lanc.

347 Notandum 4. fidem eſſe Catholicam, excepto Chriſto, & B. Virgine, homines omnes obnoxios eſſe peccatis; quia *in multis offendimus omnes.* Jac. 2. Quod ſimiliter docet conformiter Eccleſiæ Catholicæ S. P. N. L. de nat. grat. c. 30. Conc. Trid. ſeſs. 6. c. 11. Docet inſuper S. Th. 1. 2. Q. 77. cum Theologis Catholicis, *ſingula quædam peccata venialia à juſtis evitari poſſe, non tamen omnia.* His præmiſſis, ſequentes præſcribuntur modi fugiendi defectus.

348 Primus modus eſt, neque ullum peccatum veniale committere, aut per multos annos cum plena deliberatione admittere. Intelligendus tamen eſt hic *modus fugiendi*, quòd non viribus naturæ adſcribi, ſed ſolùm ex ſpeciali Dei dono provenire valeat. Hinc maximè connitendum eſt, ne deliberato animo, vel ex amore proximi, vel ex metu alicujus pœnæ, & offenſionis alterius venialem admittamus culpam. Id verò non eſt contra priori mox numero dicta; nam peccata venialia alia ſunt plenè, ac deliberatè, alia indeliberatè, & per ſubreptionem commiſſa.

2dus modus fugiendi peccata 349
venialia eſt, à certis quibuſdam peccatis, quæ virum gravem, & Religioſum dedecent, perpetuò abſtinere, v. g. à mendacio, invidia, contentione, murmuratione, jactantiâ verbis, & moribus expreſſâ, detractione &c. Sicut de B. Clara de monte falco in ejus vita, quòd nunquam mendacium dixiſſet; & de ſancta Thereſia ſcribitur, eam non fuiſſe obnoxiam mulieribus peccatis, murmurationi, detractioni, iræ, avaritiæ, invidiæ &c. & id etiam de aliis pluribus teſtatur laudatus P. Lanc.

3.tius modus eſt, etiam indelibe- 350
rata, & levia rarò committere, ſed, quia id ſpecialiſſimam Dei gratiam requirit, ad quam ingentes præcedere debent mortificationes, & opera extraordinaria, non niſi perfectionis ſtudioſiſſimi hunc obtinent modum.

Si quæras hìc, cur de quibuſdam valde Sanctis ſcriptum ſit, eos, dum vivebant, ſæpius in hebdomade, 351
vel quotidie confeſſos fuiſſe?

R. Ideo viros ſanctos confeſſos fuiſſe, & etiamnum quotidie confiteri, qui tamen perfectiſſimi videntur, quia tum ex virtute humilitatis, velut peccatores indigniſſimos ſe reputabant, vel, quia ex quotidiano examine, accuratiſſimè peracto, facilè culpam, ſeu imperfectionem, aut aliquam omiſſionem v. g. majoris fervoris, intenſi-

ſionis, & frequentioris repetitionis intentionis diurnæ, & ſimilium &c. annotabant: quæ tamen peccata venialia non ſunt; nam, ut ait S. Greg. l. 12. Regiſt. Ep. 31. *Bonarum mentium eſt, ibi etiam aliquo modo culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Vel quia hujus Sacramenti fructu carere nolebant, quem percipiunt ii, qui ad hoc Sacramentum, vel ad alia ſe ſanctè diſponunt, & cum magno animi fervore devotè ſuſcipiunt. Unde ad hoc Sacramentum pœnitentiæ acceſſerunt, & etiamnum accedunt, ut non tantùm per pios actus proprios humiliationis, amoris, fidei, ſpei, contritionis etiam de alienis peccatis &c. ex opere operantis, ſed etiam per frequentiorem uſum Sacramentorum *ex opere operato*, ut ajunt Theologi, in ſe derivarent è fonte cæleſti majora in dies fluenta Divinæ gratiæ, & participes fierent, aliorum ſupernaturalium effectuum.

351 4.tus modus eſt, fugere venialia peccata periculoſa, per quæ facilè devenitur ad mortalia: qualia ſunt cogitationes impuræ negligenter abactæ, aſpectus curioſi perſonarum formoſarum, lectio librorum nimiam curioſitatem, ſæculares nugas, vel obſcænitatem continentium, otioſæ actiones, non obſervatio diurni ordinis, negligentia executionis eorum, quæ à Superiore, vel Patre ſpirituali mandantur &c.

5.tus modus fugiendi ea, quæ diſplicent Deo, eſt, devitare omnia peccata venialia interna, & externa in operibus ad cultum Divinum ſpectantibus; qualia ſunt officium Divinum, chorus, meditatio, oratio vocalis, ita, ut ſub his operibus omni modo peccata venialia fugiamus. Sic S. Climacus *gradu* 20. inter conditiones proficientium numerat *orationem omni vitioſo carentem affectu.* Quantopere placeat Deo fuga peccatorum in ſuo cultu, docuit ipſe S. Gertrud. l. 3. c. 85. *Quicunque ad laudem meam ſtudet in Divinis negligentiam præcavere, & alios etiam ad idem promovere, pro illo ego ſuppleo, quidquid ipſe neglexerit in debita devotione, & intentione.* Ita S. P. N. jubet in S. Regula excludi omnes evagationes, aliáſque cogitationes impertinentes in choro, & oratione, cùm dicit: *pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.* De fuga omnis peccati ſub oratione priori cap. art. ult. ſatis egimus. Eandem doctrinam etiamnum Novitiis inculco, ut, ſive in choro officio Miſſæ audiendo, ſive cantando, ſive aliis functionibus ſacris interſunt, caveant à riſu, evagatione oculorum, garrulitate, aliíſque motibus, Religioſum non decentibus; ſed ſtudeant potiùs, cum omni modeſtia, circumſpectione, ſancta elevatione mentis ad Deum, & ferventi animo, devotè pſallere Altiſſimo, pſallere ſapienter; ne- 352

dum ob peccata antiqua digniſſimum Numen placare intendunt, nova committendo per vitioſam orationem irritent magìs. Benè imprimant ſibi doctrinam S. P. N. qui in pſal 32. ſuper illud: *benè pſallite ei*, ita hortatur ſuos Fratres Canonicos: *quærit unusquiſque, quommodo cantet Deo. Canta illi, ſed non malè; non vult offendi aures ſuas: bene cantate Fratres. Si alicui bono auditori muſico, quando tibi dicit, canta, ut placeas ei, & ſi vis aliqua inſtructione artis cantare, trepidas, ne diſpliceas artifici, quia, quod in te imperitus non agnoſcit, artifex reprehendit: quis affert Deo bene cantare, ſic judicanti de cantore, ſic examinanti omnia, ſic audienti?*

Quamvis quidem hi modi peccata fugiendi ad viam purgativam reducantur; magìs tamen (præſertim tertius) ad viam illuminativam, & unitivam ſpectant, ad quam maximè diſponunt. Atque hæc de fugiendis iis, quæ diſplicent Deo, dicta ſufficiant.

BONA MALI FUGA.

MAlum in mundo maximum eſſe peccatum, capite 2.do hujus Tract. oſtendimus; cùm ab eo ſcaturiat effectus peſſimus, & in[fel]icitas hominis æterna. *Heu peccatum*, ingemiſcit in meditationibus ſuis Africanus glorioſè Pœnitentium anteſignanus, *nomen horrendum, res deteſtabilis, nullo modo comparabilis!* Unde perpenſâ hujus monſtri deformitate abſque tergiverſatione pronuntiaverat *in comm ſerm. ſ. 9. Si hic peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni eorum haberem immergi: priùs me in infernum demergerem, quàm peccatum in me committerem &c.* Quàm ergo bona tanti mali fuga! Hæc creanti hominem Numini ita placet, ut non niſi æternùm duratura fugienti promiſerit præmia. Placet autem non ſolùm ingentis mali, ſed etiam levium defectuum fuga; hi enim in quotidianis operibus noſtris reperti velut herbæ ſunt flaveſcenti ſegeti admixtæ, quæ Patrifamilias diſplicent; prout advertit illuminatiſſimus Doctor *l. 3. conf. c. 9. inter tam multas iniquitates ſunt peccata proficientiū* (id eſt, defectus leves operibus etiam bonis admixti) *quæ à bene judicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur ſpe frugis, ſicut herba ſegetis &c.* Sicut enim in pulchro corpore (ut habet S.Bernardus) non ſolùm diſplicent maculæ, ſed etiam nævi; ita imperfectiones & leviſſimi defectus infinitæ Majeſtati opponuntur. Quare, ut bona ſit mali fuga, examinare oportet etiam opera bona, num ſint perfectè nitida, nec ullam ſecum habeant imperfectionis nube-

Digitized by Google

beculam. Pro documento ſit illa cautela à Pariſienſe lumine Hug. Victor. *Erudit. Theol. de Sacram. l. 1. p. 1. c. 14.* "Hic tibi attende, quanta ſit cautela bono operi adhibenda. In principio omnium operum tuorum vide, ut lucem habeas in te, ut omnia opera tua, lucis ſint, & non tenebrarum. Poſtea conſidera diligenter, utrúmne lux tua pura ſit, & non fuſcata! Et cùm inveneris, quia bona eſt, tunc demum divide eam à tenebris, & voca *lucem* diem, & *tenebras* noctem. Deinde reliqua opera tua, quæ in luce feceris, vide, ſi etiam ipſa bona ſunt: & nullum omnino opus ſinè judicio pertranſeas; donec agnoſcas cuncta, quæ feciſti. Ita geminum eſt judicium. 1. in quo lux judicatur, & videtur, ſi bona eſt, ut dividatur à tenebris. 2. eſt judicium, quando opera ipſa, quæ in luce facta ſunt, ad judicium vocantur, & videntur, quia ipſa quoque bona ſunt; & ſic demum requieſcit Deus, atque in bonis noſtris operibus ſibi complacet, utpote lucidiſſimis, quia à filiis lucis proveniunt.

Quàm ſtudioſus fuerit in fugiendis peccatis venerabilis Wernerus Reynkamp de Lochem Belga, Congregationis Windeſemenſis Prior religioſiſſimus, conſtat ex vitæ, quam hic abbreviato calamo ſubjicimus, decurſu. Ante initam Canonicam noſtram Familiam Diſcipulus extitit Magni illius Gerardi, Groot dicti, magiſtrúmque ſcholarum Campis egit. Jam verò tum tandem Catholicæ fidei propugnator apparuit, ut pro ea defendendâ non dubitârit à Scabinis (ſpecies Hæreticorum eſt) multa iniquè pati, ac decennale ſubire exilium. Religioſum Canonicum in Windeſemenſi Cænobio profeſſus, anno ſequenti in primum Priorem illius loci eligitur; quam provinciam mira dexteritate adminiſtravit, ſolidum ſanctæ Religionis fundamentum, in profunda animi ſubmiſſione, ſincerâ charitate, promptâ obedientiâ, reliquíſque homine Religioſo dignis virtutibus collocans. Rigidum ſe contra vitia, mitem verò adversùs ſibi ſubjectos exhibuit. Ut paupertatis fuit amans, ita à cænobii ſtructura, reliquíſque utenſilibus omnem proſcripſit ornatum, ac curioſitatem. Regulam, ac conſtitutiones ad unguem ipſe ſervavit primus, &, ut id ab aliis fieret, ſummo ſtudio adlaboravit, minimam etiam reformidans illarum, ob conſcientiæ teneritudinem, tranſgreſſionem.

Pro expiatione ſuorum peccatorum aquâ luſtrali frequentiſſimè utebatur. Irreverentiæ erga Superiores, & ſuperbiæ, diſciplinæ jugum excutientis, hoſtis pluſquam Vatinianus; ſicut viciſſim ſubmisſionis amator extitit, & vindex. Stabat aliquando cum P. Arnoldo

Kalkero Subpriore Windeſemenſi ad focum, ſe calefacturus, cùm ecce! ſupervenerat Nicolaus converſus, vir grandævæ ætatis, nec minoris pietatis, poſtulans à Superiore ſuo pro perficiendo aliquo labore ſocium ſibi concedi: quod cùm ei denegaretur, acriùs ille, & cum importunitate quadam inſtabat: videns hoc Wernerus, zelo diſciplinæ commotus, in genua coram Subpriore devolutus, *chariſſime Pater*, inquit, *veniam peto pro iſto fratre importuno.* Erubuit de tanti viri ſubmiſſione Nicolaus, errorem ſuum agnovit, in genua & ipſe ſupplex provolutus veniam petiit, quam & obtinuit. Semel extra ſe raptus coram ſpectare ſibi videbatur perſonam aliquam venerandæ faciei, calicem aureum ſanguine refertum manu tenentem, eúmque his verbis alloquentem: *Wernere, hunc calicem paſſionis ſanguine plenum oportet te epotare, ſicque ad gloriam perennem pervenire.* Quid ſibi voluerit hoc oſtentum, brevì pòſt didicit; cæpit enim graviſſimis calculi doloribus laborare, creſcente in dies malo: quod mirâ planè patientiâ undecim annos ſuſtinuit, paratus majora, ac acerbiora pro Dei gloria pati. Hinc nunquam Numen rogare auditus eſt, ut cruciatus illos à ſe aufferret, aut mitigaret, cuncta Divino arbitrio relinquens. Interrogatus ſemel ab aliquo è Clericorum numero, cur Deus unicum peccatum mortale, unico etiam momento commiſſum, æternis puniat ſuppliciis, piè reſpondit: *Chariſſime frater, Deus eſt ſummum, maximum, & infinitum bonum, ideo qui ſponte ſuâ contra illum ſe erigit, mandata illius ſpernit, animúmque Creatore deſerto ad creaturas convertit (quod in quocunque lethifero peccato fieri aſſolet,) infinitam ſubire pœnam, æternóque ſupplicio puniri jure meretur.*

Lectulo ſemel æger affixus, dum cum nonnemine verba de rebus ſpiritualibus miſceret, ſignum pro veſpertinis precibus horâ tertiâ datur; quo audito ſtatim ſubintulit: *Campana benedicat nobis! ſilentium ſervabimus*; nec verbum ultra locutus; ita nimirum ſanctionum erat ſtudioſiſſimus, ut nec adverſa valetudine affectus ab earum obſervatione recedere vellet, probè gnarus, Deum delinquentibus, & nonniſi verè pœnitentibus parcere. Rectorem, ſeu Priorem annis octodecim egit in Monaſterio Novæ lucis prope Hom., annis ſeptem in Thabor, ac annis tribus in Windeſem: ubi & vitam piâ morte clauſit 17. Novemb. Anno 1427. *Ex Chronico Windeſemenſi l. 2. c. 33. & 34.*

S. Fulcherius patriâ Carnotenſis, profeſſione Regulari Canonicus *Cellenſis*, perfectiſſimè didicerat, ea omnia fugere, quæ vel minimam Deo poſſent efficere diſplicentiam. Ne, ſchiſmate inter Innocentium II., & Petrum Antipapam

pam exorto, legitimas Chriſti Vicarii partes deſerere, & moleſtias, quas à Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo (Pſeudo-Pontifici adhærente) ſuſtinebat, diutiùs ferre cogeretur, ſumptâ à Canonicis ſuis licentiâ, Jeroſolymas profectus eſt; ubi in Patriarchali Collegio Dominici Sepulchri regularem vitam, atque aſſiduam inter illos Canonicos Regulares, ibidem degentes, denuo fuit profeſſus. Exactiſſima conſtitutionum regularium obſervantia, inſigne omnigenæ mortificationis ſtudium, & ſingularis vitæ religioſæ cultus digniſſimum effecerunt Fulcherium, ut ad Tyrenſem Archiepiſcopatum vocaretur; cui 12. Annis ſanctè præfuit. Wilhelmo poſtea Hieroſolymorum Patriarcha è vivis ſublato ſucceſſit: quo in munere ſanctitatis maturitatem conſecutus, è glorioſo Chriſti ſepulchro cælum conſcendit, inferni, mundi, ſuíque generoſus Victor, 20. Novemb. 1157. Patriarchatûs 12 ab omnibus *Vir conſtantis animi, timens Deum, ac diſciplinæ amator* proclamatus. *Ex Auberto Myræo in Auctario ad Scriptores Eccleſiaſticos c. 358. Ex cælo ſtellato. M S. R. D. Sebaſtiani Ligodentini noſtri in Theatro Virt. Reverendiſs. Grueber.*

Similiter Laurentius Luſitanus, Congregationis Conimbricenſis Canonicus, contemplationi rerum Divinarum, cæteriſque religioſis virtutibus adeò deditus fuit, ut ad ejus ſanctitatem teſtandam præter miracula nihil aliud deſideraretur: quæ tamen poſt mortem non pauca edidit; ut Philippus II. Rex Hiſpaniarum ſua quadam epiſtola, manu regia ad Petrum dictæ Congregationis tunc generalem exaratâ, teſtatus eſt. Obiit 20. Novemb. in cœnobio S. Crucis Conimbriæ An. 1583. cùm huic Congregationi tertiò Prior Generalis præfuiſſet. *Ex Gabriele Pennotto l. 2. c 65. n. 4.*

Fugam à ſæculo, charíſque parentibus arripuit, omniáque, quæ hæreditatis jure ipſum ſpectabant, bona nihilo duxit Reverendiſſimus, & Zeloſiſſimus Vitus Chriſtophorus, Præpoſitus S. Nicolai prope Paſſavium. Patriam is habuit Saniſontem Wirtenbergiæ civitatem, parentes Acatholicos, ſed Patritii Ordinis. Adoleſcens Witembergæ in Saxonia ſummam Philoſophiæ lauream primus obtinuit. Tubingæ non minori cum laude jurisprudentiæ alter Baldus, aut, ſi mavis, Bartolus audiit. Ambergæ ſuperioris Palatinatûs, ad Sereniſſimum Bavariæ Electorem ſpectantis, Metropoli, Lutheri dogma Vitus, etiam invitis parentibus, generosè abjuravit, indecorum ratus, ſe apud ſuos Sectarios veluti ignem fatuum ſine vera fide errare. Qui proinde filium ſuum domo exeſſe, nec non omnibus bonis paternis ac maternis privatum voluerunt. Parvifecerat iſta Vitus; ſed paternas relinquens

ædes

ædes in Bavaria ad S. Nicolai prope Paſſavium aſceterium appulit: ubi inter loci illius Canonicos aſſumptus, ſe talem probavit, qui tandem ad clavum illius promoveretur. Et quia animarum Piſcator erat periti ſſimus, ad orthodoxam, veterémque Eccleſiam ſubditos exemplo ſuo, quin & ſalubribus hortamentis, velut hamo, attraxit; atque ita ore, ac corde Chriſtum Chriſtophorus, veluti altera tuba Apoſtolica, inſonuit. Uterinam ſororem ſemel ad menſam, & colloquium admiſit, ſpe certæ converſionis: at ubi vice altera comparuit obſtinax, etiam ab aſpectu prohibuit indignabundus; quòd, qui in aliorum converſione Chriſtophorum agebat, in propria ſorore operam, & oleum perderet. Nicolaitanum templum adeò divite S. ſupellectili inſtruxit, ut aurum, & argentum in Divos prodigere, ac ſanctè effundere potiùs, quàm dare videretur. In componendis cænobii ſui cauſis adeò ſedulus extitit, & felix, ut proprio calamo verè laborioſo lites omnes, utpote juris expertiſſimus, ſopiverit. Vitam tandem mortalem cum beatiore commutavit 27. Aprilis 1665. ætatis 62. Religionis 39. Prælaturæ 17. *Ex lit. mortualibus in Theat. Viri. Reverendiſs. Grueber.*

ARTICULUS V.

De bene faciendis iis, quæ placent Deo.

SUMMARIUM.

353. *Neceſſarium eſt Chriſtianis, & maximè Religioſis, bene operari: igitur opera bene facta, ut Deo placeant, requirunt*

354. *Sequentes conditiones; & quidem, operans ſit in ſtatu gratiæ.*

355. 2. *Opera non ſint conjuncta peccato.*

356. *Solvitur objectio.*

357. 3. *Fiant cum bona intentione; quæ triplex eſt, mercenaria, ſervilis, & filialis.*

358. *Propalantur ſigna pravæ intentionis*

359. 4. *Fiant ob finem bonum, & modo bono; atque ſic*

360. *Laudari, prædicari, & præferri merentur à Deo.*

361. *Circumſtantiæ iſtæ in actionibus noſtris conſideranda:*

362. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

363. 364. 365. 366. 367. *Explicantur ſigillatim: traditur aurea regula actionum; & ponuntur exempla.*

Tran-

353 TRanſimus quaſi à diſpoſitione operis ad ipſum opus; levia enim peccata fugiendo ad altiora facienda, ac perfectiora agenda religioſus præparatur animus: cui *ſatis non eſt ab illicitis temperare, niſi etiam in illis virtutibus indefeſſo curſu ſemetipſum ſemper extenderit, quibus ad ſatisfactionis indicia pervenitur &c.* uti alumnos ſuos docuit Pinuphius Abbas apud Caſſianum *collat.* 20. *c. ult.* Fundatur namque hæc aſcetica doctrina Regiis, & Apoſtolicis decretis: *declina à malo, & fac bonum. pſal.* 36. *v.* 27. & 1. *Petri* 3. *v.* 11. quia non ſufficit *declinare à malo*, ſed etiam requiritur *bonum facere*; cùm placere Deo non poſſit is, qui omittit quidem illa, quæ eidem diſplicent, niſi etiam faciat ea, quæ ipſi placent; imò quæ inſuper præcipit: & deſidiam bene operandi graviter reprehendit in ſervo negligente & talentum acceptum in terram defodiente: In Virginibus fatuis oleum bonorum operum in vaſis ſuis ſervare nolentibus. In arbore bonos fructus non ferente, cui proin excidium, & flammam minitatus eſt. Virgines verò à cæleſtibus excluſit nuptiis, & ſervum in carcerem miſit. Quibus ſub parabolis quemlibet hominum uſu rationis capacium intelligi, & non tantùm malum non facere, ſed etiam bonum operari poſitivè teneri, omnes S.S. Patres exponunt. Multò majorem nacti ſunt Religioſi obligationem bene faciendi ea, quæ placent Deo, & ſtrenuè laborandi, quò plura præ mundanis conſecuti ſunt talenta gratiarum, juxta notabilem magni Pontificis *homil.* 9. *in Evang.* ſententiam: *ab eo, cui plus datur, plus exigitur.* Certè nos, inquit S. Ambroſius *l.* 1. *offic. c.* 37. *qui ad officium Eccleſiæ vocamur, talia debemus agere, quæ placent Deo.* Placebunt autem omnia noſtra opera Divinæ Majeſtati, ſi regulis, art. iſto tradendis, ſint conformia, mereantúrque à Deo *laudari, prædicari*, & *præferri*: quæ ſunt proprietates conſequentes bonum opus. Antequam iſtas exponamus, de eſſentialibus conditionibus, ad bonum opus Deo placens requiſitis, agendum eſt. Igitur

Theologi tam Scholaſtici, quàm Myſtici quatuor præcipuas, eſſentialéſque conditiones adſtruunt ad hoc, ut opus bonum Deo placeat. 354 Prima conditio eſt, ut homo operans ſit in ſtatu gratiæ, & amicitiæ Divinæ; gravis enim peccator, & lethalis Numinis inimicus ſicut ipſe, ita & opera ejus placere non poſſunt. Quamvis omnia, quæ agit peccator, mala & peccata non ſint, cùm etiam peccatores virtutes morales varias exercere valeant; Deo tamen non placent illorum opera, neque ſunt meritoria vitæ æternæ; quia ad *meritum* ex definitione S. Concilii Tridentini, S.S. Patrum, & omnium Catholico-

rum conſenſu *opus bonum ſupernaturale* requiritur, atque ad tale opus neceſſaria eſt *gratia ſupernaturalis*, & ſanctificans, quæ cum peccato mortali ſtare ſimul nequit. Cùm ergò gravis peccator gratia ſupernaturali, & ſanctificante careat, nullum opus, quod Deo placeat, & ab eo laudari mereatur, peragit. Conditionem hanc ut certam ſupponimus, & Theologis fuſiùs probandam relinquimus.

355 Altera conditio eſt, ut opera ſint ſine peccato, quod meritum & valorem deſtruit, vel opus comitatur. *Peccatum, meritum & valorem operis deſtruens* eſt illud, quod vitiat finem, ſive intentionem, aut circumſtantiam, ſive modum operandi, requiſitum ad bonitatem operis: E. G. dum oras ex vana gloria, ut pium, ac devotum te alii prædicent, vel ex inimicitiæ paſſione, ut proximo tuo obveniat quoddam malum; ex *fine* deſtruis meritum & valorem orationis tuæ. Ita S. Thomas 1. 2. Q. 18. a. 4. Si verò bono fine oras, aut horas canonicas recitans ex pura intentione quidem laudandi Deum, eas tamen perſolvis nimiùm feſtinando, verba non integrè proferendo, ſed degluriendo, aut ſitu membrorum indecoro, vel interrumpendo S. horas colloquiis non neceſſariis, curioſis tranſeuntium aſpectibus, aliiſque diſtractionibus, vel tali demum tempore bona peragis opera, quo ex obedientia, & ſpeciali Superiorum mandato aliud agendum tibi incumberet, *quoad modum & circumſtantiam* inficis opus bonum; prout tenet S. Th. c. 6. a. 3. *Peccatum comitans bonum opus* eſt id, quod bono operi adjunctum, meritum hujus & valorem non deſtruit, aut minuit, ſed extrinſecè fœdat quodam modo; ut ſi quis bona intentione orans, interea elargiretur eleëmoſynam ob vanam gloriam. Ubi oratio ſuum non amittit valorem; eleemoſynæ verò datæ meritum deſtruitur, & oratio, concomitante peccato veniale, extrinſecè imperfectior redditur. ſed

Objici poſſet. Ægyptiæ obſtetrices, maſculos Hebræos contra edictum Regis conſervantes, pro benevolentia iſta, & timore Dei præmiatæ fuerunt à Deo; licèt commiſerint mendacium, dicentes, ante adventum earum Hebræas parturire. *Exodi* 1. Item Judith Heroina commendatur in S. Paginis ob egregia facinora ſua, quibus tamen mendacium, tanquam peccatum concomitans, adjunxit: utrarumque, obſtetricum conſervationem parvulorum, & Judithæ defenſionem ſuæ patriæ, à Deo præmiatam fuiſſe, S. S. P. P. docent: ergo & earum opera, non obſtante peccato comitante, Deo fuêre placita. R. cum S. D. 2. 2. Q. 110. a. 3. Obſtetrices pro benevolentia, & timore Dei, tanquam pro operibus bonis 356

præ-

præcedentibus, fuiſſe remuneratas, non pro mendacio ſubſequenti: ſimiliter Juditham laudatam propter affectum ſalvandi populi ſui, non propter mendacium. Hinc grata fuêre illarum opera Deo, antea nullo peccato comitante infecta, propter quæ ſubſequentia à Deo etiam promeruerunt auxilia, & gratias, quibus obicem non poſuerunt ſupervenientia mendacia; quæ abſque dubio tunc operi conjuncta Deo non potuerunt placere. *Quamvis etiam dici poſſit, quòd verba Judith veritatem habeant ſecundùm aliquem myſticum intellectum*; ſicut verba Abrahami Saram *ſororem ſuam* vocantis, & verba Jacob *primogenitum Eſau* ſe profitentis; ut cum S. Aug. tenet S. Thomas. Patet igitur ex his, tum etiam ex dictis articulo antecedente, opera bona peccato extrinſeco adjuncta diſplicentiam quandam Deo adferre, minúsque coram Sole infinitæ perfectionis eſſe nitida; quamvis valorem operis, & meritum alia ex circumſtantia, fine, vel modo non corrupti, neutiquam deſtruant; ut rurſus clarè docet M. Gregorius apud S. Th. l. c. a. 4. ad 4.

157 Tertia conditio eſt, ut omnia opera noſtra fiant bona intentione: nam, Magiſtro noſtro c. 12. in pſal. 118. advertente, *magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione facimus. Officium quippe noſtrum non initio, ſed præcipuè, ſi bonum eſt, propter quod facimus, cogitemus*: id eſt, ſi finis boni operis eſt bonus, ac honeſtus, opus quoque bonum, honeſtúmque erit. Intelligas tamen, niſi actio, ſeu opus aliunde foret ex objecto, aut alia circumſtantia malum; qui enim furaretur, ut dare poſſet eleemoſynam, utique hoc furtum per iſtam bonam intentionem & finem ad opus bonum, & Deo placens, non elevaret. Triplex autem *intentio* aſſignatur bona ab Aſcetis, triplici hominum ſtatui ſpirituali correſpondens. *Una* eſt *ſervilis* eorum, qui bona operantur *ex timore Dei*, præcipientis, & renitentes, maláque operantes perdentis in gehennam. *Altera* eſt *mercenaria* illorum, qui intuitu æternæ vitæ, & mercedis magnæ nimis, in bonis ſe ſedulò exercent operibus. Utraque bona eſt & meritoria; nam & S. David *inclinavit cor ſuum ad faciendas juſtificationes* Divinas *propter retributionem.* Et poſtquam petierat à Deo, *configi timore carnes ſuas*, atque à judiciis punientis Numinis formidaverat, ex timore ſubjunxit: *feci judicium & juſtitiam* &c. S. P. N. in pſal. 120. expreſsè *mercenariam* ſuadet, veluti bonam ac ſecuram, intentionem: *Quando facis bonum opus, propter vitam aeternam fac: ſi ideo facis, ſecurus facies; hoc enim mandavit Deus.* Similia Concilium Trid. ſacroſancta continet *ſeſſ. 6. Can.* 8. *& Can.* 31. ubi contrarium docentes anathematizat. Notant ta-

Digitized by Google

tamen Doctores, in utraque iſthac intentione *ſervili*, & *mercenaria* voluntatem peccandi debere excludi; dum in operante adeſt ſpes meriti, & metus pœnæ. *Tertia* eſt *filialis* eorum, qui non ex timore ſuppliciorum, neque intuitu præmiorum, ſed unicè *ex amore Dei*, qui infinitis obſequiis noſtris digniſſimus eſt, & Divini beneplaciti guſtum in bonis operibus noſtris habet, omnia faciunt, & actiones ſuas omnes ad laudem, gloriam & beneplacitum ipſius referunt. Et hæc *intentio* eſt optima: quia per eam *in genere filiorum ſumus*; uti inquit Dorotheus cum S. Baſilio ſer. 4. *Filius enim, ubi ad prudentiam, diſcretionémque pervenerit, paterna vota exequitur non timore plagarum, non etiam mercedis, & præmii cupiditate, ſed amore, pietate, obſervantiáque erga patrem; perſuaſus enim ſatis eſt, ſuum fore, quidquid patris fuerit.*

358 Ex adverſo bonæ intentioni opponitur *prava*; quæ non quidem moroſitatem, ac malitiam directè intentam in operibus ſecum vehit (hæc enim foret intentio abſolutè peccaminoſa, & totum opus inficeret; ut conſtat in exemplis n. 355. adductis) ſed ſolùm intentionem bonam quodam modo inficit, eique amoris proprii intentionem annectit. Unde, ſi velis agnoſcere, an pura intentione obſequii Divini opera tua facias, ad ſequentia ſigna te reflecte: è quibus intentionem depravatam facilè conjicies.

Signum primum eſt: ſi ægrè feras vituperari ab aliis tua opera, non laudari, aut non ſuccedere, ut propterea deſiſtere velis. Hoc genus pravæ, & à proprio amore pullulantis intentionis apud eos facilem ingreſſum invenit, qui ad cathedram, paræciam, vel aliud ſimile officium ſpirituale regendum, ſunt à Superioribus ſuis expoſiti, ægrè accipientes, ſi conciones, cura, & ſtudium eorum non laudentur, ac deprædicentur. Pejus adhuc eſt, ſi propter calumniatores, vel ob levem quemlibet eventum ſiniſtrum, munus ſuum, ex amore Dei, ex Zelo ipſius honoris, & ex obedientia bene ſuſceptum, ſtatim deſerere volunt. Hi, ſi ex pura intentione placendi Deo ſuum adminiſtrarent officium, jam non curam haberent aliorum vituperii, laudis, & felicis ſucceſsûs; ſed potiùs illam S. Bernardi gnomam ſibi ſtatuerent: *propter te* (vituperium, laudem hominum) *non incepi; propter te non deſinam.* Iſtos S. Chryſoſtomus *l. 2. de Sacerd.* modeſtè reprehendit, animátque, ut ex amore Dei calumniantes deſpiciant, & vanam gloriam proterant.

Alterum ſignum propriæ intentionis eſt; ſi præſentibus laudatoribus, aliíſque viris ſpectatæ virtutis, vel Superioribus accuratiùs, meliúſque fiat opus, quàm præſentibus vituperatoribus. Signum iſthoc, place-

Digitized by Google

placere hominibus ſtudentis eſſe, clarè demonſtrat S. Baſilius *in Reg. bre.* 32. *nimirum quando aliquis apud laudantes ſtudium præſefert, apud vituperatores verò lentior efficitur.* Inſignis eſt hæc deceptio hominis, præſertim Religioſi, qui inanem magìs aucupari gloriam hypocriſi, quàm verâ opus vitioſum reprehenſione dignum ad leges aſceticas mavult corrigere. Huc etiam ſpectant illi, qui perfrictâ fronte non erubeſcunt corã Superioribus propriis, aut confratribus, vel domeſticis modeſtiæ, patientiæ, & converſationis religioſæ leges tranſilire; quas tamen ſtudioſè obſervant coram alienis, & hoſpitibus, ne Religioſi pejoris notæ audiant. Aſt de his, intentionem bonam cum hypocritis malè vertentibus, ſententiam tulit S. Baſilius l. c. *Si verè haberent in animo, placere Domino, iidem forent ubique &c.*

Tertium ſignum eſt; te purâ intentione Deo placendi non obiviſſe officium, nec ex amore Dei peragere quidquam, ſi non ſinas te per Superiores ab eo amoveri, aut amotionem à certa occupatione per eos factam ægro ſuſcipias animo. Occaſiones plures ſunt hujus praxis; nam ſi facias quodcunque opus purè propter Deum, ſicut illud ex amore ejus, & interprete Divinæ voluntatis Superiore, aggreſſus es, ita ab illo inchoato, nondum abſoluto, ejuſdem juſſu interpretis ceſſabis, cogitans illud decretum Divinum Lucæ 10. *qui vos audit, me audit.*

Quartum ſignum habetur non puræ intentionis, quando quis majorem adhibet diligentiam in publicis actibus, quàm in privatis & vilibus; v. g. ad concionem in publico & honorifico loco faciendam magis te præparas, quàm ad eam te paràſſes, ſi in loco privato, & inglorio fuiſſet dicenda. Vitio iſthoc multi aliàs optimam ſuam intentionem in ſuis operibus deturpant; dum vilia Religionis munia malè, obiter, & ſine ſenſu obeunt, majora verò & ſpectabiliora cum diligentia pertractantes. Et iſti fœdatæ intentionis ſuæ in operibus ſuis ſignum certum habeant; quia, ſicut in magnis & in parvis eſt Deus, ita in magnis & in parvis, quin & viliſſimis operibus purè eſt laudandus: non autem laudatur pura intentione, quæ in magnis major, in parvis minor, & vilibus vix ulla adhibetur ab illis; dum ex errore ſibi perſuadent, religioſam perfectionem in magnis bene faciendis conſiſtere: atque hinc omnem collocant operam negotiis majoris momenti bene pertractandis; vilia verò, & quotidiana ſua opera ſine fervore, ſine ſenſu, & vel obiter tantùm perficiunt. Cùm tamen ex dictis & dicendis ſit certum, viliſſima etiam opera, bona intentione peracta, fieri maxima, & non-

nunquam Deo maximè placere, atque maximè fuiſſe meritoria operantibus. Ita S. Gertrudis *uvis nocte quadam recreando ſe tali intentione, qua ipſum Dominum in ſe ipſa reficeret*, à Chriſto magnificè audiit: *modò fateor, mihi recompenſatam amaritudinem illam, quam de ſpongia in Cruce pro amore tuo bibi &c. l. 3. c. 57.* quid autem vilius uvæ comeſtione, & quid majus tanta recompenſatione paſſionis Dominicæ? Ideo S. Dominicus, ut in vita ejus ſcribitur *Chron. Ord. Præd.* libentiùs concionabatur in villis & oppidis coram abjectis, quàm in urbibus coram nobilibus, & utrobique ſe ſe æqualiter parabat. Sic Venerabilis Petrus Forerius culinæ vaſa purgando, ſordes verrendo tam puram intentionem referebat, ac in magni momenti negotiis: *in ejus vita.* Timendum è converſo eſt, ne aliqui, ſolùm præſentibus laudatoribus majori perfectione opera ſua exercentes, ita expediant, ſicut quidam Monachus; uti refertur *in ſpec. Exempl. V. cantus*, qui feſtivis tantùm diebus pro ſingulari vocis ſuæ privilegio quædam reſponſoria decantabat; aliis verò diebus, ubi audientium & laudantium non erat confluxus, ſilebat: hinc voluntate Dei, vanum ejuſmodi cantum averſantis, ſemel factum, ut in omnium conſpectu Dæmon, pueri horridi ſpecie apparens, & impuris manibus plauſum cantori faciens, atque cachinnans, exclamârit: *O! bene, bene cantavit: optimè cantatum eſt!* Quòd autem magis Deo placeat intentio bona cantorum, quàm ſuaviſſimæ vocis modulatio, in quadam Eccleſia conventuali Canonicorum Sæcularium in Gallia è cœlo vox delapſa patefecit; quæ poſt Completorium peractum, præ aliis canentibus, raucam ſolummodo unius vocem exauditam fuiſſe, clamabat: *ibidem Exemp. 3. ex Thoma Cantiprat.*

Quarta Conditio eſt ad bene fa- 359
cienda ea, quæ Deo placent; ut non tantùm ad bonum finem, ſed & bono fiant modo. Poſito enim bono operationis fine, eò plùs Deo creabit complacentiam opus perfectum, quò perfectiorem ſimul habuerit operandi modum. Enimverò *ſanctum non eſt, quod agitur ſanctum, niſi ſanctè, quod ſanctum eſt, peragatur*, aſſerente S. Cypriano, vel Origene *de ſing. Cler. opuſc.* cùm utrique velut auctori adſcribatur, teſte P. Lanc. op. 3. c. 3. n. 90. Quanti æſtimârit iſtam conditionem Ven. Forerius, ex illius hauritur vitæ compendio; dum nunquam ſatis illi fuerat, bonum operibus ſuis præſtituere finem, niſi & perfectiorem, quem aſſequi poſſet, modum eis attribueret. Hinc ipſe toto animo contendebat, non ſolum id facere, quod Deo gratum eſſet, verùm id, quod præ aliis gratum, atque in pretio & honore apud Divinam Majeſtatem eſſet.

Ob

Digitized by Google

"Ob eandem rationem Virginum "ReligioſarumCongregationem in- "ſtituens, quarum finis eſſet, *id omne faciendi, quod cœleſti ſuo ſponſo gratius fore judicarent*, volebat inſuper, "ut harum Virginum ſymbolum "*charitas* eſſet: quia animus illius "contentus non erat, in ſe Deum ſingulis vitæ ſuæ momentis, atque "per omnem æternitatem amare, "quin & in corde Virginum iſtarum "ad finem uſque ſæculorum amaret. "Interrogatus, in quo perfectionem "collocaret? reſpondit, exiſtimare "ſe *ſanctitatem perfectam* in nullo alio "ſtatuendam, quàm *in deſiderio re- "ipſa exiſtente, eóque inſatiabili Deo "continuè in omnibus actionibus & operibus noſtris placendi*, illud S. Pauli "effatum repetendo: *omnia quacunque facitis, in nomine Domini noſtri "Jeſu Chriſti facite.* l. 2. c. 3. vitæ.

360 Ex 4. his conditionibus, ad opus bonum, Deóque gratum requiſitis, ac recenſitis, colliges abſque gravi difficultate in fine n. 353. poſitas proprietates, quodvis bonum opus conſequentes. Nam ex *prima, & ſecunda conditione*, dum fiunt ab operante in gratiâ ſupernaturali conſtituto, & inſuper ſunt immunia à peccato meritum ac valorem deſtruente, tum à concomitante, opera noſtra merentur à Deo *laudari*; quia, quantum eſt ex parte ipſius operis, eſſentialis perfectio ad merendum, Deóque placendum non deeſt. *Ex 3tia conditione* autem *prædicari* merentur opera, cùm bona, imò ex puro amore Dei optima, ex parte operantis adſit intentio. Ex 4tâ demum à Deo *præferri* merentur; dum perfectus, & perfectior etiam operandi modus conjungitur bono operi. Atque tres iſtas qualitates in operibus S. Davidis eruit S. Chryſoſtomus *homil. de Dav. & Gol.* quòd in illis inveniretur *meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, Judex præfert ſummus.* Aliter explicat S. Paulus Divinam complacentiam in noſtris bonis operibus, quando nempe in illis eſt *voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Rom.* 12. Quod ita exponit S. Anſelmus apud Corn. à Lapide in hunc locum: *Voluntas Dei bona* eſt in incipientibus & conjugatis: *beneplacens* eſt in proficientibus, & continentibus: *perfecta* eſt in perfectis & virginibus. S. Baſilius *in Reg. brevior. interrog.* 276. conſonat, perfectionem bonorum operum ex illo textu eruendo; dum ita commentatur: *Voluntas Dei bona* eſt, "ut velimus id, quod in ſe, & ex ge-" "nere ſuo bonum eſt: *Beneplacens*," "cùm ſit illud Apoſtoli: omnia ad" "gloriã Dei facite, & omnia honeſtè" "& ſecundùm ordinẽ fiant. *perfecta*;" "cùm nulla ex parte manca eſt, ſed" "quoad omnia recta & perfecta" Voluntas hìc idem eſt, ait citatus Commentator Cornelius, quod volitum, ſeu id, quod vult Deus à nobis fieri. Id eſt, *voluntas Dei bona* eſt, quod vult Deus à nobis fieri bonum

bonum, & *beneplacens:* id eſt, melius, & *perfectum:* id eſt, optimum, & ſibi gratiſſimum. Sunt enim hi tres gradus boni voliti à Deo, ſeu boni, quod à nobis requirit Deus. Quod S.P.N. *l.* 10. *de civit. c.* 6. Ambroſius & Chryſoſtomus vertunt: *ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum:* id eſt, quid ſit bonum, melius, & perfectum. Erunt autem opera noſtra perfecta, ſi habeant quatuor aſſignatas conditiones.

Dixi, *præferri merentur, dum perfectus, & perfectior operandi modus conjungitur:* nam ad perfectum operandi modum certas requirunt Aſcetæ circumſtantias; quas à Moraliſtis mutuatas ſub alia conſideratione perpendere ſolent. Sunt autem circumſtantiæ ſeptem, hoc communi verſiculo ad juvandam memoriam comprehenſæ: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Itaque de ſingulis ſpecialem doctrinam aſceticam dabimus.

361 Prima circumſtantia *quis,* ad bonum modum operandi requiſita, duplicem ſignificat conditionem perſonæ, *libertatem* ſcilicet, & *convenientiam. Libertas* pertinet ad ſubſtantiam perſonæ; quatenus ab ea, ceu principio ſubſtantiali, actio procedit libera. Hinc excluditur *coactio* & *vis* adeò, ut perſona operans ſit à coactione, & vi libera, poſsitque hoc vel illo modo, ex bono vel malo fine agere *liberè.* Id tamen limitatè intelligas, velim; nam coactio & vis externa non poſſunt internam homini libertatem auferre; ut innumerabilia habemus exempla Sanctorum, qui nulla tormentorum exquiſitorum vi ad abjurandam fidem Chriſtianam cogi potuerunt. A contrario; ſi vinculis ligatus contra tuam voluntatem traharis ad templum, ut Miſſam S. audias; tu verò nolis, quin internè contradicas, auditio Sacri non erit bona tibi: quia non libera eſt. Sic etſi Superiorum minæ, & interminatio gravium pœnarum movere te valeant, ut certo die, certa hora accedas templum, in Choro pſallas, aut aliud Religionis opus peragas; hoc tamen bonum non erit, niſi in illius exercitio libera & ſpontanea acceſſerit voluntas tua, qua voluntati Superiorum propter Deum obſequens liberè facias juſſa. Quin malum erit opus externum ſine interna *libera,* & bona intentione tua; ex cujus defectu etiam non habebit bonitatem meritoriam: ſicut à contrario ob carentiam libertatis actio aliqua non cenſetur mala, ac peccatum; quia communis cum S. Aug. & S. Thoma Theologorum ſententia fert: *quod liberè non fit, peccatum non eſt.*

Altera conditio eſt, *convenientia,* ſeu *ſtatus* perſonæ operantis; hoc eſt, ut bona ſit actio, debet ſimul

eſſe

eſſe conveniens perſonæ. Unde quamvis lectio profanarum hiſtoriarum pro acquirenda eruditione neceſſaria, ſtudioſis licita & bona ſit; mala tamen eadem erit, ſi à Novitijs inſtituatur: quia profana lectio eſt inconveniens ſtatui ſpiritualium tyronum. Ex hac ipſa circumſtantia *Quis* mala eſt nimia caularum & ſtabulorum inſpectio, nimia equorum, vaccarum & boum cura, nimia in temporalibus ſollicitudo perſonarum ſpiritualium, Religioſorum, & Parochorum; quorum ſtatui ſublimi utique non conveniunt actiones ruſticorum, & domeſticorum famulorum. Timendum planè, ne quidam ſui ſtatûs obliti, cùm nobiliorem à manè, & potiorem à prandio temporis partem viſitandis, ordinandis, & regendis temporalibus inſummunt, aliquando audiant, Paſtores ſe fuiſſe, vel eſſe armentorum, non animarum, quia illis paſcendis majorem; quàm iſtarum ſaluti promovendæ impendunt curam, œconomicis plus æquo ſemper irretiti negotijs. Similiter hac ex regulâ non bona ſunt Novitiorum colloquia de rebus mundanis, novellis, aliiſque curioſis eventibus, quibus illi prorſus inutiliter ſe occupant, ac tempus miſerè expendunt, quod in ſtatu religioſo ijs *ad agendam pænitentiam ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miſeratio Conditoris indulget*; uti Mellifluus Doctor proloquitur *ſermone ad ſcholares.*

Altera circumſtantia *Quid* denotat materiam; circa quam verſatur actio. Unde bona eſt recreatio, in qua ludi honeſti, pij ſermones, diſcurſus utiles, ac convenientes inſtituuntur; & univerſim objectum licitum, & materia honeſta licitam & honeſtam faciunt actionem, quæ ab illo (ſi cætera etiam adſint requiſita) ſuam ſortitur bonitatem. Tria autem circa materiam obſervanda ſunt, ſcilicet quantitas rei, quantitas temporis, & mediocritas. *Quantitas rei*, ſeu materiæ & objecti, circa quod alicujus verſatur actio, includit magnitudinem, vel parvitatem, longitudinem, vel brevitatem. Sic, cæteris paribus, melior eſt eleemoſyna, per quam plus datur; melius votum, quo plura voventur Deo: melior item oratio eſt, quæ longior. Dixi, *cæteris paribus*; quia abſoluta magnitudo operis dimetienda non eſt à magnitudine rei, ſeu à quantitate dati, & facti, ſed etiam à facultate dantis. Ita Evangelica vidua à Chriſto Domino laudatur, quòd plus cæteris divitibus in templi gazophylacium intulerit, quamvis parum obtulerit; *illi namque*, uti advertit S. Iſidorus Pelus. L. 4. Epiſt. 118. *particulas dumtaxat ſuorum bonorum offerebant, ipſa verò omnem ſuam ſubſtantiam dedicavit.* Hanc ipſam 362

ipſam quantitatem dati, & facultatem dantis ponderans Præſul Magnanimus Ambroſius, viduæ iſtius *uberiorem fuiſſe nummum è parvo*, aſſeruit, *quàm theſaurum è maximo: quia, non quantum detur, ſed quantum reſideat, expenditur.*

Eadem de cauſa B. Petro reculas piſcatorias derelinquenti centuplum, & vita æterna promittitur; quia non à magnitudine rei, ſed ab animo & facultate operantis ſimul attenditur magnitudo operis. Hinc deprædicat Magnus Greg. *hom.* 5. *in Evang.* non tam terrenarum rerum abdicationem in B. Petro, aliisque Apoſtolis, quàm eorum in abdicatione animum. *In hac re*, inquit, *affectum debemus potiùs penſare, quàm cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit.*

Quantitas temporis exigit, ut plus temporis non impendatur actioni, nec minus, quàm ſit neceſſe: ſed de hoc infra in circumſtantia *Quando* plura. *Mediocritas* propriè pertinet ad hanc circumſtantiam *Quid*; cùm enim quævis virtus in medietate quadam conſiſtat, quælibet verò actio bona verſetur circa objectum certæ cujusdam virtutis, neceſſe eſt, mediocritatem adeſſe in opere quolibet bono. Hæc enim convenientem menſuram tribuit, ut nihil deſit, quod requiritur, neque aliquid excedat; hinc Seneca L. 2. de benf. c. 16. *cùm ſit utrinque virtutis modus, æquè peccat, quod excedit, quàm quod deficit.* Videantur dicta n. 102. & 116.

Tertia circumſtantia eſt *Ubi*, 363
ſignificans actiones bonas etiam in loco debito eſſe exercendas; aliàs, ſi non ſuo & competenti in loco fiat opus, bono modo non fiet. Sic bona eſt recitatio horarum canonicarum; ſed fieri non debet in loco ambulationibus, & forenſibus tumultibus pervio. Pariter bona eſt precatio S. Roſarij; aſt non fiat in loco, ubi alij honeſtam recreationem, aut colloquia, ludos, vel hauſtum pomeridianum percipiunt. Ex hac circumſtantia *ubi* bonum modum actionis cujuslibet facilè erit eruere, ſi brevis fiat reflexio. Unde oratio omnis melior, cæteris paribus, eſt in oratorio peracta, quia locus competens eſt. Quamvis cæteroquin affectus, & cogitationes pias, vel orationes jaculatorias ubique locorum elicere prohibitum non ſit, jubente Apoſtolo 1. Tim. 2. *volo vos orare in omni loco:* cui adſtipulatur S. P. N. *ſerm.* 130. *de temp.* ex ratione iſta: quia *ex quo Chriſtus adveniens expiavit univerſam terram, omnis locus oratorium factus eſt* &c. preces tamen canonicæ, quæ publico Eccleſiæ nomine à Sacerdotibus tanquam à legatis Eccleſiæ quotidie ad Deum perferuntur (etſi 364

priva-

privatim recitandæ) fieri debent in loco decenti, & competenti, non utique in loco ſordido, inhoneſto, aut importuno; ut docent graviſſimi Theologi cum S. Ambroſio *in Epiſt. 1. Tim. 2. v. 8.* & Suarez *to. 2. de Relig. L. 2. c. 9. n. 9.* Sic legimus in vita S. Theodorici Abbatis, „ quòd, cùm aliquando unàcum S. Remigio inambulans pſalmos recitaret, & ad locum proſtibulis infamem perveniſſent ambo, Theodorici vox illicò ita faucibus hæſerit, ut ne verbum quidem proferre valeret. Rem ſtupenti Remigio, cùm nefandam domum fuiſſent prætergreſſi, Theodoricus caſtiſſimus repoſuit, Deum preces averſari, quæ in loco ab infamibus lupis deturpato funderentur. Ex Proprio Can. Reg. 4. Julij.

Colliges ex circumſtantia *Ubi*, multa fieri honeſtè & licitè in uno loco, quæ non ſunt bona in alio loco facta. Licita fuit & neceſſaria venditio columbarum pro Sacrificio Moyſaico; Chriſtus tamen in templo inſtitui vetuit, & vendentes ejecit.

Similiter domi colloqui, tractare de domeſticis, inquirere conſilia, bonum eſt; malum, ſi fiat in templo: & ita ad caſum particularem quilibet deſcendere ex dictis poteſt.

364 Quarta circumſtantia *quibus auxiliis* continet media, & mediatores bonorum operum: licèt enim quædam res ex ſe, & fine operantis ſatis ſint bonæ; ſi tamen per media vetita, vel per mediatores ſeu Patronos prohibitos quærantur, malæ ſunt. Sic bona eſt artis poëticæ acquiſitio; ſed non bono modo fieret, ſi per libros, & Auctores prohibitos quæreretur. Sic bonum eſt, quærere ſanitatem; malum, per medicinam ſuperſtitioſam, & medicum arte prohibitâ utentem. Sic bonum per ſe, & ex fine deſiderantis eſt, aſpirare ad S. Ordines; ſi tamen importunæ preces, & tacitæ amicorum litteræ adhibeantur, bonum de ſe deſiderium ex hac circumſtantia vitiatur; quia ad actionem virtuoſam omnia media bona, & ex Superiorum conſenſu electa ſint, oportet.

Quinta circumſtantia *Cur* 365
complectitur finem extrinſecum operis adjectum voluntate operantis ad finem proprium & intrinſecum ſuſcepti operis. In exemplo.

Finis proprius & intrinſecus *jejunii* eſt afflictio carnis propriæ; ſi igitur huic fini intrinſeco addas finem proprium, & extrinſecum, atque ideò inſuper jejunes, ut proximo tuo moleſtiam crees, & quandam afflictionem ſive æmulationem inducas, *jejunium* ex ſe & fine intrinſeco bonum propter adjectum finem extrinſecum malum erit; quia ex circumſtantia

cur vitiatur. Similiter quamvis bonum ſit ex fine intrinſeco colloqui de rebus ſpiritualibus, ut alius quoque excitetur ad amorem virtutis; ſi tamen in colloquio bono alium proprium adjungas finem, v. g. ut alter confrater tuus ex converſatione tua cum altero occaſionem ſummat mœroris, afflictionis, & Zelotypiæ, colloquium ita inſtitutum non erit bonum; quia finis malus extrinſecus actionem (bonam ex fine intrinſeco) vitioſam reddit. Atque ideo perſpicaciſſimus S. P. N. oculus ad omnes boni operis circumſtantias reſpexit, ne quidquam offenderet, quod illius perfectionem deſtrueret. Unde *in pſal.* 31. *non enim valde attendas*, inquit, *quod homo faciat, ſed quod, cùm faciat, aſpiciat. Bonum opus intentio facit.* Videatur de his cap. 3. art. 1. n. 113. & 120.

366 Sexta circumſtantia *Quomodo* indicat quatuor notabiles in bono opere conditiones, idealem nempe conformitatem, fervorem, perſeverantiam, & promptitudinem. Singularum explicatio hæc eſt. *Idealis conformitas* ſita eſt in hoc, ut actiones bonæ legi Divinæ, humanæ Eccleſiaſticæ, regulis Religionum, Superiorum mandatis, approbatis conſuetudinibus, & dictamini rectæ rationis conveniant. Adeóque ubi Lex Divina tanquam *Idea* noſtrarum actionum non ſtatim clarè apparet nobis, recurramus ad legem humanam, regulas, Statuta, & Superiorum directionem, ac tandem in horum defectu (quod vix erit poſſibile) ad rationis dictamen, quæ communis eſt regula ordinans humanos actus, & à qua bonitas voluntatis, & cujusvis actionis bonæ dependet; ut cum S. Thoma 1. 2. Q. 19. a. 3. tenent Theologi. Nam; ùt præclarè arguit S. P. N. Hæreticorum malleus perpetuus contra Julianum L. 4. c. 3. *virtus eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus*, quid deceat, quid dedeceat, recta ratio demonſtrabit, dummodo ad hujus judicium revocetur actio. Porro, quia nunc in tanta ignorantia legum non vivimus, dictamen rationis legibus, & mandatis conformetur; *ratio* enim *humana* quòd *ſit regula voluntatis humanæ, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio Divina*; ut docet Angelicus c. l. a. 4. Hinc cap. 1. a. 3. n. 28. inter prima bene agendi principia præſcripſimus conformitatem actionum cum regulis, & recto rationis lumine in omnibus eſſe attendendam; quia *idea* eſt Divinarum operationum.

Fervor cum circumſtantia *quomodo* tam arctè conjuncta eſt, ut tepiditas, & remiſſio devotionis magìs nauſeam, quàm placitum

tum Divinum creent; uti palam confeſſus eſt *Apocal.* 3. *v* 16. *quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Certum eſt, quò majorem devotionis fervorem in operibus bonis adhibemus, eò magis Deo illa eſſe grata, nobíſque utiliora ob majus meritum, majorem pro peccatis ſatisfactionem, & vim majorem impetrandi gratiam. Atque id uſque adeò verum eſt, ut Altiſſimum S.S. Evchariſtiæ Sacramentum, quamvis ut ſacrificium, & Sacramentum vim habeat remittendi culpam & pœnam, pro magnitudine devotionis & fervoris ſuſcipientis quantitatem pœnæ tantùm abſtergat. Sive, ut cum S. Aquinate 3. p. Q. 79. a. 5. in C. loquar, in ſuſceptione hujus ſuaviſſimi Sacramenti *homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed NB. ſecundùm modum ſuæ devotionis & fervoris.* Et rurſus. *In quantum verò eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactivam, ſed NB. in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis.* Ac tandem concludit Angelicè. *Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm NB. quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Colligant nunc omnes religioſæ mentes, quanta devotione ſuſcipienda ſint Sacramenta ſanctiſſima; cùm ipſe ſanctitatis perenniter in Eccleſia ſcaturientis fons in S.S. Evchariſtia contentus, & toties ab ipſis ſumptus, nonniſi ad quantitatem devotionis & fervoris quantitatem gratiæ conferat; quamvis alios effectus ſupernaturales *ex opere operato* tribuat. Colligant, quanto fervore peragenda ſint alia opera longè minoris efficaciæ & valoris; utpote quibus gratia promeretur tantùm ex *applicatione operantis*, non, uti fit in S. Sacramentis, *ex opere operato.* Colligant, inquam, Religioſi, ac Divinis mancipati obſequijs Clerici, quanta animi præparatione, quanto mentis fervore, quanta ſenſuum recollectione opus ſit, ſi Divino officio dignè velint aſſiſtere; ſi Eccleſiaſticas preces ritè perſolvere, atque in alijs pietatis operibus cultum Dei immediatum ſpectantibus cœleſti Majeſtati cupiant placere. Reflectant proin frequentiùs in ſuis operibus ad notabilem hanc circumſtantiam. *Perſeverantia* conformitatem, & fervorem neceſſariò comitari debet in operibus noſtris, & eſt perfectio à fervore diverſa; nam multi tyrones initio fervent, at paulò pòſt deficiunt, & difficultatibus cedunt ob defectum conſtantiæ, cujus eſt ex doctrina S.

 Thom.

Thom. 2. 2. Q. 137. a. 3. *firmiter perſiſtere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate actûs, &c. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino*; ſicut hortatur ad perſeverantiam Apoſtolus 1. *Corinth.* 15. *v. ult.*

Promptitudo demum, ſeu hilaritas in operando ad circumſtantiam *quomodo* pertinet. Nam, qui, ut placeat Deo, operatur quidem *conformiter*, *ferventer*, & *perſeveranter*, niſi etiam operetur *hilariter*, notabilem planè in modo operandi perfectionem amittit. Abſit ergò triſtitia, & puſillanimitas in obſequio Dei: ad quod perfectè præſtandum, inſinuante S. Bernardo *ſerm. de obed. patientia* &c. *opus eſt, ut juſtitia ſit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione.* Et paulò infrà: *Oportet autem puſillanimitatem quoque & triſtitiam in omnibus, quæ agenda ſunt, vel toleranda, caveri; quia hilarem datorem diligit Deus.* Ponderentur itaque 4. qualitates iſtæ hujus circumſtantiæ, ut opera iſtis affecta Deo placeant, meritúmque augeatur operantibus.

867 Septima circumſtantia *Quando* indicat tempus, quo fieri debet opus. Quare circa tempus inchoandarum, & fructuosè perficiendarum actionum tria potiſſimùm neceſſaria, & notatu digna ſunt. 1. Ut fiant præſcripto tempore. Sic Horæ Canonicæ in Choro ſuis peragi debent temporibus. Idem eſt de alijs quibusdam negotijs domeſticis, & obſervationibus clauſtralibus; ut ſilentium ſervetur debito tempore, meditatio, lectio ſacra præſcriptis horis fiant.

2. Si nullum ſit determinatum operi præſcriptum tempus, quò citiùs fiet, eò melius erit, cæteris paribus: quia *qui citò dat, bis dat. Ingrati eſt*, ait S. Ambroſius *L. 1. de Cain c. 7. tardare promiſſum, & prima dati gratia eſt celeritas ſolutionis.* Unde illi Religioſi contra hanc circumſtantiam peccant, vel opus bonum inficiunt, qui certas, & conſuetas preces, ac devotiones, v. g. Roſarij, curſûs Mariani in ſeram noctem uſque differunt; nam, ut ait Seneca ep. 67. *omne honeſtum voluntarium eſt: admiſce illi pigritiam, querelam, tergiverſationem, metum, quod habet in ſe optimum, perdidit. Neſcit* enim *tarda molimina Spiritûs ſancti gratia.* S. Ambroſ. *L. 2. in Lucam.* Et *qui tardè fecit, diu noluit.* Seneca L. 1. de benef. c. 1.

3. Ad eandem circumſtantiam temporis reducitur, ut res, quæ aliquando fieri debet, eo tempore non fiat, quo ſuum non aſſequeretur finem, & effectum, ſed differatur. Sic peccans non eſt admonendus, dum furit; quia tunc

Digitized by Google

tunc non deſiſteret, ſed magis furereret. Atque ex enumeratis iſtis ſeptem circumſtantijs quilibet facilè deprehendere poterit operum ſuorum bonitatem, vel malitiam. Ex quibus apparebit etiam, num opera à nobis ſint facta, ut placeant Deo. Igitur ſi ad regulas hoc articulo datas ſeſe reflectere quotidie non neglexerint Tyrones, majorem indies acquirent perfectionem, & ingentem meritorum cumulum coacervabunt ſibi: quæ benigniſſimus Deus, qui dat omnibus affluenter, ijs largiri dignetur.

AUREA REGULA.

QUi viam illuminativam feliciter auſpicari volunt, ſeu in gradu proficientium jam verſantur, neceſſe habent, ut omnibus, & ſingulis virtutibus ſedulam navent operam, quibus in ſtatu gratiæ ab homine (utique viam purgativam jam emenſo) elicitis, adeóque operibus meritorijs, augeatur habitualis gratia, in qua perfectio conſiſtit. Ne autem in ipſo virtutum exercitio *eſſentialis forma*, ut ita dicam, deſit, ſcilicet *intentio recta*, præter jam tradita, hæc in praxi notanda ſubnectimus.

Intentio juxta Philoſophos nihil eſt aliud, quàm tendentia potentiæ, rationalis animæ, in objectum. Sic, dum cogitas diem ſerenum, intellectus tuus tendit in ſolem lucentem: unde intentionem habes diei ſereni. *Intentio* ita latiſſimè accepta dividitur in phyſicam, metaphyſicam, & moralem: illam Philoſophis, relinquimus, & de hac tantùm tractamus. Moralis *intentio eſt, qua facimus, quidquid facimus*; ut docet S. P. Aug. *L. 2. de Ser Dom. in mon. c.* 53. *quæ ſi munda fuerit, & recta, & illud aſpiciens, quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra, quæ ſecundùm eam operamur, neceſſe eſt, bona ſint.* Sicut à contrario mala ſint, oportet, omnia opera, quæ ex mala intentione fiunt; ſive id proveniat ab objecto malo, vel à fine malo, vel à modo operandi malo. *Intentio bona* alia eſt actualis, alia virtualis, alia habitualis. *Actualis* eſt, quæ præmittitur ſingulis actionibus: & hæc eſt optima, eóque magìs meritoria facit ſubſequentia opera, quò plura adſunt virtutum motiva, ex quibus illa exercentur. Sic, cùm dato ſigno Chorum accedis, laudandi Deum, in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, ut ames illum, credas, vel ſperes, voluntatem Superiorum facias, intentionem Eccleſiæ, & Religionis adimpleas &c. tot virtutum

Digitized by Google

tutum opera perages, quot in uno actu per multiplicatam intentionẽ intendis; uti ſupra n. 113. fol. 96. animadvertimus. *Virtualis* eſt, quæ, tranſeunte actuali, in aliquo effectu conſequente perdurat: v.g. manè, dum ſurgis, intentionem concipis, omnia opera toto die propter amorem Dei, vel in honorem B.V. &c. peragendi, poſtea intuitu hujus intentionis certas occupationes diurnas eligis, vel contrarias occaſiones, aut diſtractiones declinas; tunc omnia opera propter intentionem hanc virtualem erunt bona, & meritoria. *Habitualis* verò eſt, dum v. g. intentio matutina, vel actualis nec in ſe, nec in aliquo effectu, ſed ſolùm manet eatenùs, quatenùs non eſt revocata, & expreſsè retractata. Atque hæc intentio, quia omnino pertranſiit, nec ampliùs eo tempore, quo opera fiunt, exiſtit, nec quidquam de ea ſupereſt, non poteſt eisdem aliquam bonitatem, vel dignitatem merendi tribuere: de quibus Theologi.

Unde recta intentio optimè vocatur *Aurea Regula* actuum humanorum, eò quòd hos etiam (ad bonum, vel malum indifferentes) ad dignitatem moralis bonitatis elevet, opera alia verò etiam leviſſima, ex amore Dei peracta, velut aurea efficiat. Appende ergo, Religioſe Lector, opera tua in ſtatera; ſcrutare ſedulò, an hoc articulo traditæ circumſtantiæ in illis contineantur? num adſit *aurea regula*, recta intentio? vide, ne inveniaris minus habens? Manè præcipuum ſit ſtudium, ad hanc regulam totum locandi diem, omnésque efformandi actiones tuas. En brevem, at auream ſubjungo praxin, in pio libello Anno 1715. Auguſtæ impreſſo contentam: ſpero, ægrè te non laturum, quòd eam hìc referam, utpote bono tuo publicatam.

DIE SOLIS.

O Domine Dominus noſter! Rex cœli & terræ! cui ſervire regnare eſt: Ego indignus famulus tuus omnes cogitationes meas, verba & opera tibi ſupplex offero, maximè hoc die &c.

Quæ brevis oratiuncula ſive aſpiratio poſt factum S. Crucis ſignum ſingulis diebus repetitur manè.

In honorem S.S.S. Trinitatis, & omnium S.S. ſingulariter Eam colentium &c.

In gratiarum actionem creationis & dilectionis æternæ &c.

In ſatisfactionem ſuperbiæ, & incredulitatis &c.

Ad impetrationem 1. ſapientiæ, 2. fidei, 3. zeli divinæ gloriæ, 4. obedientiæ, 5. primæ petitionis orationis Dominicæ: *ut ſanctificetur nomen tuum* &c.

In unione cum Incarnatione Chri-

Chriſti, & prima effuſione ſanguinis ejus in circumciſione.

Pro tota Eccleſia Catholica. 2. pro omnibus Magiſtratibus Eccleſiaſticis & Sæcularibus. 3. pro omnibus Clericis Sæcularibus, & Regularibus.

Ex motivo Fidei, Religionis, & Gratitudinis. &c.

DIE LUNÆ.

O! Domine Dom. noſt. &c.

In honorem omnium Sanctorum, & maximè Reginæ S.S. omnium.

In grat. act. conſervationis, & providentiæ Divinæ.

In ſatisfact. avaritiæ, & puſillanimitatis.

Ad impetrationem intellectûs, 2. ſpei, 3. deſiderii cæleſtis gloriæ, 4. paupertatis ſpiritûs, 5 2dæ petitionis: *ut adveniat Regnum tuum.*

In unione cum meritis S. S. omnium, & 2da effuſ. ſanguinis Chriſti in horto.

Pro omnibus animabus purgatorii, 2. omnibus captivis, 3. omnibus tepidis, & imperfectis. *Ex motivo ſpei; juſtitiæ, vel alterius virt.*

DIE MARTIS.

O Domine! ut ſupra.

In honorem S. Angeli Cuſtodis, & omniū SS. Ang. eorúmque Reginæ.

In grat. act. prædeſtinationis, & juſtificationis.

In ſatisfact. luxuriæ & amoris proprii.

Ad impetrationem ſcientiæ, 2. charitatis, 3. caſtitatis, 4. mortificationis, & abnegationis mei ipſius, 5. 3tiæ petitionis: *Fiat voluntas tua &c.*

In unione cum meritis omnium S.S. Angelorum, & 3tia effuſione ſanguinis Chriſti in flagellatione.

Pro omnibus meæ curæ commiſſis, & quibuscum mihi agendum. 2. pro exiſtentibus in periculo peccandi. 3. pro omnibus innocentibus. *Ex motivo* charitatis, & miſericordiæ, vel alterius virtutis.

DIE MERCURII.

O Domine! ut ſupra.

In honorem omnium S. S. Apoſtolorum, eorúmque Reginæ, & S. S. Patronorum meorum.

In grat. actionem vocationis ad fidem, & ſtatum religioſum, vel clericalem.

In ſatisfact. invidiæ, & immiſericordiæ, &c.

Ad impetrat. conſilii, 2. fortitudinis, 3. Zeli animarum, 4. liberalitatis, 5. quartæ petitionis; *Panem noſtrum &c.*

In unione cum meritis omnium S. S. Apoſtolorum, & Patronorum meorum, ac 4ta effuſione ſanguinis Chriſti in coronatione.

Pro omnibus benefactoribus, 2. pro omnibus inimicis, 3. pro omnibus infidelibus. *Ex motivo* Zeli Divinæ gloriæ, ſalutis proximi, vel alterius. &c.

DIE JOVIS.

O Domine! ut ſupra.

In honorem Venerab. Sacramenti, & om. S. S. ſingulariter id colentium.

In grat. act. protectionis, & inſtituti Venerabilis Sacramenti, atque omnium donorum ab eo conceſſorum.

In ſatisfact. gulæ, & omnium defectuum circa hoc Sacramentum commiſſorum.

Ad impetrat. fortitudinis, 2. temperantiæ, 3. humilitatis, 4. fidei & devotionis erga hoc S. S. Sacr. 5. quintæ petitionis: *Et dimitte &c.*

In unionem cum actibus Chriſti inſtituentis Venerab. hoc Sacramentum, & quinta effuſione Sanguinis Chriſti in exuendis veſtibus.

Pro indignè communicantibus, 2. pro omnibus Sacerdotibus, 3. omnibus hæreticis &c. *Ex motivo* humilitatis, devotionis, charitatis, vel alterius virtutis.

DIE VENERIS.

O Domine! ut ſupra.

In honorem S. Paſſionis Chriſti Domini, Matris doloroſæ, Joannis Evangeliſtæ, M. Magdalenæ, & omnium Crucis amatorum.

In grat. act. redemptionis, & tribulationum omnium.

In ſatisfact. iræ, & impatientiæ.

Ad impetrationem pietatis, 2. juſtitiæ, 3 patientiæ, 4. felicis horæ mortis, 5. ſextæ petitionis: *Et ne nos inducas. &c.*

In unione cum meritis Chriſti Crucifixi, & 6.ta effuſione Sanguinis Chriſti in crucifixione.

Pro omnibus tentatis & afflictis, 2. omnibus agonizantibus, 3. omnibus in peccato mortali conſtitutis. *Ex motivo* pœnitentiæ, patientiæ, contritionis, & amoris erga Chriſtum patientem, aliarúmque virtutum.

DIE SABBATI.

O Dom. ut ſupra.

In honorem B. V. Mariæ & S. Joſephi, omniúmque S. S. ſingulariter eos colentium.

In gratiarum act. glorificationis, & conſolationum ſpiritualium.

In ſatisfactionem acediæ, & diſtractionum in oratione.

Ad impetrationem timoris Domini, 2. prudentiæ, 3. manſuetudinis, 4. filialis amoris & devotionis erga B. V. 5. ſeptimæ petitionis: *ſed libera nos. &c.*

In unione cum 7. gaudiis, 7. etiam doloribus B. V. & ſeptima effuſione ſanguinis Chriſti in Cruce.

Pro tota familia mea, 2. pro omnibus cultoribus B. V. & S. Joſephi, 3. pro exercitibus Catholicis. *Ex motivo* reſignationis, oblationis ſui ipſius, obedientiæ, aliarúmque virtutum.

Coronidis loco annotandum venit, quòd itentidem per diem, præſertim ante operationes, quæ à quibuſdam prioribus ſunt diverſæ, vel ad ſonitum horæ facta manè intentio ſit repetenda, non quidem verbotenus omnia recitando, ſed brevi aſpiratione in Deum, & Sanctos, eliciendo actus fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ, reſignationis, vel alterius virtutis &c. Atque ita inchoetur no-

novum opus, aut in cæpto pergatur: quo fiet, ut luce cœleſti irradiata, etſi minima, abjecta, & viliſſima ſint, ex amore Dei & motivo virtutis effecta, ſummè placeant omnia opera noſtra Divinæ Majeſtati, ac propter intentionem ita purificatam meritoria, atque quodammodo *aurea* evadant.

Auream ac cœleſtem praxin hanc omnes, quotquot ſanctitate illuſtres colit S. Eccleſia, jugiter tenuerunt, ut adeò nullus cœlum penetrârit, qui priùs in terris frequentiſſimos actus, ſanctos anhelitus, & ardentia ſuſpiria illuc non præmiſerit. S. Quiraudum in teſtem hujus veritatis adduco; qui in S. Baptiſmate Divino lumine illuſtratus, à puero pura mente ad Deum tendere nō ignorabat. Nam, quamvis Quiraudum, immaturo partu in lucem editum Podio Salicone ad Bitterras, noverca adeo deformaſſet natura, ut natum quaſi degenerem averſarentur parentes: obſtetricante tamen ſanctiore Lucina, dum ſacratiore de fonte alterum infanti affundebatur balneum, mirè tenellum caput irradiantis fulgor lucis è cœlo altiora docuit parentes ſentire de filio. Poſt hauſtas Parnaſſi diſciplinas, & ſeveriores literas, nunc mundi amorem, quem ab eo in ſe pellexit morum ſuavitas, oriſque venuſtas, juſto compenſavit odio; dum vanitates proterens ad Eccleſiam Collegialem S. Mariæ de Caſſiano Bitterrenſis Diœceſis confugerat, & habitum Canonicum ſub Regula Aureliana aſſumpſerat.

Electus dein, exigentibus virtutum meritis, in Abbatem, non facile dictu eſt, quanto charitatis æſtu flagraverit, ac in omnibus, et in minutiſſimis actionibus, ſuis, Divinam gloriam intenderit. Frequens erat illius ad ſuos Canonicos adhortatio, ut & ipſi, ſicut, in Præſule animadverterent, omnia ſua opera, ac religioſa exercitia ex puro in Deum amore perficerent. Tantæ interea humilitatis erat, ut Bitterenſem Cathedram Epiſcopalem ab occulta fuga retractus non niſi cum lacrymis conſcenderit. Regularem obſervantiam in Epiſcopali pallatio tam rigidè tenuit, ut iſtud Monaſterio, quàm aulæ ſimilius videretur: neque habitum regularem unquam dimiſit, ſed illum etiam ſepulchro intulit poſt ſanctam vitam. Ejus ſacrum corpus in Eccleſia S. Aphrodiſii tumulatum, crebríſque etiamnum miraculis coruſcans teſtatur palàm, S. Quiraudi vitam, opera, & intentiones Numini ſummè placuiſſe. *Ex Propriis S. S. C R. Lateran. & Gallicana Congreg. ad diem V. Novembris.*

Non abſimilis S. Epiſcopo fuit B. Theodorus Placentinus; qui Laterannenſem Congregationem haud vulgariter illuſtravit ſuis virtutibus, religioſâ auſteritate, & continua ſuarum actionum relatione ad Divinum centrum Canonicæ

Mmm 2 vitæ

vitæ normam nullo in apice negligendam ſtudio incredibili aliis perſuaſit; ipſe verò conſtantiſſimè obſervantiam illius tenuit, ſemper promptus ad vigilias, ad Religionis exercitia, quin & ad ardua quæque amore Chriſti tolleranda. S. meditationibus ſummè deditus, verſabatur quotidie cum maxima lachrymarum effuſione circa doloroſiſſimos Chriſti Domini cruciatus; nec niſi in vulneribus Jeſu Chriſti vivere, vel inveniri voluit, ut adeo, ſive biberet, ſive manducaret, ſive quidquam aliud ageret, ea omnia ex inflammato erga Crucifixum amore perageret. Religioſæ paupertatis, raræ veſtium munditiei (quas velut ſacratas magno proſequebatur cultu) & mirandæ abſtinentiæ, altiſſimæ verò humilitatis poſſeſſor tantarum virtutum divitem cælo transmiſit animam, quò priùs millenis ſuſpiriis continuò abiit. Placuiſſe Deo Theodori opera, Placentia refert; ubi prodigiis illius ſepulchrum clareſcit. *Ex Joanne Philippo Novarienſi in Chronicis l. 6. c. 39. apud Pennottum l. 3. c. 51. n. 3.*

Adjungimus ex eadem illuſtriſſima Congregatione nobiliſſimum ſurculum Rmum Oroſium de Oxio: qui poſt primos 12. illos viros piiſſimos, (qui Reformationis Frigdionariæ velut lapides fuerunt fundamentales) ſecundâ effulſit gloriâ, ſive innocentiam vitæ, morúmque integritatem contemplemur, ſive regiminis prudentiam, ſacrarúmque litterarum ſcientiam ſpectemus. Antequam Lateranenſibus ſe adjungeret, Sacerdotem ſæcularem egit: in quo ſtatu cæleſtium contemplationi non nihil deditus fallacibus mundi promiſſis, ſuadente venerabili P. Leone de Carate, valedixit. Quare veluti frugifera planta in horto Caſoretano poſitus, ut novis pateret cultoribus, ac naturali exciſus oleaſtro in bonam ſe mutaret olivam, pinguedine Spiritûs diffluentem, ſub Magiſtro Rmo Petro de Rido Patavino tantùm in virtutibus ſolidiſſimis profecit, ut quaſi naſcentem adhuc Congregationem plurimùm adjuverit, operarius fidelis, & indefeſſus; qui exemplo domeſticos alliciebat, exteros voce ad pietatem ſtimulabat. Præ cæteris virtutibus aſſiduitas in eo eminebat orationis mentalis; in qua aliquando à veſpertinis precibus in choro perſolutis uſque ad matutinum horarum Canonicarum penſum flexo poplite & mente in SS. Euchariſtiæ contemplatione erectâ permanſit immobilis. Jejuniis, ultra Ordinis morem, carnem ſuam affligebat. Plurima Ordinis, & Congregationis officia maximâ omnium laude, quin & ſupremam Generalatûs præfecturâ religioſiſſimè egit: quam tamen Anno evoluto, regiminis ſarcinam deponere, & magis ſubeſſe, quàm præeſſe voluit, & obtinuit. Minoribus perfunctus offi-

officiis ad ſtudia ſacrarum litterarum ſe contulit, & inſignia commentaria in Iſaiam, Jeremiam, Danielem, Ezechielem Prophetas conſcripſit. Deceſſit tandem Oroſius, de Religione, & re litteraria optimè meritus An. 1464. ætatis 63. Religionis 38. *ex Liceo Lateran. l.* 13.

Parem operibus ſuis perfectionem contribuit intentione purâ Reverendiſs. Udalricus Steppich, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Georgii Auguſtæ Vindelicorum Præpoſitus Ampliſſimus: qui, uti in vivis Deiparam Virginem impenſiſſimè coluit, ita & poſt mortem poſteris eundem in Divam teſtem voluit amorem; dum in templo ante illius iconem, ob crebra S. Matris opem implorantibus præſtita beneficia illuſtrem, ſepulturam elegit, & die 19. Novembris 1664. poſt obitum ſolenniter obtinuit. Singulis diebus, dum vixit, ſummo mane coram eadem effigie ad honorem Numinis, & creati Filii, nec non ad laudem ejuſdem Genitricis omnia opera diurna, quæ intendebat peragere, offerebat devotiſſimè: antequam verò cubitum concederet, ibidem nocturnas preces, & pro acceptis illo die beneficiis gratiarum actiones perſolvere, ad dictam dein Deiparis iconem converſus benedictionem ab illa petere erat ſolitus. Plura meritiſſimi Antiſtitis præclara facinora, & virtutum encomia funerales continent litteræ: ex quibus ſolummodo ſpiritus devotionem, & intentionis puritatē cunctis in actionibus ſuis elucentem detraximus, ne germano deſtituti videamur exemplo, dum innumera manus noſtras implent. *Ex theatro Reverendiſs. Grueber.*

Sic etiam Rmus Valentinus Steurer, præclarum Ordinis Canonici in Bavaria fulcrum, & ornamentum, vir Principibus charus, Magnatibus venerandus, omnibus admirandus, à puriſſima intentione, qua omnia ad Dei, & Sanctorum cultum auſpicabatur, poſteris pro exemplari ſummè commendandus; Cœnobii Weyarenſis penè collapſi, ſi non Fundator, certè extitit Reſtaurator. Illius quippe induſtriâ cenſus, ac redditus aucti, prædia, villæ, nemora, decimæ, lacus, alióque piſcium feraces aquæ comparatæ. Eccleſias quatuor è fundo erigi fecit: inter quas eminet Mariana illa, opere magnifico exſtructa, *Weichenlinden* dicta, peregrinorum adventantium, & miraculorum frequentia percelebre Bojariæ emporium. Volebat Valentinus eo opere orbi exhibere, quo affectu in magnam Dei Matrem ferveret: cujus honori ampliando omnes vires, totúmque ingenium impendit, hoc unum precatus, ne Virginis Filius ipſum ab hominum oculis morte præriperet ante abſolutam Weichenlindanam ad ſacras thermas Baſilicam.

Ratas habuiſſe Numen ipſius preces, effectus docuit; nam vivus adhuc, & ſenio licèt, & graviſſimis doloribus exagitaretur, ædificium tamen completum, ſacrîſque ritibus inauguratum, maximo animi ſui gaudio conſpexit, in illa Evangelici ſenis Simeonis verba inter lachrymas prorumpens: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.*

In limine ſtatim impoſitæ Prælaturæ, à Jove facturus principium, Cœnobii ſui templum auguſtum ſatìs, magîſque capax reddidit: in quo Congregationem B. Virginis, à Roſario dictam, non ſine magno amoris in Divam incremento inſtituit. In atrio etiam Weyarenſi auxiliatrici ſacellum erexit; in medio areæ autem è quadrato lapide Coloſſum, & in apice Beatiſſimæ Protectricis Deiparæ inſignem poſuit ſtatuam. S. Barbaræ Virginis agonizantium Patronæ antiquiſſimam Sodalitatem, in Reichersdorf erectam, poſtliminio celebriorem impetratis à ſummo Eccleſiæ Hierarcha Innocentio X. privilegiis, & Indulgentiis magno Zelo vigori ſuo reſtituit. Plura præclarè geſſit, egîtque digniſſimus Præſul Valentinus; quibus majorem Dei gloriam, Deiparæ, Cælitúmque cultum unicè promoveri intendebat: hinc ad cæleſtem coronam in ipſo profeſto S. Barbaræ, cujus honorem in alienis cordibus dilatandum tam ſedulò procuravit, tertio nempe Decembris, An. 1659. evocatus, piiſſimam, defixis in Chriſti è cruce pendentis effigiem oculis, ſacris ritè munitam reddidit animam, ætatis 73. Prælaturæ 36. Corpus peractis funeralibus, eodem in tumulo fuit conditum, quem ſibi ipſemet propriis manibus erutâ terrâ opere lateritio exſtruxerat.

Valentini Antiſtitis digniſſimi digniſſimus poſt intervallum ſucceſſor R.mus, Perilluſtris, & Ampliſſimus D.D. Præſidius, ne Valentino minùs valeret apud magnã Dei Matrem, ejus ædem Weichenlindanam ſplendidiſſimè exornavit; prodigioſam Virginis ſtatuam auro, gemmîſque veſtivit, novîſque aris coruſcantibus, atque ſacrâ ſuppellectile pretioſa decoravit, adjectâ inſuper domo, pro aliquot DD. Canonicorum Sacerdotum habitatione ſatis capaci, ut cæleſti Reginæ dignè ab iis inſerviretur, & piè peregrinantium, magnóque numero illic confluentium devotio Sacerdotalibus officiis cõtinuò promoveretur. Totum ferè Collegium, malevolâ manu injecto areæ igne (ut non inanis fuit ſuſpicio) in natalitio B. V. feſto miſerè incineratum, è fumigantibus ruderibus in auguſtiorem formam erexit. Quadratum atrium valde ſpatioſum modeſto ſplendore nitet; cui accedit ab ordine decus. Turris liquatis campanis ſimul exuſta, è fundamento ſectis qua-

quadratis lapidibus altiùs ſublimata, novóque grandi campanili reſonans aures, & oculos intuentium èminùs recreat; ut adeò Reverendiſs. Præſidius præſit Weyarenſi Collegio Celeberrimo non minori laude, quàm Valentinus. Illi cum Poëta vota mea accino hæc:

Præſidius Præſul tot fauſtos præſit in annos,
Quot numerat lapides ædificata Domus!

ARticulum de bene faciendis iis, quæ placent Deo, coronat Joannes Scutken Hollandus, Congregationis Windeſemenſis, Canonicus Regularis: in cujus vita à Buſchio conſcripta præclariſſimæ virtutum variarum continentur ſpecies. Humilitas illius in animo velut Regina virtutes cæteras aut regebat, aut fideliſſimè famulabatur omnibus. Cùm vir eſſet provectæ ætatis, doctrinæ, & religioſiſſimæ converſationis, perſuaderi tamen nunquam potuit, ut majores ſuſciperet ordines, & Sacerdotio initiaretur, contentus in Clericali numero eſſe conſtitutum. Statura erat mediocri, corpore macillento, quod cutis areſacta texit, ita quidem, ut ſingula oſſa facilè dinumerari poſſe viderentur; vultu Anachoretam quendam ex antiquis illis Ægypti incolis præſeferebat. Cubiculum ſuum Paradiſum terreſtrem reputabat; quod raró, & non niſi ad Divina officia vocatus, egrediebatur. Occupatio maxima illius fuit in ſanctis meditationibus, ferventibus orationibus, ac devotarum rerum ſcriptionibus, & continuis lectionibus. Cubiculum egredi volens, quaſi extemplò contra Principes tenebrarum ſe pugnare oporteret, devotis priùs è S. paginis deprompτis ſententiis, velut ſpiritualibus telis, ſeſe communiit. Ad illud, velut ad portum ſecuriſſimum, reverſus coram Crucifixi imagine in genua provolutus gratias eidem egit recitando Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*, aut Angelicam ſalutationem, vel quid ſimile. Adeò teneræ fuit conſcientiæ, ut lethali culpâ animam nunquam fædâſſe, ab omnibus ſit habitus. Cubitum non conceſſit, quin priùs exactam omnium illo die actorum rationem à ſe exegiſſet; atque aliquot oſcula impreſſiſſet terræ, dicere ſæpius ſolitus, *illum minimè in via perfectionis proficere poſſe, qui non accuratus inſpector conſcientiæ propriæ præviâ illius diſcuſſione fuerit.*

Magna ipſi erat ſpirituum moderandorum, ac diſcernendorum perſpicacia: hinc non modò domeſtici, ſed etiam exteri reconditum animarum ſuarum ſtatum ei pandentes optimam inſtructionem, & conſolationem accipientes ab eo diſceſſerunt. Inter cæteras, quibus erat præditus, virtutes, ardebat in illo Zelus quidam perfectionis

nis

nis primorum Patrum Windeſemenſium, ut propterea relaxationes, ſeu irrepentes abuſus quoſdam, palam reprehendere non fuerit veritus. Oculorum, ac linguæ cuſtodiâ inſignis, nunquam niſi parùm, aut benè de ullo auditus eſt loqui. Varia illi erat mentis induſtria actiones ſuas referendi ad Deum, uti & in promptu jaculatoriæ diverſi generis ad eundem aſpirationes. Manè è lecto ſurgens, animo, manibúſque ad cælum elevatis, precabatur: *Gratias tibi ago Domine Deus meus, quòd de dono tuo vivam. Hodie à te regnum tuum promoveri volo; nam omnia, quæ hodie ſum facturus, pro peccatis meis, & animæ meæ ſalute ad gloriam tuam perficiam, atque ab omni ſpecie mali ex amore tui ſedulò præcavebo.* Tum ad penſum Canonicum pergebat, quibus Marianum officium, & 7. pſalmos pœnitentiales adjunxit, & tandem contemplatione, ſive rerum Divinarum meditatione, concluſit. Sacrificio Miſſæ, velut extra ſe raptus, intereſſe videbatur. Non ſemel à latente ſub ſpeciebus Euchariſticis Numine mira ſuavitate talia audiebat: *O Joannes fili mi! Ego te creavi, homo factus te redemi, & nunc de cælo ad te veni, in exilio te conſolaturus, pro peccatis tuis ſatisfacturus, vota tua exauditurus, gratiam meam tibi collaturus, atque cæleſtem gloriam perpetuò tibi donaturus, ſi cunctis rebus creatis, illarúmque amoribus ex animo poſtpoſitis, me ſolum velis diligere, imitari, in corde tuo portare, mihi ſervire, gratâque memoriâ beneficia à me tibi collata recolere; quæ omnia uberem materiam tibi ſubminiſtrabunt ardentiùs me amandi.*

Unde ex Divino alloquio ad tantam mentis devotionem inclinavit, ut quidquid ageret, etiam comedendo, vel aliud quidvis minimum agendo, tempus nullum permiſit fructu vacuum abire: ſemper enim cogitatio piam ruminationem, vel jugem elevationem mentis ad Deum ſuggerebat. Ad ſingula fercula menſæ appoſita Deo gratias habuit, quòd tam liberaliter de neceſſariis ſibi providerit, *gratias ago*, inquiens, *tibi Deus meus pro univerſis beneficiis tuis, à te mihi conceſſis.* Prandio finito, exercitiis ad timorem Dei, cordíſque compunctionem inducentibus, recreationis loco utebatur. Singulis feſtis diebus, per annum occurrentibus, præſertim Chriſto D. Servatori, ejúſque ſanctiſſimæ Matri ſacris, ſpeciales aſſumpſit devotiones, ubique tamen accommodatas S. Myſterio ab Eccleſia propoſito: in quibus accuratè obſervavit, quæ tali feſto attendenda, quæ conſideranda, quæque imitanda eſſent. Tandem ad ſenectam pertingens, phtiſi graviſſimè laborare cœpit, quam comitabatur adeò vehemens tuſſis, ut crudum quandoque ſanguinem cum phlegmate effunderet. Interrogatus ab ijs, qui ægrum inviſebant,

Digitized by Google

bant, & in doloribus ad patientiam hortabantur, illud reſpondit, quod in Divinam voluntatem reſignatus Rex: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo &c.* quæ verba ſæpiſſimè repetijt. Ultima denique fuerunt: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Eja quàm bonum eſt, ibi eſſe!* Quibus dictis, felicem exhalavit ſpiritum Windeſemij 23. Jan. An. 1423. cùm quadraginta annos in S. Religione inſumpſiſſet. Poſt obitum cuidam ſeniori Canonico Windeſemenſi viſus eſt tribus horis in purgatorio culpas expiaſſe, ac tum ſtellæ matutinæ, & paulatim ſolis lucentis inſtar ad Superos evolâſſe. *Ex Joanne Buſchio in Chronica Windeſ. L. 2. c. 63. 64. 65. Theat. Reverendiſſ. Grueber*: qui ex cit. Auth. deprompſit hanc vitæ deſcriptionem.

Similem exoptas volatum, Religioſe Lector, diſcute alas tuas cum Joanne. Quò purior à terrenis affectibus ſpiritus, eò levior & velocior erit volatus.

Reverendiſſimus Georgius Wagner, Cellæ Dietrami piiſſimus Antiſtes, puritatem intentionis, qua in Deum, Cœlitésque ferebatur à teneris, tunc maximè orbi probavit, quando ſodalitium Sanctiſſimi Roſarij in Collegialem Eccleſiam induxit; útque ad cultum doloroſæ Deiparæ circumjacentes populos magis animaret, inſigne ſacellum Eidem non procul à Cœnobio in monte è fundis erexit, dedicavítque. Quod ideò de *eremo* communem accepit appellationem, quia proximæ ſylvæ arbores, lunæ in modum ſacræ ædi famulantes, peramœnâ etiam piè viſitantibus umbrâ devotionem ingerunt. Hæc præſenti ſæculo à pluribus beneficijs copioſior facta, à Reverendiſſimo, Ampliſſimóque DD. Petro, feliciſſimè B. Dietrami naviculam gubernante, altiùs ſublimata, majora indies ſumit incrementa. Vivere deſijt Georgius 20. Octobris An. 1661. ætatis 60. ex *Eremo* terreſtri ad *Aulam* cœleſtem Reginæ virgineæ evocatus, ſuccedente Reverendiſſ. Auguſtino Aicher Monacenſi: qui à tenerrima in S. Euchariſtiam pietate ſpectabilis, vix Sacrificium Miſſæ ſine pijs lachrymis peragere potuit. Diebus maximè feſtivis ſub ſummo Officio ab aſſiſtentibus ſibi miniſtris viſus eſt ardentibus diffluere guttis, ac madidis oculis in patientis Chriſti effigiem defixis, aut in altum levatis, in notabiles prorumpere ſingultus, ſuſpiranti ſcilicet, & *altitudinem conſilij Divini ſuper ſalutem generis humani* in mirabili Myſterio conſideranti Legislatori ſuo, nominíſque Patrono, non abſimilis. Duobus annis non integris, quibus Auguſtinus Cellæ

Dietrami laudatiſſimam Præſul impendit curam, tot ſibi accumulavit merita, ut æterna prœmia differre cœlum noluerit; quò abijt 15. Octobris Anno 1663. *Ex Lit. funeralibus.*

ARTICULUS VI.

De ferendis æquo animo iis, quæ diſplicent amori proprio.

SUMMARIUM.

368. *Amoris proprii, ceu malorum omnium fontis, tam incipientibus, quàm proficientibus neceſſaria eſt mortificatio.*
369. *Quid ſit malum, quod ſugit amor proprius?*
370. *Graviores ſunt perſecutiones linguarum,*
371. *Præſertim à domeſticis, amicis, & bonis excitatæ:*
372. *Graviſſima autem, famam & honorem lædentes.*
373. *Heroica documenta.*
374. *In quibus tamen diſcretio ſervanda. Proprij torcular amoris. Exempla.*

368 FErre æquo animo ea, quæ diſplicent homini, amore proprio captivato, inſignis eſt gradus *proficientium*; quamvis etiam *incipientes* omnino attingat, præſertim quoad rigidiorem *incipientium* modum: nullus etenim viam purgativam excedere valet, qui amorem proprium non ſubſtravit, atque ab illo dependentes defectus haud exiguos, velut grandes de rupe avulſos lapides, è medio non ſuſtulit. *Amorem* quippe *proprium* principium eſſe omnis peccati, cum S. Cherubico Doctore noſtro probat Angelicus 1. 2. Q. 77. a. 4. & 5. *Amor ſui*, profert Ille *L.* 14. *de civit. c.* 28. *uſque ad contemptum Dei facit civitatem Babylonis &c.* Atqui, ſubinfert alter, *per quodlibet peccatum pertinet homo ad civitatem Babylonis: ergo amor ſui eſt cauſa omnis peccati.* Argumentum hujus demonſtrativum eſt. Omnis converſio à Deo ad bonum commutabile eſt peccatum; ſed omnis actus, ab inordinato appetitu alicujus temporalis boni procedens, eſt converſio à Deo ad bonum commutabile: ergo omnis actus, ab inordinato appetitu alicujus boni temporalis procedens, eſt peccatum. Atqui, ſubſummit S. Doctor, *amor ſui* eſt cauſa, quòd actus ab inordinato appetitu procedat, *quòd autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc,*

hoc, quòd inordinatè amat ſeipſum; hoc enim eſt amare aliquem, velle ei bonum: ergo *amor ſui* eſt cauſa omnis peccati.

Quare ex inconcuſſa doctrina neceſſariò deducitur, eum, qui in numero incipientium eſſe, ac in via purgativa profectum vult capere, adeò perniciosum hoſtem debellare, & configere penitus debere; nec poſſe quemquam *viam perfectionis* ingredi, qui tot, tantarúmque offenſionum ſaxa priùs non attriverit, & viam illuc ducentem non perpurgaverit. Qui ergò æquo fert animo ea omnia, quæ diſplicent *amori proprio*, ſignum habet ſublati obſtaculi, & ſe eſſe in proxima *ad perfectionem* via.

369 Cùm *amor ſui* bonum ſibi appetat, & ſui amans ſibi amato bonum velit, quidquid huic *bono* obſtat, *amori* proprio *malum* cenſetur. Tot verò ſunt ejusmodi *mala*, quot genera ſunt, quæ illius *bono* adverſantur; ſive dein hæc afficiant immediatè corpus, ſivè ſint immediatè in anima, aut in anima & corpore ſimul. Aliqua item numerantur mala, quæ magis aut minùs *proprio amori* diſplicent: de quibus à *num.* 159. egimus, neque hìc repetenda judicamus, ſolummodo de majoribus, & graviùs acerbiúsque amorem proprium afficientibus, malis tractaturi. Proin

Dicendum 1. Inter varias tentationes, & afflictiones hujus vitæ graviores ſunt, magisque moleſtæ, & *amori proprio* magìs contrariæ, *perſecutiones linguarum*. 370

Probatur aſſertio multiplici exemplorum, & teſtimoniorum à Viris Sanctis inductione. Inprimis ſtupendum illud patientiæ miraculum S. Job plura, & graviora ſuſtinuiſſe martyria à maledicentia ſuæ uxoris, & amicorum, fatetur S. Joan. Chryſoſtomus *hom.* 1. *in* 2. *Corinth.* & *hom.* 25. *ad pop. Neſcio*, ait, *quomodo omnibus rebus amarius ſolent mordere maledicta.* Cujus rationem reddit iſtam. *Quia alia mala tolerantem multorum præconia conſolantur; in maledictionibus verò etiam ipſa conſolatio ſubducitur.* Ejusmodi *linguarum* maledicentium *perſecutionem*, omni alia cruce, quin morte ipſa acerbiorem, de ſe teſtatur *hom.* 31. *ad pop.* quando amicorum etiam ſuorum exprobrationes, & dicteria audiebat, crimina ſibi per calumniam affingentium, cui exilij calamitas, velut homini impio, & exlegi, tanquam Dei hoſti, & qui virtutem antea eſſet ementitus, juſtè accidiſſet. *Credite mihi*, exclamabat afflictus Orator aureus, *pejora ſunt, quæ nunc patimur, his, quæ Paulus perpeſſus eſt. Eum illi lapidibus cædebant; ſed nunc accidit, ut verbis, quæ lapidibus difficiliora ſunt, feriamur. Novi mul-*

Digitized by Google

tos non ita vulneribus dolentes, ſicut verborum percuſſione: illam quidem plagam corpus excipit, iſtam anima. Ita Moyſes, vir aliàs mitiſſimus, murmurationes populi, carnes ambientis, contra ſe graviſſimè ferebat, ut mortem vitæ præferret, rogans à Deo *Num.* 11. *Obſecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis,* linguarum nempe mordentium. Similiter S. Elias, impiæ Reginæ dicterijs exagitatus, mortem à Deo precatus eſt: *tolle Domine, quæſo, animam meam. 3. Reg.* 19. S. Paulus etiam linguæ morſibus agitatus, & excitatâ contra ſe ab Epheſijs ſeditione, tribulationem hanc Corinthijs ſuis manifeſtavit, *ſupra modum*, aſſerens, *gravatum ſe fuiſſe, & ſupra virtutem, ita ut tæderet etiam vivere. 2. Corinth.* 1. *v.* 8. Pluribus adducendis Sanctorum, verba verberibus duriora judicantium, exemplis ſuperſedeo; cùm Deus ipſemet linguarum maledicentiam graviſſimè tulerit, & conqueſtus ſit *Num.* 14. ℣. 11. ad Moyſen: *uſquequo detrahet mihi populus iſte?* ad oſtendendam verò iram & indignationem ſuam, in maledicentes conceptam, *feriam igitur*, inquit, *eos peſtilentiâ, atque conſumam.* ℣. 12. Hinc etiã Aaron & Mariam, Moyſi detrahentes, graviter reprehendit, & Mariam candenti lepra punivit *Num.* 12. Quare maledicentium linguarum perſecutiones ponderans S. Auguſtinus *L. de Bapt. contra Donatiſtas L. 2. c. 7.* aſſeruit, *levius putari, quod gladio minante, quàm quod linguâ committitur*: nam, ut alibi habet *tract. 5. in Joan. illi graviùs cor feriunt, qui lingua gladio feriunt.* Atque exinde à varijs Hæreſiarchis linguâ & calamo impetitus, crucem hanc omnium duriſſimam Deo commendavit, & ſolo bonæ conſcientiæ ſcuto ſeſe defendit; dum inter alia Secundino hæretico, falſa quædam contra ſe jactanti, reſpondit: *ſenti de Auguſtino, quod volueris, ſola me in Dei oculis conſcientia non accuſet. L. contra Secund. c.* 2.

Dicendum 2. Adhuc gravio- 371
res ſunt ejusmodi perſecutiones, ſi excitentur ab amicis, à bonis, à domeſticis, & ab illis, quibus benefecit patiens. Probat hanc aſſertionem S. Rex David, auctor, ac teſtis omni exceptione major, dum *pſalmo* 54. ab experientia propria fidem alijs facit, ingeminans: *ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, & ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Quod explicat in hunc locum S. P. N. *attende*, inquiens, *quid gemat propter pericula à falſis fratribus*, & propter perſecutionem intentatam ab eo, qui *aliquando bonum conſilium dedit*,

dit, fortè aliquando præceſſit ſe, & ſalubre aliquid monuit ſe, atque id præcipua querelarum S. Regis cauſa eſt, quòd ab amico, à duce, à conſiliario, à familiari, & à noto iniquitatem patiatur. Et unde tanta animoruw & amicorum diſſenſio, niſi quòd ille, *qui intùs erat* dulciſſimus amicus, ſecretorum omnium conſcius, & bonorum cunctorum particeps, *foris factus ſit* ex amico inimicus, ſecretorum proditor, pro beneficijs mala retribuens. Propterea Chriſtus Dominus ab electo Apoſtolo ſe proditum fore cognoſcens, *turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Joan.* 13. *v.* 21. Judæ verò amaritudinem ſui cordis teſtatus eſt, & modeſtè ſimul proditionem exprobravit Divino & amantiſſimo Magiſtro digniſſimis verbis: *Amice, ad quid veniſti? Matth.* 26. *v.* 50. Duriùs nempe Chriſto, patientiæ Archetypo, videbatur, tradi à domeſtico, quàm occidi àb inimico: duriùs videbatur, prodi ab Apoſtolo, quàm crucis ſententiam ferri à Pilato: & hinc, qui velut agnus coram tondente ſe obmutuit, non potuit non meminiſſe, quin *aliquantiſper exhorruerit, & perturbationis figuram oſtenderit: adeò moleſtè ferebat ſcelera illius*, tanquam amici & domeſtici, *qui, cùm ejus panem manducaſſet, calcem tamen contra illum elevaret*; prout advertit S. Cyrillus Alex. *L.* 9. *in Joan. c.* 13. Idipſum ponderat S. Greg. Mag. *hom.* 35. *in Evang.* „Quia minorem dolorem mala ingerunt, „quæ ab extraneis inferuntur; „plus verò in nobis ea tormenta „ſæviunt, quæ ab illis patimur, „de quorum mentibus præſumebamus; quia cum damno corporis mala nos cruciant amiſſæ „libertatis. „Amicus enim amico obſtrictus eſt amoris beneficio: diſrumpe hoc vinculum, & apparebit intimus animi dolor, amaritudo, languor. Hinc amicorum, domeſticorum, confratrum derelictionem, aculeata dicteria, detractiones, & linguarum morſus ſpinis comparat Mellifluus Crucis Amator *ſerm.* 48 *in Cant. Spina pœna eſt; ſpina falſus frater, ſpina vicinus malus.* Veritatem iſtam clariſſimè agnovit aureus Patriarcha, dum *L.* 3. *de provid.* inſinuat duritiem crucis, quam quis patitur ab eo, quem quis antea beneficijs devinxit: nam *durum*, ait, *quidem, & moleſtum eſt, à quovis homine maledictis laceſſiri; verùm cùm beneficiis quiſpiam affectus beneficia ipſa exprobraverit, tunc jam efficitur ea contumelia intolerabilis.* Doctrinam hic aſſertam *columna & firmamentum veritatis* (uti B. Rupertus Tuitienſis Ord. S. Benedicti eum indigitat) S. P. N. *in pſal.* 7. coronat, aſſerens, *majoris patientiæ eſſe, nec mala ei rependere*,

Digitized by Google

re, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quàm ſi nullo accepto antè beneficio nocere voluiſſet. Ideo David Chriſti exemplo proficiens dicit: ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis.

327 Dicendum 3. Inter omnes iſtas perſecutiones ac tribulationes graviſſimæ cenſentur, quibus bona opinio, fama, & honor læditur. Aſſertionem probat experientia, & communis omnium ſenſus; nam à natura homines honeſti & ingenui ita comparati ſunt, ut detractionem famæ, convitia, & contemptum ſignis externis, ac verbis proditum, acerbiùs ferant, quàm jacturam omnium bonorum temporalium, etiam vitæ; prout apud Jureperitos tritum eſt: *fama & vita pari paſſu ambulant.* Quod etiam S. Thomas docet 2. 2. *Q.* 103. *a.* 1. *ad* 2. *nihil poteſt eſſe in humanis rebus & corporalibus majus honore.* S. P. N. Doctorum Phœnix ſimilem latroni pronuntiat, qui jacturam famæ non curat: *Qui confidens conſcientia ſua negligit famam ſuam, crudelis eſt. Serm.* 49. *de diverſ. c.* 1.

Accedit his commune teſtimonium, quòd honor, & fama, apud nobiles præſertim, claróſque Viros, vitæ præferantur; dum tot monomachijs, ad vindicandas oris injurias inſtitutis, vitam, & ſalutem æternam miſerè perdiderunt. Tot verò graviſſima bella, fatales rixæ, & inextinguibilia familiarum integrarum odia extremis nonnunquam utriusque partis ruinis haud ſuffecerunt ad expiandum honorem læſum. Nempe *generoſas mentes*, orat. 3. Julianus Imperator aſſeverat *convitio magis, utpote re maximè ſibi contrariâ, moveri, ideóque eos, qui ea contra ſe jaciunt, vehementiùs odiſſe, quàm qui ferrum intentant, ac vitæ ſuæ inſidias moliuntur.* Fundatur autem innatus honoris proprij, & famæ appetitus in eo, quòd quilibet ſuapte natura velit reputari bonus, & non malus: hoc autem aſſequitur per ſigna externa aliorum, qui verbis, aut factis bonum quemdam pronuntiant; nam *Honor in ſignis exterioribus, & corporalibus conſiſtit* ſecundùm S. Th. c. l. A contrario per verba diffamatoria & calumnias objectas tollitur bonitas appetita: hinc non niſi ingens animi dolor enaſcitur. Dolet enim amor proprius, quòd bonum ſibi adeò volitum aſſequi non poſſit propter oppoſitas inhonorationes; cùm honor, laus & gloria bonitatem propriam alicujus manifeſtent; *quia* per S. c. l. *ex hoc, quòd teſtificamur de bonitate alicujus, clareſcit bonitas ejus in notitia plurimorum &c. gloria autem eſt clara cùm laude notitia;* quæ obſcuratur, & obnubilatur contemptu, infamiâ, & detractione.

Patet

373 Patet ergo ex his, meritò diſplicere amori proprio tam oppoſitas malitias: contra quas ne bellum gerat in animæ ruinam, néve fons omnium malorum, *amor* ſcilicet pernicioſus *ſui*, defenſione ſuccreſcat, ea ferè omnia dogmata obſervanda, & ad hunc articulum integrandum transferenda ſunt, quæ *cap.* 3. *art.* 2. *de humilitate*, *& art.* 4. *de patientia*, *atque cap.* 4. *art.* 10. ſatis fusè, ac ſolidè fuerunt tractata. Cæterùm heroica erit reſolutio, ferendi æquo ac ferventi animo ea, quæ diſplicent amori proprio; qualia ſunt ſequentia: 1. ſi permaneas in eodem loco, à quo abhorret amor proprius propter incommoda, quæ ibi percipit. 2. ſi à converſatione te non ſubtrahas cum perſonis tibi non addictis, erga quas habes naturalem antipathiam, vel ſcis, tibi eſſe offenſas, aut eſſe tuos cenſores. Eapropter in vitis P. P. apud Rosw. V. 631. laudatur quidam Monachus, qui ab aliquo injuriâ affectus tantò magis ad eum acceſſit, dicens: *quia hujusmodi homines cauſa corrigendi ſunt his*, *qui in converſatione ſtudioſi ſunt.* 3. ſi in officio, vel occupatione permaneas, quæ multæ crucis eſt cauſa, & proin horrorem ingerit amori proprio. 4. ſi ægrè non feras, cùm omnia tua dicta & facta improbantur, & in malam partem vertuntur. Quin etiam ſi perpetuas patiaris accuſationes, contumelias, deſpectus, & audias detractiones, convitia, ut ſis velut ſignum quoddam, in quod vibrentur omnia moleſtiarum genera. In qua heroica amoris proprij ſuppreſſione excelluêre Ven. Petrus Forerius, Illuſtriſſimus Alanus de Solminihac; uti de virtute humilitatis & patientiæ exempla poſita ſunt: aliud ſimile ad calcem hujus articuli ſpectandum præbebimus in Reverend. Carolo Favre. 5. ſi inſuper ægrè non accipias, quando rerum omnium, amori proprio placentium, jacturam incurris; uti ſunt dependentes à libera hominum voluntate, e.g. bona apud alios opinio, bona fama, honores, favores, promotiones, &c. ad quales res habere poſſes aliquod jus, ne tibi eriperentur. Quæ proin, ſi tacito animo ferantur, & quaſi negligantur, mirè amorem proprium afficiunt. 6. ſi neque patronos quæras ad tuam defenſionem in perſecutionibus: & 7. neque Deum etiam preceris, ut te à tuis adverſitatibus liberet; ſed magis gratiam tibi largiatur, ut majora perferas, & Chriſto patientiſſimo, & ab omnibus in ſua paſſione derelicto, ſimilior evadas. Recogita heroicam illam S. Greg. M. *L.* 10. *moral c.* 4. ſententiam: *qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat.*

In omnibus tamen his virtus 374
diſcretionis adſit, & limitatio, ſupra n. 144. & alibi inſinuata; nam diffa-

Digitized by Google

diffamationes, detractiones, maximè, ut diximus, amori proprio contrarias, & ſimiles linguarum perſecutiones generoſus ſui victor ſibi tantùm contingere optet, & contingentes ferat, ſi fieri poſſit, ſine ulla Dei offenſa, 2. ſine impedimento Divinæ gloriæ, 3. ſine damno & peccato aliorum; & ut omnia talia ab adverſarijs fiant ex bono Zelo, ob bonum finem, & cum merito eorum, ſaltem ex formata ab ijs bona conſcientia, quantum eis ſatis ſit, ne te invadendo Deum offendant; quin potiùs mereantur, putantes ſe Deo præſtare obſequium, dum te humiliant, & perſequuntur; uti religioſiſſimè advertit diſcretiſſimus Aſceſeos Magiſter Lanc. *de* 4. *F. c.* 7. Denique in omnibus ejusmodi adverſitatum caſibus Clarevallenſis doctrina *de obed.* locum habeat: *ſic ſaltem laborandum unicuique, ut labor, & dolor in cibos tranſeat ſalutares.*

PROPRII TORCULAR AMORIS.

QUod eſt racemis & botris torcular, id adverſitates ſunt homini. Uvæ quippe ſuaviſſimum non emittunt liquorem, niſi premantur; neque animæ Deo gratiſſimæ latentem diffundunt virtutem, niſi tribulationibus conterantur. Cùm vinea putatur ſuperfluarum abſciſſione frondium, lachrymas uberes fundere videtur; ex quibus dein in autumno pampini virides, & numeroſi excreſcunt botri. Ita homo amore ſui captus vitioſa progerminat lolia: eradicetur vitioſus amor; *propria exiſtimatio*, *proprium commodum* extirpetur; adverſa inducantur; putetur hæc *vinea ſpiritualis* vanarum abſciſſione rerum, quibus vitia foventur; lachrymas fundant oculi, ruinoſam aſpicientes cum Jobo fortunam; prematur calumnijs; opprimatur calamitatibus; ſupprimatur malis omnibus: Et ecce! uvam in torculari, botrum in preſſura tueris, largiſſimos fundentem latices virtutum latentium, humilitatis, patientiæ, fortitudinis, ſpei, & fiduciæ in Deum &c. Audi metaphoram *torcularis*, & *adverſitatis*, à Tropologico Doctore Hipponenſi poſitam, & in pſalmo 83. expoſitam. „ Quid agatur in his „viſibilibus *torcularibus*, recordemur; & hoc videamus, quemadmodum ſpiritualiter agatur in „Eccleſia. *Uva* certè pendet in vitibus, & *oliva* in arboribus; his „enim duobus fructibus ſolent „*torcularia* præparari; & quamdiu „pendent in frutetis ſuis, tanquam „libero aëre perfruuntur, & nec „*uva* vinum eſt, nec *oliva* oleum „ante

„ante preſſuram. Sic ſunt & ho-„mines, quos prædeſtinavit Deus „ante ſæcula, conformes fieri ima-„ginis Unigeniti Filij ſui, qui præ-„cipuè in paſſione *magnus Botrus* „expreſſus eſt. Hujusmodi ergo „homines, antequam accedant ad „ſervitutem Dei, fruuntur in hoc „ſæculo tanquam delicioſa liberta-„te, velut *uvæ*, aut *olivæ* pendentes. „Sed quoniam dictum eſt: *fili ac-„cedens ad ſervitutem Dei ſta in ju-„ſtitia & timore, & præpara animam „tuam ad tentationem*: accedens „quisque ad ſervitutem Dei, ad *tor-„cularia* ſe veniſſe cognoſcat; con-„tribulabitur, conteretur, compri-„metur, non ut in hoc ſæculo per-„eat, ſed ut in apothecas Dei de-„fluat. Exuitur carnalium deſide-„riorum integumentis, quaſi vi-„nacijs: hoc enim ei contigit in „deſiderijs carnalibus; propter quæ „& Apoſtolus dicit: *Exuite vos „veterem hominem, & induite no-„vum.* Hoc totum non fit, niſi de „*preſſura.* Propterea torcularia no-„minantur Eccleſiæ Dei hujus tem-„poris, in torcularibus poſiti qui „ſumus *filii Core*. *Et infra.* Chri-„ſtianorum ſunt ergo iſta *torcula-„ria.* In preſſuris autem conſtituti „ad hoc conterimur, ut amorem „noſtrum, quo ferebamur in iſta „mundana, ſæcularia, temporalia, „fluxa, atque peritura, deponamus, „paſſi in hac vita tormenta, & tribu-„lationes preſſurarum, & abundan-„tiam tentationum, incipiamus „quærere illam quietem, quæ non „eſt de hac vita, nec de hac terra &c. Sicut ergo vinum non fluit ab uvis, niſi preſſis; ita nec vera & heroica emanat virtus ab anima, quæ adverſis non fuerit exagitata: ut adeò adverſitas quævis ſit quidem *malum* proprium *amoris proprij*; at ſimul optimum *torcular* ad exprimendas virtutes. Manet igitur adverſitatis lemma: *proprij torcular amoris.* Ne hìc illuſtrium virorum exempla taceamus, virtute patientiæ inſignium, innumeris cœlo notis B. Martinum Bergomenſem accenſemus, qui nihil non egit, quo amorem proprium afficeret, & conficeret. Ingreſſus Ordinem noſtrum in Lateranenſi Congregatione, Æra Chriſtiana 1410, miris virtutibus eundem illuſtravit. Cùm abjectio, & ſui deſpicientia præcipuum amoris proprij præcipitium ſibi videretur, humilitatem pro fundamento poſuit, ne ſuperbiâ reſurgere, & vires novas concipere poſſet. Hinc duo erexit propugnacula humiliato in animo, timorem Dei ſcilicet, & religioſam paupertatem; quibus adversùs hoſtiles impetus, & occultas philautiæ inſidias tutò ſe defenderet. Viſitator poſtea generalis Monaſteriorum Congregationi Lateranenſi unitorum conſtitutus, provinciam ſuſceptam pedeſter obibat, ne commodum ullum ſentiret Martini amor, ubique verò màgna virtutum ſuarum relinquèret veſtigia.

Digitized by Google

Minus proinde fuit miraculum, quòd concionibus ſuis deſperatos, & vitiorum cœno ſubmerſos, ad frugem, & pœnitentiam reduxerit, cùm tantum ſui odium præſetulerit. Ex depretiatione ſui ſumma in eo appretiatio infiniti boni fuit progenita; atque exinde tam validas in corde egit radices Divina charitas, ut nihil à Deo peteret, quod non obtineret, infirmis repentina ſanitate donatis, & obſeſſis ab infernali inquilino liberatis, thavmaturgus Bergomenſis. Unum beato Seni in vita commodum fuit baculus, quo pedum uſu deſtitutus in decrepita ætate fulcri loco utebatur. Cujus major pars Bergomi aſſervata, etiamnum mulieribus in partu periclitantibus applicata, prodigioſam confert opem. Vitam beatam Papiæ in cœnobio S. Epiphanij clauſit 18. Novembris An. 1478. ætatis 93. Religionis 68. Illius corpus poſt annos centum, ſcilicet An. 1569. die 4. Decembris integrum, ac palpabile repertum fuit, exceptis digitis manuum, pedum, ac anteriore parte cranij in dextro latere. Anno verò elapſi ſæculi decimo quarto die 14. Auguſti in decentiorem locum ad ſiniſtrum Eccleſiæ S. Epiphanij latus ſub organo translatum, eſt appoſitâ inſcriptione.

Hic jacet corpus B. Martini Bergomenſis Canonici Regularis Lateranenſis translatum die 14. Auguſti. Obiit anno 1478. die 18. Novembris. Ex *Gabriele Pennotto L.* 3. *c.* 26. & 51. ubi Apollonij Colatini Presbyteri, & Poëtæ Novarienſis duos verſus recitat.

Oſſa Papia tenet: fulgent miracula paſſim
Martini: ſuperâ ſpiritus arce nitet.

Simili, ſanctóque odio ſeſe proſecutus eſt Gerlacus Petri Daventrienſis Belga. Cùm enim adhuc adoleſcens ob vultûs decorem, morúmque compoſitionem conſtitueretur à Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Daventrienſis, ut in feſtis B. V. illius perſonam in publica ſupplicatione ageret, & ſacratas Virgineæ Matris obiret vices, altiore intùs inſtigante ſpiritu, votum perpetuæ caſtitatis nuncupavit, quam & illibatam tumulo intulit. Florentio Radewino dein vitæ ſpiritualis rudimentis imbuendus traditus in Collegio Windeſemenſi habitum Canonicum ſuſcepit; ubi Novitius adhuc adeò in virtutibus profecit, ut illius converſatio in cœlo potiùs, quàm in terris eſſe appareret. Profeſſus, & Sacerdotio initiatus animum gerebat ſemper ad Deum elevatum; quem externus corporis ſitus prodidit. Cùm ſacram ſupellectilem Sacriſta curaret, aſſerere ſolebat, officium hoc præ cæteris obedientiæ munijs eſſe ſanctiſſimum, ſibíque gratiſſimum, quòd frequentiſſimè circa Divina myſteria, aliáſque res Deo dicatas, quæ materiam devotarum cogi-

cogitationum ſubministrant, occupari contingat. Inter Miſſarum ſolennia anima illius dulciſſimi Sponſi præſentia nimiùm delectabatur, fervebat deſiderio, ardebat amore, & inter mentales exceſſus, corpus ſecum rapientes, æſtu interno accendi videbatur. Sæpiùs ſub hymno Ambroſiano, aliíſque ſacris canticis extra ſe poſitum, anterioribus aliquando pedum articulis vix pavimentum attingentibus, proximè adſtantes notârunt. Solitudinis amator eximius, cùm in pomerio Concanonicorum colloquijs frueretur, & ſingularem Dei gratiam ſibi illuxiſſe ſentiret, mox adſtantibus dicere fuit ſolitus: *Fratres ad cubiculum me ire oportet; eſt qui ibidem me præſtolatur,* Chriſtum animæ ſuæ ſponſum ſubintelligens, cujus internum alloquium, ac mentalem præſentiam omnibus mundi delicijs longè antepoſuit. In adverſis conſtitutus ſolenne illius erat: *Dominus Deus noſter adhuc vivit.* Ad homines: *grates ſint omnibus, per quos panem meum lucrari poſſum.* Ad ſeipſum: *feſtina conſummari, in proximo vocaberis. Tace, cede, inclina.*

Graviſſimis calculi doloribus exagitatus querulam vocem non tantùm emiſit nullam, ſed magis gratias Deo reddidit ob datam merendi materiam. Hinc inter cruciatus vehementiores ſolenne illi fuit S. P. ſui: *Hic ure, hic ſeca Domine, modò in æternùm parcas.* Novitiorum Canonicorum Magiſter à Superioribus conſtitutus ſinceram animi ſubmiſſionem, velut omnium virtutum baſin, ac fundamentum, patientiam verò, perfectionis religioſæ matrem, ac nutricem appellare conſuevit, ſuóſque alumnos non tam verbis, quàm exemplis ad illas acquirendas animavit. Nam ad pedes Superiorum, & inferiorum ſeſe abjicere, flexíſque genibus ab iis mandatum ſuſcipere, inſtructionem morum, atque vivendi rationem petere deliciæ ipſi fuerunt. Aliquando cùm ægritudinis doloribus penitus debilitatum Novitius quidam, plurimùm de ſui Magiſtri adverſa valetudine contriſtatus, cerneret, & ob id largas effunderet lachrymas, *non me,* ille inquiebat, *lugeas fili, nec doleas; licèt enim dolores, quos me ſuſtinere vides, vires humanas penè excedere videantur, ſi tamen pro Dei honore, ac animæ tuæ profectu id fore cognoſcerem, paratus eſſem adhuc eoſdem ſemel ſubire.* Si quando dolores mitigari non nihil contingeret, hilari, ac renidenti ore dicebat: *ita nempe malus ſervus Domino ſuo dirè caſtigandus eſt, ut correctus bonam ejus voluntatem diſcat adimplere.* Mortem imminere ſentiens exercitia ſpiritualia, ſacráſque meditationes, quas in chartis ſeparatis (adeò paupertatis religioſæ ſtudioſus fuit) hinc inde per cubiculum diſperſas habebat, colligi, ac igni tradi, à Reverendiſs. D. Joanne

Vos, tunc temporis Priore, humillimè rogavit, aſſerens, pro ſua eas duntaxat devotione ſe ſcripſiſſe, nec dignas eſſe, quæ ad aliorum devenirent manus. Unum tamen ex illis opuſculis publicam lucem poſt Authoris obitum accepit typis Colonienſibus An. 1612. & poſtea Pariſienſibus ſub titulo: *Ignitum cum Deo colloquium*. Cætera in bibliothecis Congregationis hujus latent. Vivere deſiit 18. Nov. An. 1411. *Ex vita apud Joan. Buſchium in Cron. Windeſ. l. 2. c. 54. & 55.*

Aliud porro virtutum eximiarum, præcipuè ſublimis, & heroicæ patientiæ, atque in perferendis omnimodis adverſitatibus invictæ conſtantiæ ſpectaculum exhibet Reverendiſs. Dom. Carolus Faber Gallus, primus reformatæ nunc Congregationis Gallicanæ Præpoſitus Generalis. Hic ultimo die Novembris Anni 1594. Luciennæ extra Pariſios honeſtis parentibus ortus, in Abbatia S. Vincentii Sylvanecti propter indolem ad ſtudia litterarum propenſam collocatus, & curæ Venerabilis Sacerdotis Antonii Ranſſon, cujus diſciplinæ tyrones commiſſi erant, ſubjectus, brevi mundum contemnere didicit. Religioſo itaque habitu An. 1614. 7. Febr. cùm ætatis ageret decimum nonum, donatus fuit: & tametſi haud mediocri fervore ſuum inceperit tyrocinium, evenerat nihilominùs, ut primis menſibus non adeò multùm profecerit. Tandem Divinâ aſpirante gratiâ, mira lux ſub meditationibus dominicæ paſſionis eum circumfulſit, illâ præſertim ſeptimanâ, quam recolendæ Chriſti patientis memoriæ Eccleſia dicatam voluit; ut ab eo tempore ad ſingulare mortificationis, & orationis ſtudium internè ſe incitari, ac promptum perſentiſceret, atque ita noctem inter orationem, lectionem, & ſomnum, cui minimum temporis tribuebat, partiretur. Ardentiſſima interea concepit vota patiendi, ut Crucifixo ſuo Domino nonnihil conformaretur. At verò deſideria tam heroica inſigni compenſavit gratia ille, qui crucem ſuam tantùm amantibus ſe indulget. Gravi quippe cruris incommoditate affectus Carolus potiori tyrocinii ſui tempore decubuit: ubi exercendæ patientiæ uberem materiam fuit nactus; cùm ab omnibus ferè deſtitutus, calumniis, deriſionibus, aliiſque injuriis impetitus, velut devotulus hypocrita audiret. Maximum hos inter dolores, quod cor ipſius lancinabat, & ad diviſionem animæ pertingebat, erat tormentum, ſuíque ultima derelictio, quòd animadverteret, ſeniores etiam, ac ſaniores laborare, ut denuò è Religione ad ſæculum amandaretur. Qua de re afflictus Novitius cæco prorſus modo Divinæ providentiæ, velut navicula ſine remis inter ſpumantes undas jacta-

Digitized by Google

jactata, ſeſe committebat, ſecúmque ſtatuebat, ſi ſacro habitu privaretur, ſe Divi Alexii exemplo incognitum, & mendicum in orbe peregrinaturum. Adeò generoſa reſponſio cùm ad aures Abbatis delata fuiſſet, ita commovit illum, ut ea propter ad Priorem in favorem Caroli litteras dederit, quibus indicavit, ut ad profeſſionem admitteretur: quam deinde Calendis Martii. an. 1615. ſolemnem emiſit. Miſſus poſtmodùm Pariſios ad ſtudia tantùm profecit, ut theſes omnium applauſu defenderit, & Philoſophiæ Magiſter ad S. Genovefam creatus ſit. In Sorbona dein Theologiæ operam dedit: & licèt Baccalaureatûs gradu inſignitus eſſet, ſacratiſſimæ tamen ſcientiæ deliciis immerſus, ſtudia ſua continuavit, ut ad doctoralem lauream promoveri poſſet: quem tamen humilitati poſthabuit, & Sylvanectum ad ſuos reverſus, egregia ope confratres adjuvit.

In abſentia Caroli, auſpiciis Eminentiſſimi Cardinalis Rupifucaldi, reformatio Canonici Ordinis ſuũ jam ſumpſerat initium, novo Priore triennali electo, cui Carolus mox adveniens, adhuc Diaconus, in cura ſpiritualium rerum ſuam conferendi operam ab Eminentiſſimo mandatum accepit, quippe ad hanc ſpartam Sylvanecti omnium maximè idoneus ob notam virtutem, & ſcientiam. Sacerdotali dein charactere per alteſatum Cardinalem initiatus, ſuo in munere labori nulli pepercit diu, noctúque; nam præter domeſtica, Philoſophiam quoque in ſua Abbatia publicè prælegit. Ad hæc ſimul ab eodem purpurato Præſule pro moderanda cathedra, & concionibus in Eccleſia Cathedrali habendis adhibitus fuit: quibus ipſemet cum ſua aula frequens interfuit, non ſine ingenti animi gaudio, atque ſatisfactione, quòd tam potenter Carolus in auditorum penetraret mentes.

Anno 1623. munus, ut vocant, Subprioris ſubire coactus, officium nequaquam ſuſcepiſſet, niſi Cardinalis mandatum acceſſiſſet, ipſéque per neceſſarium id fore judicâſſet ad hoc, ut eò meliùs Zelum ſuum, ac charitatem impendere poſſet pro conſervanda jam in Canoniam introducta regulari diſciplinâ. Hunc in finem leges quaſdam ipſemet conſcripſit, & omnium primus obſervavit exactiſſimè. Nec Zelus iſte animarum inſatiabilis, & Caroli fervor intra ſolam S. Vincentii Abbatiam abdi ſe permiſit, extendit ſe quoque ad alia Ordinis domicilia; dùm nil flagrabat magìs, quàm ut primo, priſtinóque ſanctitatis ſplendore ea refulgerent: quapropter Divinæ Majeſtati crebrò ſe offerebat ad conſilium tam glorioſum executioni mandandum. Et verò Carolum à Deo electum fuiſſe, ut illo ſæculo Apoſtolici Ordinis eſſet reſtaurator, eventus

demonſtravit; cùm poſt reformatas duas Abbatias B. V. *Luſiana*, & *Clarifontis*, à præmemorato Cardinale adhiberetur ad eliminandam è regali S. Genovefæ Pariſiis Collegio irregularitatem, atque ad luſtrandas S. Ordinis Abbatias Viſitator Generalis cum ampliſſima poteſtate deſtinaretur An. 1629. famâ virtutum ubivis pervulgatâ, & miro ſanctitatis odore, nec non ingenti in piorum cordibus ſui deſiderio relicto.

Cùm itaque reformatio Ordinis noſtri in Gallia inchoata ſuum paulatim, aſpirante Numine, ſortiretur ſucceſſum, in Generali Capitulo, Reverendiſs. Dom. Baudovino ad S. Vincentii Sylvanectenſis Priore procurante, uno omnium conſenſu Reverendiſs. Carolus in Superiorem reformandorum Cœnobiorum, atque miſſionum obeundarum electus eſt. An. deinde 1632. Vicarius Generalis Congregationis Gallicanæ jam inchoatæ à præfato Cardinale renuntiatus, novam, eámque uberrimam patiendi materiam acquiſivit. Aſt ſicut aurum probatur igne, ita animus Caroli; ut palam omnibus eſſet, qua intentione totum ſuſcepiſſet negotium, adverſitatum flammis magìs purgatus, ac illuſtrior effulſit. Erant nonnulli, quibus laxior vivendi modus introductâ diſciplinâ præplacebat: hi apud Regem ſuas contra Carolum querelas deponere ſunt auſi, antiquas conſuetudines, & jura, quæ per novitates penitus infringerentur, cauſantes. Sed Cardinalis ejus defendendi provinciam in ſe ſuſcepit, ſuæque Majeſtati tam clarè expoſuit, has querimonias meras eſſe calumnias, quibus bonum impediendum foret: Authores quoque in exemplum aliorum, tanquam calumniatores, ſuæque profeſſionis violatores graviter caſtigandos eſſe, ut cum magna confuſione rejecti fuerint. Paulò pòſt libellus quidam diffamatorius, contra Carolum conſcriptus, Cardinali offerebatur; quem tamen ſuo dedignatus aſpectu Vulcano juſſit conſecrari, aſſerens *Satyrarum iſtarum Authores organa eſſe diaboli, qui ſufferre non poſſet id, quod Pater Faber pro Dei gloria in Ordine Canonico S. Auguſtini perficeret.*

Circa idem tempus tres alii ſimilis farinæ libelli, adjuvante orco, fabricati, ad denigrandam Caroli famam in publicum prodiêrunt: quibus tamen ille nihil commotus in cœpto propoſito velut Marpeſia rupes perſtitit. Quin etiam, cùm in manus ejus deveniſſent, eóſque perlegiſſet, ac certò nomina reſciret Authorum, noluit eos perſequi, aut Apologias pro ſe ſcribi: ad quod tamen ſe plures offerebant: verùm generosè repoſuit, *relinquere ſe Deo nominis ſui curam, & in his occaſionibus aliquem taciturnitate ac patientiâ ſuâ teſtari debere, ſe verum eſſe Jeſu Chriſti ſervum.* Tantam moderationem, animique demis-

demiſſionem ut Cardinalis inaudiit, ſummoperè ſibi gratulatus, pro elevanda virtute turpiter depreſſa tantùm laboravit, ut an. 1637. 7. Octobris Carolus *primus Præpoſitus Generalis Congregationis* novæ, nec non Sanctæ Genoveſæ *Abbas Coadjutor* cum omnium aggratulatione fuerit electus. Exprimi ſatis nequit Zelus Divinæ gloriæ, & charitas, qua in Deum, & proximum flagravit: duæ iſtæ virtutes inſeparabiles erant comites nobiliſſimorum operum pro Dei honore, Ordiníſque reformatione ſuſceptorum. Profluxit exinde admirabilis ejus patientia, & promptitudo ad quoſvis labores ſubeundos, ad quaſvis perſecutiones ſuſtinendas, ad calumnias omnis generis maximâ animi ſui lætitiâ perferendas.

Ex eodem Zelo proveniebat, ut peccata, & ſcandala, quæ in domos Dei ad ipſas aras uſque penetrârant, ex omnibus profligaret locis, eorúmque loco virtutes reſtitueret; diſciplinam ſacratam implantaret; regularem obſervantiam in deſolatas, ruinámque minitantes Abbatias inveheret; urbes, & provincias pervolaret; novas colonias à ſe ſubmiſſas viſitaret, atque in primo ſpiritûs fervore, ſanctíſque pietatis exercitiis contineret; ſuis adhortationibus roboraret, & ſparſis heroicarum virtutum exemplis confirmaret. Hinc puritatem Religionis intaminatam ut ſervaret, regulas obſervari ab omnibus quàm exactiſſimè curavit: & tametſi tenerrimo Canonicos ſuos complecteretur amore, nihilominùs ſeveriſſimè puniebat defectus, contra ſtatuta commiſſos, eáque propter in publicis Capitulis reos tanta cum vehementia, vultúque tam auſtero arguebat, ut etiam innocentiſſimi quique contremiſcerent: adeóque de illo dici poſſet, ejus blanditiis uti nihil ſuavius, ſic correctionibus nihil fuiſſe ſeverius. Cùm Regulæ Auguſtinianæ anima ſit charitas, Carolus autem hujus Regulæ Reſtaurator à Deo ſæculo noſtro conſtitutus fuerit, nihil is unquam tantoperè ſuis commendavit, quàm Charitatem, animorúmque conjunctionem: pleræque ejus collationes, ac litteræ hanc materiam pertractabant, eo quidem fervore, ut omnia ejus verba, ſcriptáque ignita viderentur. Et ſanè, ſi etiamnum hæc præſtantiſſima virtus in Congregatione Gallicanâ vigeat, Reverendiſs. Carolo omninò id adſcribendum eſt: qui hanc flammam in cordibus illorum Canonicorum ſuccenderat, dum continuò de amore loquebatur, mirabilíque pollebat arte eadem lucrandi, ſimúlque in ſuo conjungendi, ut ſic cæleſtibus Charitatis flammis in hac fornace jugiter ardente nutriret. Videbatur omninò, uti quondam Joannes Evangeliſta Chriſtianorum, ſic Carolus Religioſorum per-

perfectionem in Charitate conſtituiſſe, tam ſcilicet ſollicitè, tam fervidè, támque efficaciter hanc virtutum Reginam in Conſtitutionibus ſuis commendabat, perſuadebátque. Ut omnibus omnia fieret ex ejuſdem charitatis legibus, ſomnum etiam interrumpebat, ut afflictas conſolaretur animas, quibus liberrimum ſuis in afflictionibus ad ſe conceſſit acceſſum. Quandoque eâ duntaxat ex cauſa Pariſiis Sylvanectum, & ad alia Congregationis domicilia ſe conferebat, ut filiis ſuis morbo conflictantibus eſſet præſens, tantâque in eos teneritudine ferebatur, ut, ſi ſciret, quidquam ipſis deeſſe, nihil non ageret, quo eorum defectui ſuccurreret, eíſque in neceſſitatibus ſolatium adhiberet. Atque in hoc Charitatis munere, uti olim ſuis ſciſcitantibus reſponderat: *Ego vos magis me ipſo diligo, quandoquidem paratus ſum meam pro vobis ponere vitam &c.* Ut beato fine coronaret vitam, cælum ei indulſit: nam cum perluſtratis Piccardiâ, ac Campaniâ, Abbatias, Collegia, aliáque domicilia in territoriis Andegavenſi, Britannico, & confiniis per Autumnum inſpiciendi animo conſtitutum haberet, Sylvanecto Pariſios prætergreſſus, quòd timeret, ne ulteriùs ob ſiniſtram, qua tenebatur, valetudinem, progredi veteretur, inde Camutum versùs properavit; ubi febris eum tam vehementer fuit aggreſſa, ut ejus violentiæ cedere ſit coactus. Quare curante primo Congregationis Aſſiſtente Reverendiſs. D. Franciſco Boulart Pariſios deductus fuit, ibíque creſcente infirmitate ſacro Viatico munitus 4. die Nov. ipſo S. Caroli Borromæi Patroni ſui feſto inter filiorum ſuorum ſuſpiria, & lachrymas ſpiritum Creatori ſuo reddidit An. 1644. ætatis 50. Religionis 30. Vir planè ſublimium virtutum, atque, ut Reverendiſs. D. Petrus Lalemantius Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & Prior S. Genovefæ teſtatur, heroicæ patientiæ, fortitudinis, & conſtantiæ, utpote pro Dei gloria, Religionis Canonicæ reſtitutione, animarúmque ſalute quæque adverſa invicto prorſus animo ſuſtinens, qui nihil penſi habuit, ſi ejus nomen, ceu cujuſdam Novatoris, turbarum Authoris, ambitioſi &c. ad primos regni Miniſtros, ad Regem ipſum, quin Romæ ad ſummos Pontifices deferretur. Hæc enim neutiquam obſtabant, quò minùs in cæpto reformationis tramite conſtanter pergeret, atque idcirco difficillima peragere itinera, ſæviente licèt, ac rigente bruma; ut non immeritò dici valeat vita Caroli perpetuum corporis, & animæ ſacrificium, continuum patientiæ inter labores, & adverſitates exercitium, atque fortitudinis palæſtra tot inter contradictiones, & injurias: contra quas tamen velut cautes inconcuſſa ſem-

ſemper ſtetit in medio mari, continuis repercuſſa fluctibus. Corpus illius jacet in ſacello Capituli S. Genovefæ Pariſienſis. Chorus verò S. Vincentii Sylvanectenſis COR, Numinis, Religionis, & proximi adeò in vivis amans, poſſidet: ubi conſpicitur ſepulchralis epigraphe, virtutes, labores, merita, laudéſque omnes Caroli, velut in nuce Iliadem comprehendens; quam hìc pro complemento ſcriptorum annecto.

Hìc jacet
Reverendiſſimus in Chriſto Pater
CAROLUS FAVRE,
Hujus Domûs Abbas.
Ord. Can. Reg. Gall. hoc ſæculo
Inſtaurator,
ac
Primus Præpoſitus Generalis.
Vir ad magna quæque natus.
Magnus
Ingenio, memoria, eloquentia, eruditione.
Major
Animo, labore, conſtantia.
Maximus
Modeſtia, Religione.
Supereminens
Charitate.
Qui
Collapſam ubique fere Galliarum
Canonicæ vitæ diſciplinam
Primus
erigere cogitavit,
Conſiliúmque tam arduum
Et cœpit ipſe *adoleſcens*,
& *ſenibus* dedit.
Mox ut opere impleret,
Faventibus
Gregorio XV. & Urbano VIII.
Pontificibus Maximis,
Annuente
Ludovico Juſto Franc. Rege
Chriſtianiſſimo,
Operam præbente
Franciſco Cardinale Rupiſucaldo,
Aſpirante
In omnibus, & ſuper omnes
DEO Opt. Max.
Primùm
In S. Vincentii Sylvanect. Domo,
ubi
Deo ſe *devoverat*;
Tum
In hac S. Genovefæ,
ubi
Deo quàm plurimos *devovit*, tanto conatu, tantóque ſucceſſu
inſudavit,
ut
Canonicorum coloniis per varia
paſſim cœnobia deductis,
Ampliſſimum Ordinem,
Diu miſerè deformatum, brevì feliciter inſtaurârit.
Demum aucta quinquaginta Monaſteriis ſua
Congregatione,
Cæteris ejuſdem Ordinis
eandem ſubinde diſciplinam
certatim amplectentibus,
Poſt conditas
Ad Canonicæ vitæ normam
Optimas leges,

 Ipſe

Ipſe viva *lex*,
Ipſe ſuorum *Regula* magis, quàm *Rector*,
In animis filiorum, quos propè innumeros Chriſto genuit, æternùm victurus
obiit
Pridie nonas Novemb. An. Sal. MDCXLIV. ætatis penè L Profeſs. XXX.

Ex vita compendio Gallicè conſcripta per R. Don. Claud. Molinet. Can. reg. & vita Franc. Card. Rupifucaldi l. 4. p. 1. c. 9. & Reverendiſs. Grueber Theatro.

ARTICULUS VII.
De aſcenſu ad perfectionem.

SUMMARIUM.

375. *Peccatores habent certos gradus aſcendendi ad perfectionem.*
376. *Habent & juſti ſuos, ſcilicet 3. præcipuos*
377. *Inprimis è duobus bonis eligatur melius, & perfectius.*
378. *Præſtituatur operibus perfectior finis, &* 379. *perfectior operandi modus.*
380. *Incitamenta, ut feramur ſemper ad perfectiora. Via ſine termino. Annectuntur exempla.*

375 AD perfectiora ſemper nobis connitendum eſt, quamdiu vivimus: at virtutes unâ ſimul comprehendi nequeunt: ergo paulatim, & à minori ad maius, quaſi per ſcalam aſcenſus fiat; nam *virtutes ſcalæ Jacob comparantur* à S. Joanne Climaco *gradu* 4. in qua ſummitatem nullus immediatè attingit; *nemo* enim *repentè fit ſummus, & aſcendendo, non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ*: ex doctrina S. Bernardi *ſerm.* 1. *de S. And.* Quare agendum de iſto aſcenſu: pro quo ſatìs intelligendo prælibandum eſt, duplicem eſſe aſcenſum. Unus *pro peccatoribus* eſt, alter *pro juſtis*: utrumque ex P. Lanc. *op.* 3. *c.* 8. hic aſſigno. *Primus aſcenſionis* gradus *peccatorum* eſt, deſiſtere à peccatis mortalibus. *Secundus*, commiſſa peccata deflere. *Tertius*, Sacerdoti legitimo in Sacramento pœnitentiæ ſincerè manifeſtare, & piè. *Quartus* abſolutionem à peccatis dolore, & deteſtatione eorum, ac firmo emendationis, ac ſatisfactionis propoſito, ac occaſionum proximarum fugâ confeſſario promiſsâ, ex animo obtinere. *Quintus* per opera ſatisfactoria, à Sacerdote injuncta, & ſponte ſuſcepta, pro commiſſis peccatis Deo ſatisfacere. *Sextus*, ſtudia virtutum per bonorum operum

Digitized by Google

rum, & Sacramentorum frequentationem aggredi, & continuare, ac in iis progredi, & cum Divina gratia, ad hæc omnia ſummè neceſſariâ, in iis uſque ad mortem perſeverare. *Juſti* verò alios aſcenſionis ſacræ gradus habent; per quos in vita bona ſemper ad meliorem, & perfectiorem ducti, & excitati à Divina gratia, progrediuntur, imò & currunt; eo ſaltem modo, quo S. Patriarcha Abraham hoſpites Angelos domi ſuæ excepit convivio, etſi eos in primo ingreſſu Angelos eſſe ignoraverit.

376 De aſcenſu primo nihil hìc movemus, quia continetur in via purgativâ; ſed de altero agimus. Conſiſtit autem aſcenſus juſtorum in tribus: 1. in tendentia ad perfectiora objecta. 2. in perfectiori fine. 3. in perfectiori operandi modo. Nunc de his ſingillatim.

377 *Primus aſcenſus* juſtorum conſiſtit in flagranti deſiderio, ita, ut non contenti ſint mediocri bonitate operum, ſed melius, & perfectius è duobus bonis ſibi eligant. Nam *verus amor gradu uno contentus non eſt, ad altiora ſemper nititur, & ad perfectiora indeſinenter concupiſcit attingere, quas habet, non magni pendit virtutes, proficiendi accenſus deſiderio:* ut ſcribit S. Laur. Juſt. *de caſt. conc. c.* 2. Sic cæteris paribus, amor inimicorum, quàm amicorum perfectior eſt, & oratio longior melior, quàm brevior: lectio librorum ſacrorum magìs placet Deo, quàm aliorum, & ſecundùm ſe virtutis objectum difficilius majorem à nobis requirit conatum; atque ex his omnibus opera ex obedientia injuncta perfectiora ſunt aliis, Tyronibus non injunctis à Superiore. Proin ubicunque perfectius oſtenditur objectum actionis, quod maximum in charitate eſt, ad illud contendendum eſt ei, qui primum ad perfectiora aſcendendi gradum attingere cupit. Videantur hac ſuper re tractata *c.* 3. *a.* 1. *& hoc cap. a.* 5. *n.* 361. *& præcipuè* 362.

Secundus aſcenſus, quo ad perfectiora feramur, eſt perfectior finis; propter quem opera peragimus: hinc ea ex motivo perfectiſſimo ſupernaturalis Charitatis, ſcilicet propter Deum, purè propter ſe amabilem, ſine reſpectu mercedis, ſine ſpe præmii, ſine intuitu commodi proprii perficiamus. Ita S. M. Magdalena de Paz. *c.* 7?. *vitæ* dicere ſolebat: *ſi crederem, me uno ſolo verbo, dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, etiamſi non eſſet ejus offenſa, poſſe evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.* Huc ſpectat, motiva ſemper habere in actionibus ſupernaturalia, & omnes cogitationes ſuas, verba, & opera in Deum, tanquam in finem ultimum, referre, & conſecrare ejus gloriæ Divinæ, ad ſimilitudinem ipſius, qui *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt. Prov.* 16. Videantur dicta. *n.* 357. 378

Ppp 2 &

& univerſim ea, quæ continentur *articulo* 5.

379 *Tertius aſcenſus* perfectiorem complectitur operandi modum: non enim ſatis eſt, perfectiora eligere, & propter perfectiſſimum finem ea peragere; ſed requiritur, ut perfectiſſimo quoque modo fiant. Et quamvis *cit. articulo* 5. & alibi per decurſum hujus tractatûs, virtutem perfectè, perfectiùs, & perfectiſſimè exercendi modos aſſignaverim; placet tamen hìc anacephalæoſin ponere.

Ut ergo omnia opera perfectum habeant modum, neceſſe eſt, ut nulla actio noſtra ex conſuetudine, vel caſu fiat, ſed ex impulſu, & influxu alicujus virtutis procedat. *n.* 113. & 121.

2. Quo citiùs autem fieri poſſint, fiant cuncta opera, aſſignatóque tempore. *n.* 367.

3. Semper cum majori fervore, & quidem poſſibili, perficiantur. *n.* 366.

4. Magna reverentia exhibeatur in obeundis actionibus, quæ Deo, & ejus Vicariis Superioribus debentur ex obligatione præcepti, Regulæ, vel ex conſilio; de quo *cap. priore art. ultimo* de oratione vocali egimus.

5. Occupationes, miniſteria, functiones, omnéſque actiones exerceantur juxta normam, à Superioribus præſcriptam. *n.* 366.

6. Omnia opera ſive privatim, ſive publicè, & coram aliis cum quodam cæleſti decore, & modeſtia peragantur, ut omnium corporis, & membrorum decens compoſitio, ac humilis manſuetudo (non tamen affectata, nec hypocritica) ad Dei ſolius gloriam appareat. Quia *ſpectaculum facti ſumus Deo, Angelis, mundo, & hominibus.* Id etiam S. Hieronymus voluit nobis inſinuare *in c. 2. epiſtola ad Titum, ut ipſe inceſſus, & motus, vultus, ſermo, ſilentium quandam decoris ſacri præferant dignitatē.* Hoc etiam adeò magni æſtimavit S. Legislator noſter, ut expeditis neceſſariis de charitate, & concordia, de oratione, de valetudinis ratione, mox caput IV. inſcripſerit de habitu & compoſitione corporis; ubi §. 3. concludit: *in inceſſu, in ſtatu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* Atque hinc ſuos Diſcipulos, cuncta præcepta obſervantes, & omnia opera tam ex legis præſcripto, quàm cum majori perfectione & modeſto decore facientes, *cap. ult.* vocat *ſpiritualis pulchritudinis amatores.* Docuit etiam ipſe Chriſtus hunc perfectè operandi modum S. M. Magdalenam de Paz. 3. *p. vitæ c.* 10. "Sint omnia opera tua facta "cum tanta manſuetudine, & cum "actu adeò humili, ut referant magnetem ad trahendas creaturas ad "Deum, & cum tanta prudentia, "ut ſint regula membris meis, id eſt, ani-

"animabus religioſis, & ſuis proximis.

7. Hilariter omnia pro Deo fiant; nam, ut monet S. Laur. Juſt. *de diſc. & perf. Mon. c.* 24. *Dei Servus famuletur lætanter, ut Deo amabilis reddatur, ſanctóſque imitetur Angelos, qui indicibili dulcedine & jucundiſſima Conditori ſuo obediunt charitate. n.* 366. & 367.

8. Ita ſingula perfectè peragantur, ut operatio noſtra adæquetur noſtræ cognitioni, quam habemus de modo perfectè peragendi illud opus. Hoc eſt, dum has omnes, vel ſaltem præcipuas regulas, hucuſque traditas, in vivaci memoria quis ſervat: deinde juxta illud lumen, quod aliquis accipit à Deo, vel in meditatione, vel in aliis exercitiis, operationem inſtituit, perficítque ſecundùm modum Divini luminis. *n.* 366.

9. Ita perfectè actiones inſtituantur, ut cum exemplo Chriſti, Sanctorúmque conſentiant. Sic ſcribitur de SS. Athanaſio, Baſilio, Auguſtino, Hieronymo, Antonio, Benedicto, Bernardo, Dominico, Franciſco, aliíſque eximiis Sanctis, quòd omnia ſua egerint modo quodam ſupra homines elevato, nempe modo excellentiſſimo, ut non tam homines, quàm Angeli eſſe viderentur, nimirum vivebant ut Numina, loquebantur ut oracula: & quod de S. Baſilio ſcribit S. Gregorius Nazian. *Sermo eorum erat tonitru, quia vita erat fulmen.*

10. Ita perfectè operemur, ut monet S. Th. *op.* 62. *de Div. mor.* 5. *Deus omnia bene facit*, ſimiliter nos "diligentiam apponere debemus, ut ſingula opera noſtra, quantùm unquam meliùs poſſumus, faciamus, ex omni virtute D. N. J. Chriſti, & cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſiæ, & ſub nomine Creatoris; quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & univerſitatis utilitas ex uno opere dependeat: quaſi nunquam ad id opus reverſuri, neque aliud poſtmodùm facturi.

Incitamenta, ſeu ſtimuli ad ope- 380
ra noſtra cum omni poſſibili perfectione peragenda inſerviunt nobis ſequentes. Imprimis voluntas Dei præcipientis Deut. 18. *Tu perfectus eris coram Domino Deo tuo.* & *Levit.* 11. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Similiter *Matthæi* 5. 2. *Corinth.* 13. *Epheſ.* 1. *Philip.* 1. 1. *Petri* 1.

2. Creatio noſtri exigit, ut feramur ad perfectiora, & ita majorem acquiramus ſimilitudinem illius, qui creavit hominem ad ſimilitudinem ſuam. Imago autem eſt perfectiſſima: ſit ergo typus in perfectione ſimilis. "Si fideliter, inquit magnus Leo P. *ſer.* 1. *de jejun. Dom. IV. Adv.* dilectiſſimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus, hominem à Deo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet Authoris, & hanc eſſe na-

"turalem noſtri generis dignitatem, "ſi in nobis, quaſi in quodam ſpe"culo, Divinæ benignitatis forma "reſplendeat.

3. Incarnatio Dei ſummopere nos excitat ad perfectionem tendendi in operibus; ideo enim naturam humanam aſſumpſit Deus, ut viam perfectionis edoceret, &, qua ratione ad perfectiora ſemper feramur, ſuo oſtenderet exemplo. Atque in hoc ſenſu S. P. N. *ser.* 13. *de temp* dixit: *Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus*, non quidem per eſſentiam, ſed per imitationem perfectionis Divinæ in operando; uti explicat S. Thomas opuſc. c. 7.

4. Status Chriſtianorum, Religioſorum, & Sacerdotum, qui ex fine ſuo tendentiam exigunt ad perfectionem. *Sicut* enim *participatione Chriſti Chriſtiani appellationem adepti ſumus; ita per conſequens convenit, omnium quoque ſublimium* (Chriſti virtutum) *nos adſciſcere communionem, & ſocietatem*; uti monet S. Greg. Nyſſenus *de perf. Chriſtian. for.*

5. Eximia beneficia à Deo accepta, dotes naturales, ſupernaturales gratiæ, aliáque extraordinaria privilegia meritò excitare nos debent, ut de virtute in virtutem euntes ad perfectiora tendamus: nam *excelſa dona, & ſpiritualia chariſmata chariſſimis Dei, & ſapientiæ amatoribus prærogantur per incrementa virtutum*; ut ſcribit S. Laurentius Juſtinianus *faſc. am. c.* 7.

6. Ut ad perfectiora feramur, à contrario ſtimulare nos debent homines mundani, gentiles, & hæretici, qui ſemper ad majora conituntur ſuis in ſtudiis politicis, corporis commoditatibus, familiæ incremento, divitiis accumulandis, altioribus titulis, & honoribus acquirendis, & conſervandis. "Quem enim ambitioſum vidimus "aliquando contentum adeptis dig"nitatibus ad alias non anhelare? ſic "& curioſi cujusque non ſatiatur "oculus viſu, nec auris impletur "auditu. Quid? eorum qui avari"tiæ ſerviunt, aut amatores ſunt "voluptatum, ſeu varias ſectantur "hominum laudes, nonne & ipſo"rum inſatiabilia deſideria arguunt "nos negligentiæ, ac tepiditatis? "Pudeat certè ſpiritualium bono"rum nos minùs cupidos inveniri. "Erubeſcat anima converſa ad Do"minum, minori affectu ſectari juſti"tiam, quàm iniquitatem antea ſe"ctaretur. Eſt enim cauſa valde "diſſimilis; ſtipendium quippe pec"cati mors: fructus autem Spiritûs "vita æterna. Ita ad virtutem ſublimem ſtimulabat Religioſos S. Bernardus, & tot calcaribus, quot verbis ad perfectionem in operibus ſectandam incitabat Monachos S. Bertini epiſt. 341.

7. Denique incitant ad opera omnia, majori cum perfectione perficienda, aliæ quoque cauſæ, ſcilicet, quòd opus quodlibet etiam minimum, ſive bene, ſive malè per-

Digitized by Google

peractum, infectum fieri nequeat, & ita quodammodo æternitatem induat. Hac ex causâ Zeuxis rogatus, cur tam morosè, & exactè pingeret, reſpondit: *pingo æternitati.* Nempe ſemel dictum, aut factũ eſt irrevocabile, & prout dictum, vel factum eſt, manet, permanebítque in omnem æternitatem. Si bonum, excellens, perfectum ſit, æternam mercedem, laudem, & gloriam inde reportabis: ſi malum, mancum, & diminutum ſit, pœnam ignominiam, & æternam confuſionem exinde habebis, atque de imperfectè peracto dolebis in æternum. Igitur ante omnes actiones illud cogita: *æternitati pingo*; *æternitati vivo*; *æternitati operor.* Pingam eximiam virtutis, non deformem vitii imaginem, ut cogitationes, verba, & opera velut ſtellæ luceant in cælo, qualiter per omnem æternitatem optabo, me operatum fuiſſe. Cogitabo, agam, loquar, uti in æternum optabo, & gaudebo, me cogitâſſe, egiſſe, locutum eſſe. Dein excellentia, & immenſitas Divinæ Majeſtatis excitant ad eximia, & præcellentia opera illi offerenda: talia enim ipſe cupit, & deſiderat, pluríſque facit unum opus eximium, & perfectè peractum, quàm decem vulgaria. Quocirca S. Thereſia vovit Deo, in qualibet re id ſe acturam, quod perfectius cognoviſſet. Ultimum verò incitamentum in omnibus operibus excellenter faciendis tibi ſit, uti ſupra S. Thomas inſinuavit, ante ſingula inchoanda cogitare: *hodie incipiam ſervire Deo, hodie & finiam.* Quoties chorum intras, ut excellenter pſallas, Divinæque Majeſtati placeas, toties hoc opus fore ultimum, memor eſto. Quoties à Superiore mandatum accipis, recordare, juſſis peractis finiturum te vitam. Et ita procede in omnibus tuis operibus, quibus gnomam illam triplicem jungas: *æternitati operor; æternitati pingo. Regi Regum, & Domino dominantium iſtud præſto obſequium: ergo omni poſſibili perfectione præſtandum. Peracto opere non revertar ad illud peragendum. Hodie incipiam ſervire Deo; hodie & finiam.*

VIA SINE TERMINO.

PHiloſophis paradoxum habetur dogma: *via ſine termino*; ſive à quo, ſive ad quem; cùm omnis via ſuum habeat principium à quodam termino, ſeu loco, & euntem ducat ad terminum, vel reducat. Aſt aliter philoſophantur Aſcetæ, qui certiorem in ſchola virtutis non tenent ſententiam, quàm in ſtadio, & ſtudio religioſæ perfectionis, *viam eſſe ſine termino.* Initium quidem datur hujus viæ, ſed, ſi quæras finem, nunquam ad illum pertinges; cùm ſemper grandis

Digitized by Google

dis reſtet via, ad ulteriora deducens. Tam arcta eſt virtus, quàm longa illius extenſio, ut emenſus millenos gradus, pluſquam millenos rurſus ante ſe habeat, quos ſuperare debeat. Id planè difficillimum eſt, quòd nec retroſpicere, nec ſtare in via hac concedatur; ſed ſtadiodromorum inſtar, magno cum niſu ad ſcopum continuò currendum ſit: quem tamen adipiſcitur nemo, quamdiu in hac vita currit. *In præſenti etenim vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus*; uti magnus Pontifex Gregorius *hom.* 11. *in Evang.* exponit. Quare mirum non eſt, quòd via virtutis (quamdiu non in patria ſumus) terminum neſciat; cùm *tota vita*, aſſerente S. P. N. *Tract. in Epiſt.* 1. *S. Joan. boni Chriſtiani ſanctum ſit deſiderium proficiendi.* Ea propter idem S. Doctor in hac via ambulantes graviter hortatur, ne perſiſtant, ac ſi perfectionis metam attigiſſent; aut retro reſpiciant, & curſûs jam peracti merita contemplentur; aut penitus aberrent. "Tria ſunt genera hominum (*ſunt ponderoſa verba Hipponenſis Oratoris l. de cant. n. c.* 4.) quæ odit via iſta noſtra, *remanentem, retrò redeuntem*, & *aberrantem*. Qui non proficit, *remanſit* in via. Qui fortè à meliore propoſito declinat ad id, quod deterius reliquerat, *reverſus eſt retrò*. Qui fidem deſerit, à via *erravit*. Quis eſt, qui non proficit? (*Ecce reſponſum dat S. P. ad quæſitum hoc*) qui ſe putaverit eſſe ſapientem, qui dixerit: ſufficit mihi, quod ſum: qui non attenderit eum, qui dicit; quæ retrò ſunt, oblitus, in ea, quæ antè ſunt, extendo meipſum, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis &c. currentem ſe dixit, ſequentem ſe dixit; non remanſit, non retroſpexit. Qui ſunt retrò redeuntes (*Ecce altera S. P. reſponſio*) qui ex continentia revertuntur in immunditiam; qui ex ſancto, & ſingulari bono propoſito in malum corrumpuntur. O malum, retroſpicere! Uxor enim Lot, quæ liberata eſt à Sodomis, contra præceptum retroſpexit, & in ſtatuam ſalis converſa eſt. *Hucuſque ille.*

Magnum Africæ ſidus, Galliæ lucidiſſima ſtella, S. Bernardus ſecutus eſt, quando *viam* virtutis in præſenti *ſine termino* declaravit *in Epiſt.* 254. *ad Garinum*: ubi indefeſſum, *inquit*, proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur: quòd ſi ſtudere perfectioni eſt, eſſe perfectum, profectò nolle proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt, qui dicere ſolent: *ſufficit nobis, nolumus eſſe meliores, quàm Patres noſtri.* O Monache! non vis proficere? non vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? ſic, mihi inquis, vivere volo, & manere, quò perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. *Et mox hoc ita perſiſtere cupientis propoſitum refellit*

Digitized by Google

refellit, & 5. motiva in contrarium adfert, dicens: primò. Hoc ergo "vis, quod eſſe non poteſt; quid "enim ſtat in hoc ſæculo? & certè "de homine ſpecialiter ſcriptum eſt: "fugit velut umbra, & nunquam "in eodem ſtatu permanet. *2dò.* "Exultavit Dominus noſter ut gi-"gas ad currendam viam. Porro "currentem non apprehendit, qui "& ipſe pariter non currit. Unde "Paulus ajebat: *ſic currite, ut com-"prehendatis. 3tiò.* Quòd ſi Domino "currente tu gradum ſiſtis, non "Chriſto appropias, ſed te magis e-"longas, timendúmque tibi eſt, "quod ait David: *Ecce qui elongant "ſe Domine à te, peribunt.* Itaque; "ſi proficere currere eſt; ubi profice-"re, ibi & currere deſinis: ubi verò "non currere, ibi & deficere inci-"pis: Hinc planè colligitúr, quia "nolle proficere, non niſi deficere "eſt. *4tò.* Vidit ſcalam Jacob (*ecce "exemplo doctrinam roborat!*) & in "ſcala Angelos, ubi nullus reſidens, "nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel "aſcendere, vel deſcendere vide-"bantur univerſi; quatenùs palàm "daretur intelligi, inter profectum, "& defectum in hoc mortalis vitæ "ſtatu nihil medium inveniri. *5tò.* "Sed quomodo ipſum corpus no-"ſtrum continuè aut creſcere con-"ſtat, aut decreſcere, ſic neceſſe "ſit, ſpiritum aut proficere ſemper, "aut deficere. Hæc præclarè S. Bernardus ad ſententiam noſtram confirmandam, quâ *viam* virtutis *ſine termino* eſſe, cum ſanctiſſimis Aſceſeos Magiſtris aſſerimus: cui ratio ulterior annectitur ab irrefragibili Doctore noſtro *in ſententiis* 102. quia *in hac vita, quæ tota tentatio eſt, etiam in ſublimiſſimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non ſuperſit aſcenſio.* Sic etiam ingens ſanctitatis & electionis vas, quamvis affirmare de ſe non dubitaverit: *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ &c.* Ad Philippenſes c. 3. tamen ſcribere non eſt auſus, quòd *jam perfectus ſit*, ſed ſententiam de ſe tulit: *Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe: Unum autem, quæ quidem retro ſunt, obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum.* Hoc eſt, uti explicant SS. Chryſoſt. Ambroſ. Anſel. Theodoret. &c. præterita bona opera, labores, paſſiones meas pro Chriſto obliviſcor, quia eorum memoria tum pigros, tum ſuperbos facit. Atque hinc S. Hieronymus Celantiæ ad perfectionem aſpiranti hoc ipſum Apoſtoli exemplum, & propriam de ſe confeſſionem inſinuat, ſcribens: *Beati, qui non ſibi de præterita juſtitiâ blandientes ſecundùm Apoſtolum per dies ſingulos in virtute renovantur: juſtitia enim non proderit ei, à quo die juſtus eſſe deſierit.* Et tandem ita concludit gentium Doctor, omnes in ſuam ſententiam pertrahere volens: *Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*

Quod exponit S. Anſelmus apud Corn. à Lap. Cùm ego Paulus, qui vobis videor perfectus, ſentiam, me necdum comprehendiſſe, ſed obliviſcens ea, quæ retro ſunt, ad priora me extendam, ac metam, & bravium perſequar: ergo à pari, imò multò magis, quicunque inter vos ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, & religioſæ mecum aſpirant, & conituntur, hoc mecum ſentiant, ſe ſcilicet nondum perfectionem attigiſſe, ſed ad eam directo, & continuo curſu debere currere; quia perfectionis, & virtutis *via ſine termino* eſt in præſenti vita.

Quam ob rem tot viri ſancti, religionis, & majoris perfectionis Zelo ducti, reformationes S. Ordinum inſtituerunt, & arctiorem vivendi modũ introduxerunt, propulsâ, quæ Regularium vitam maculare, & ſublimen perfectionis religioſæ ſtatum labefactare poſſet, laxitate. Mores verò ſuos quotidie reformare, & ad altiorem aſpirare perfectionem nunquam deſtiterunt; quia nunquam, quoad viverent, perfectionis culmen attigiſſe ſe crediderunt: uti exhibent eorum vitæ, quæ nobis relictæ ſunt, velut calentia veſtigia, ut ſequeremur & nos, tam ſanctis provocati exemplis, atque virtute pari, devotione conſimili, & Zelo continuo perfectionis viam tereremus. Sic S. Protadius cæleſtem potiùs, quàm humanam in terris vitam degere fuit viſus. Orationis aſſiduitas, ciborum parcitas, & potûs abſtinentia Thebaidis incolis non ſupparem fecerunt. Zelo Divinæ gloriæ Eliam repræſentabat. Hæreticos, qui Simoniaci dicebantur, ſicut Joannes Cerinthum, extremo perſecutus eſt odio, quorum ſcripta caſtigato calamo refutabat, tot illuſtris virtutibus ex regulari cella ad cathedram Veſontinam evocatus: qui priùs Canonico Ordini decus, & ſplendor erat, Epiſcopalem poſtea infulam rarâ ſanctitate illuſtravit. Spiritu Prophetiæ clarus, futura plurima præſagiebat. Obiit 18. Februarii Anno 626. ante, & poſt mortem plurimis miraculis inſignis. Ejus præſentiſſimam opẽ Veſontini tum in aliis multis, tum maximè in imbribus vel laxandis, vel continendis, experiuntur. *Ex Jacobo Chiffletio l. 2. Veſont. illuſtr. pag.* 129.

In dies ad perfectiora contendit Eſaias Eſtenſis Patavinus. Illius molem corporis exiguam animi magnitudo, uti & virtutum, ac ſcientiarum amplitudo ſuperârunt. Vir tantæ ſagacitatis in dandis conſiliis, ut Matthæo Boſſo ejus ſynchrono teſte, in omni re prudentiſſimus fuerit. Illum Veneti Senatores, cùm pluribus annis illuſtri Canonicorũ Regularium Collegio de charitate præfuiſſet, ob ſpectatam virtutem maximi fecerunt, & ad illum velut ex æſtuante pelago ad portum tutiſſimum con-

confugerunt: quorum conſcientias ſuſcepit dirigendas. Romæ Congregationis Lateranenſis Procuratorem, & Definitorem Generalem viginti annis geſſit. Quo in officio explicatu difficile eſt, quanta ſummæ integritatis, pariſque ſanctimoniæ ſpecimina dederit, atque velut integerrimæ fidei arbitrum res inter controverſas, & partes litigioſas ſe ſe exhibuerit. Fatis ceſſit Venetiis A. 1506. ætatis 60. *Ex Lyceo Later. Abb. Roſini l. 5.*

S. Eulogius ad tantam in operibus ſuis excellentiam contendebat, & adeò omnia ad Dei gloriam perficiebat, ut ejus virtutes meruerint Archiepiſcopali infulâ coronari. Cordubæ enim in Hiſpania nobili proſapiâ genitus, Canonicum Regularem in Collegio S. Zoili profeſſus eſt, & pervulgatâ ſanctitatis famâ in Archipræſulem Toletanæ Eccleſiæ promotus, Arabum Hiſpaniam devaſtantium furore impedimentum adeundi provinciam carceris ſqualor poſuit. Variis enim tormentis ob fidei Catholicæ defenſionem affectus, probatam virtutem poſt capitis abſciſſionem cæleſtis candoris columba fuit teſtata, quæ corpori glorioſi Martyris inſidens apparuit; &, cùm nec pelli poſſet, nec capi, maximam in ipſis etiam fidei Catholicæ hoſtibus admirationem concitavit. Tranſlato S. corpore, quod antea in loco ſuæ profeſſionis erat tumulatum, ad Eccleſiam Cathedralem Ouvetenſem, circa tumulũ geniorum multitudo viſa, & ſtupenda humanis auribus muſica, Divinas laudes celebrans, à præſentibus fuit audita. An. 860. Scripſit Apologeticum, & Documentum Martyrum, quæ Apoſtolicum ſcriptum redolent. *Ex Conſtant. Ghinio, & Bucelino in Menolog. die 11. Martii.*

Oliverius de Campo ſimilis perfectionis extitit æmulator, &, referente *Petro Impenſ. l.* 2. vultu ſerenus, moribúſque adeò excellens, ut ſingula quæque ad exactam perfectionis normam agere videretur. Cùm facundiâ orationis præſtaret, actione induſtrius, Deo devotus, ac pro converſatione Conſtitutionum Ordinis rigoroſus An. 1427. Monaſterium, *Bonorum Puerorum* dictum, Leodii reformavit, atque Congregationi Windeſemenſi uniri fecit. Hoc poſtea translatum eſt ad S. Leonardi extra muros Eccleſiam. Obiit Oliverius beata morte. *Ex Joanne Hoybergio F.* 123. *apud Reverendiſs. Grueber in theatro ad diem* 15. *Maij.*

Oompſius Gellenſis Belga Congregationis Windeſemenſis, ex Rectore Canoniſſarum Regularium Facundini Cœnobii Antverpiæ in Priorem Coreſendoncanum ordine XIII. aſſumptus piiſſimæ, ac devotiſſimæ fuit converſationis, ut, quamdiu vixit, nunquam abſtinuerit à gravi ſui ipſius cenſurâ; nunquam enim credidit etiam in morte (quam omnium adſtantium opinione ſanctitatis obiit 25. Maji.

Digitized by Google

A. 1503.) ſe terminum perfectionis religioſæ obtinuiſſe. *Ex citat. Joan. Hoyberg. in notis F.* 179.

Pariter quanta perfectionis religioſæ cultor fuerit Reverendiſs. Michael Rubin Suevus, Præpoſitus XVI. inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Waldſeenſis, teſtatur Rev. Dominus Jonas Henlin, profeſſus ibidem Canonicus Regularis, verſibus in laudem illius decantatis:

Juſtitiæ cultor fuit, & pietatis amator,
Pectore verſavit Religionis opus.
Rebus in anguſtis miſeris ſuccurrere novit:
Illius ex oculis lætus abivit inops.
Conſilio valuit, juvit quoque ſæpe carentes:
Vix ſophiâ magnâ cuique ſecundus erat.

Pergit Poëta recenſere, quæ pro bono Cænobii ac templi ſui conſtruxit, atque comparavit. E vivis ſublatus eſt 7. Maji An. 1587. *Ex parte 2. Bibliographia Canonico-Auguſtiniana M.S. & Theatro virt. Reverendiſſimi Grueber.*

Reverendiſſimus Erhardus Linden Conſtantienſis Suevus, Abbas Creuzlingenſis, vir eximiæ virtutis, & nobiliſſimi Zeli extitit. Cùm an. 1414. Joannem S. Pont. Creuzlingæ in pervigilio SS. Simonis, & Judæ hoſpitio humillimè excepiſſet, ſequenti die pretioſam mitram cum aliis Abbatialibus inſigniis accipere promeritus eſt. Quæ ejus ſucceſſor Martinus V. confirmavit, & auxit, uti etiam ſpeciali Bullâ adhuc ſalvâ cuncta privilegia, & prærogativas roboravit Innocentius VIII. An. Incar. Dom. 1489. Cal. Maji. Agitur de Erhardo Præſule, & ejus Canonicis in l. 1. Conſtitutionum Concilii Conſtantienſis à Fol. 135. Poſt præclarè geſta, varia exſtructa ædificia, & coempta bona immobilia piiſſimè obiit A. 1714. *Ex Germania ſacra Gabrielis Bucelini f.* 159. & *Reverendiſs. Grueber theatro.*

Reverendiſſimus Jacobus Ximenez de Ayerbe Hiſpanus, verarum ac ſolidarum virtutum domicilium jure vocandus eſt. Etenim emicuit in eo ſingularis voluntatis ſuæ cum Divina conformatio; unde aliæ incrementum accipiunt virtutes. Intentione mentis ad univerſos Dei nutus ſeſe librabat, nec per varios rerum, & negotiorum eventus conſtantia animi everti poterat; quia per ambigua mundi diſcrimina tenuit impenetrabile ac firmum ſcutum in omnia adverſa, æquitatem, & velle, quod vult Deus. Juvenis adhuc, ac nobiliſſimâ oriundus proſapiâ, Canonicam S. Auguſtini vivendi normam profeſſus eſt in Angelica, Apoſtolicâ, & toto orbe celebratiſſimâ S. Mariæ del Pilar, ſeu de columna Cæſarauguſtæ Eccleſiâ Hiſpaniarum primævâ

Cat-

Digitized by Google

Cathedrali. Dein exigentibus meritis in Decanum electus, primum ſibi gradum fecit ad regalem, atque perantiquam Montis Arragonum Abbatiam: ubi pietas, & ſanctitas, in ſublimi collocatæ, illuſtriorem reddiderunt Abbatem Jacobum. Nam pro Zelo in proximi ſalutem flagrantiſſimo certis aureorum cenſibus aſſignatis, velut per auream portam, Muſas, & Magiſtros pro erudienda juventute introduxit. Seminarium inſuper (ut hodie vocant) erexit: ubi magnis ſumptibus, victu, & veſtitu tenera ætas, honeſtè proviſa, ad Eccleſiæ obſequium continuò aleretur. Pauperum inopiæ ſublevandæ patens erat horreum; nunquam non Jacobi providentiâ ditatum frumenti copiâ. Panibus quoque adjecit aurum, cùm Monti alium imponeret *Montem pietatis* pro ſublevanda egenorum ſubditorum inopia; quibus mille, & ſexcentis tritici, ut Hiſpani appellant, Raſeriis providet. Magnifico extructo ſacello intulit imaginem Virginis & Matris de Columna, gemmis, auróque coruſcantem: Capellano verò, qui dignè inſerviret Cælitum Reginæ, in ſingulos annos ducentos aureos conſtituit, adjectis veſtibus ſericis, & vaſis argenteis pro ſacrificio Miſſæ celebrando. Abbatiali templo mille aureos liberaliter impendit, & duos longos cortinarum ſericarum ordines, & opere phrygio variegata periſtrommata dono dedit. Omnia quoque ſacra utenſilia, quibus ſacrificans ipſe fuerat uſus eidem tribuit, aliáque nova ornamenta ex aureis telis conficienda deſtinavit. Ut verò ſingulis diebus celebriori muſicâ Divina perſolverentur officia, annuos redditus, & præſentibus Clericis adjunxit ſtipendia. Nec domi tantùm contineri potuit liberalitas, foràs etiam progreſſa eſt: Patribus Carmelitis Diſcalceatis enim duo millia aureorum largitus eſt pro conſtruendo in honorem S. Joſephi Conventu; totidem Patres Capucini unà cum locupletiſſima Bibliothecâ acceperunt. Intentus licèt aliorum commodis fuiſſet, ſui tamen minimè oblitus; imò ſpiritualibus lucris attentiſſimus erat. Nonagenarius, ut Eccleſiæ ſuæ in vita, & poſt mortem conſuleret, provinciâ Præſidis, qua in graviſſimo Arragoniæ Conſiſtorio pluribus annis peregregiè functus erat, uti etiam Abbatiâ ſe abdicavit, Adminiſtratore, & Succeſſore à ſe denominato, per Regium decretum & Pontificium diploma confirmato, ejuſdem regii Cænobii Canonico, Domino Franciſco Rodrigo SS. Theologiæ Doctore, *viro* omnium bonorum judicio *optimo*, & de regulari Canonicorum diſciplina optimè merito, atque ſollicitudine Eccleſiaſticâ Prælatorum Regularium nulli ſecundo. Quamvis verò in Jacobo ad agenda quæque Eccleſiæ negotia vigeret etiam-

num apta ſenſuum vivacitas, judicii probitas ad diſcernendum, vigilantia, & commendata prudentia ad gubernandum, ut adeo in tam provecta ætate nec mentis acies unquam retuſa, nec virtutis antiquæ vigor viſus ſit invalidior, quietem tamen, & antiquam vivendi rationem unicè ambiit. Quare ad antiquam SS. *Virginis del Pilar* Sedem rediit, ut ſuaviſſimos ſtudiorum, & laborum ſuorum fructus ſanctiùs perciperet, & felici coronide viam ad cælum terminaret. Quod ei An. 1650. obtigit. *Ex Relatione R. P. Franciſci Minquiſon S. J. Cæſaraugustani, quæ habetur præfixa operi de Sacramentis R. P. Auguſtini Berna. Theat. Reverendiſs. Grueber.*

Hiſpanico jungimus patrium, abſolutúmque perfectionis religioſæ exemplar in Reverendiſſimo Leonardo Mochinger Beyrbergenſis Collegiatæ Eccleſiæ noſtræ Prælato, utì digniſſimo, ita ſatìs nunquam laudando. Is quantum ad perfectiora conſcendendi modum, & ingens profectûs ſpiritualis deſiderium continuò in anima foverit, teſtis eſt integer ferme liber annotationum, quas in Idea virtutibus ſcatente obſervandas oculati teſtes poſterorum memoriæ ſcriptô reliquerunt. Ego compendium ex Chronico noſtro ſolùm deſcribo, &, ne palpum obtrudere videar, proteſtor, majora longè Leonardum promereri publicæ laudis præconia, quàm paucis hiſce comprehendantur elogiis. Ita vitam & geſta incomparabilis Præſulis concludit Chronicon.

Adeſte Præſules:
Quibus ardor in venis,
Et ſpiritus intùs fervet in anima
Pro gloria Numinis,
Religionis ſanctitate, & incremento,
Animarúmque perfectione.
Utriusque *Ideam* vobis ſiſto, imitamini.
Non eſt Platonica,
In concavo lunæ efficta;
At ſupra montem poſitaBeyrbergæ,
Ut quò eminentiùs, eò illuſtriùs
Cæteris proſtaret in exemplum.
Antiſtites anteſtant,
Ut ſucceſſores,
In eundem dignitatis gradum eluctantes,
Nunquam non inveniant,
Quod imitentur, & mirentur
In anteceſſoribus.
Reverendiſſimus D. Leonardus
Mochingus
perfectiſſima Idea eſt:
Quia in nullo loco, ſitu & ſtatu
Ipſi deeſt perfectio.
Damaſii adhuc Decanus
Canonicæ diſciplinæ,
Regularis obſervantiæ,
Sanctitatis religioſæ
Vivum erat *exemplar*,
Decani laudatiſſimi *Typus*.
Quid mirandum?
Si Præſules, & Bojariæ Proceres,
Quin & Illuſtriſſimum Principem,
Ducémque ſereniſſimum

In

Digitized by Google

In ſui admirationem rapuerit,
Ut ipſemet ſimul raperetur
Ad prælaturem
Vocatione, poſtulatione, electione.
Sic vocatus *ut Aaron*
Honorem accepit.
Sed quos dignitate,
Altiùs præceſſit virtute;
Ita Aureliani gregis forma factus,
Ut univerſæ Canoniæ Penemontanæ
eſſet *prototypon.*
A Jove illi principium:
Præ omnibus Divini cultûs,
Mox religioſæ diſciplinæ,
Ac ædificii tandem fuit cura;
Noverat enim ſagaciſſimus
Antiſtes,
Sub ruinoſis tectis
Sartam tectam haud ſervari Regulam,
Nec regulatum eſſe Ordinem,
Ubi nullus habitaculi ordo.
Aſt quanta præſtitiſſe Præſulem
Per ſeptem, putas, luſtra?
Sanè cenſebis maxima,
Quando non leges majora
Ab alio geſta.
Suſpicis
Pervetuſti Collegii ædificium
Ab aëriis totum inclementiis vindicatum:
Quis vindicavit?
Intueris
Magnis ſumptibus excitatum è ruinis,
Atque præſtanti elabpratum arte,
Ut ſuâ nulli ætate cederet:
Quis excitavit?

Conſpicis
Templum feneſtris illuſtre,
Fornicibus auguſtum,
turri ſpectabile:
Quis illuſtravit?
Miraris
Sacra ſupellectili dotatam,
Sericis ornatibus veſtitam,
Decem bene inauratis aris exornatam
Collegiatam ædem:
Quis dotavit, veſtivit, ornavit?
Obſervas
Apoſtolicam vivendi formam,
Canonica decreta,
Regulæ Hipponenſis erectam diſciplinam:
Quis erexit?
Celebras
Ordinem regularem, leges, ſtatuta
Beyrbergæ tum invecta,
Et Epiſcopalibus celebrata oraculis:
Quis invexit?
Stupes
Annuos redditus mirè adauctos,
piis conatibus
Cælo
Uberrimam afflante benedictionẽ:
Quis adauxit?
Legis
Jura tutò aſſerta,
Lites glorioſis victoriis coronatas,
Atque integrè compoſitas,
Uti integræ gloriantur communitates:
Quis aſſeruit, coronavit, compoſuit?
Periocham bene geſtorum,
Velut in nuce Illiadem, cape.

Lites

Digitized by Google

Lites compoſuit,
Redditus adauxit,
Regularem ordinem invexit,
Diſciplinam erexit,
Eccleſiam exornavit,
Templum illuſtravit,
Collegium totum excitavit,
ampliavítque
Ampliſſimus Antiſtes
Reverendiſſimus Dominus
LEONARDUS
MOCHINGER,
Æternâ memoriâ
Digniſſimus
Præpoſitus
Beyrbergæ.
Hic unus
Plurium reparavit damna:
Quod nec Licurgus Spartanis,
Nec Æneas Trojanis,
Nec Tullius Romanis
Valuerunt præſtare.
Caput laudis eſto:
Beyrbergam
Plures deſideràſſe Mochingos numero,
Similes optâſſe ectypo,
Pares non habuiſſe Prototypo;
Ut inter optimos Antiſtites
Palma maneret Mochingo,
& Leanardus primus
Incomparabilis eſſet
Præſulum Idea.

Paræneſis.

Tyrocinium Canonicum ingreſſi altiori mentis conſideratione jam penetrâſtis, Tyrones Chariſſimi, quàm interno Sancti Spiritûs inſtinctu experti multoties eſtis, quam magna *miſerentis*, quàm potens *vocantis* Numinis ſit gratia, quâ *de tenebris* perverſi ſæculi *vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Enimverò vos, *qui aliquando non populus*, quia inanibus mundi curis, pompis, illecebris, crepundiis maximam juventutis veſtræ partem conſecraſtis; *nunc autem populus Dei*, in ſortem Domini electi, à mundanis ſegregati, Diviniſque obſequiis unicè mancipati: *qui non conſecuti miſericordiam* aliquando propter obſtacula à diabolo, mundo, carne poſita, *nunc autem miſericordiam conſecuti.* 1. *Petri.* 2. Vos, inquam, *genus electum, & populus acquiſitionis* ſingularem prorſus illam gratiam cœleſtis vocationis veſtræ ad ſtatum religioſum, maximo ſemper in pretio habendam à vobis eſſe, in limine ſpiritualis hujus tractatûs jam didiciſtis, ut propterea *memoriale perpetuum* portaretis Amoris providi, ac Providentiæ amantis; atque priùs tabeſcere deberent animæ veſtræ, vitalémque relinquére auram, quàm gratiæ gratiarum, beneficii beneficiorum, maximíque ſalutem, electionem, prædeſtinationémque æternam præfigurantis ſigni hujus memoriam deponeretis.

Quare ponderatis omnibus, & ſingulis tantæ gratiæ qualitatibus ultrò progreſſa eſt tam fortis Deo promptiſſimè ac fideliſſimè ſervi-
endi

Digitized by Google

endi obligatio, ut oblata media non ſolùm nullus reſpuerit, verùm obviis brachiis quilibet complexus, avidiſſimè ſuſceperit. Cùm autem religioſæ confœderationis jura *prœliminaria* exigerent, ut omnibus Numinis inimicis nuntius remitteretur, bellúmque apertum contra eos declararetur, eò quòd nulla eſſe valeat *participatio juſtitiæ cum iniquitate*, nulla *ſocietas luci ad tenebras*, nulla *conventio Chriſti ad Belial*, præmonente Apoſtolo 2. *Corint.* 6. *principia univerſalia* ſacratiorem inſtituendi vitam magno ſtudio imbibiſtis, & mox ex altero *Capite*, velut bene inſtructo armamentario, integram adornâſtis panopliam. Bellicam exinde artem pugnandi, manus cum hoſtibus fortiter conſerendi modum, militarem ſervandi ordinem, & eminùs certandi formam, quin & nonnunquam ſolâ fugâ præmeditatâ adverſam aciem fugandi ſtratagemata edocti, herculeos impendiſtis labores proſternendis, enecandis, extirpandiſque Lernæis vitiorum hydris. Contra *inimicos hominis domeſticos*, contra ſenſus, inquam, ad malum ſemper proclives, generosè inſurexiſtis; dolos vaferrimi hoſtis cautè eliſiſtis, ejúſque machinationes, in phantaſia excitatas, Omnipotentis adjutorio freti contriviſtis, diſſipâſtis, in nihilum redegiſtis. Ita generosè in dies certantes, *armatâ* quaſi *manu* ad ſpatioſum S. Religionis *ſtadium* penetrâſtis: in quo vos non tantùm vibrare arma, ſed etiam *currere* oportebat, ut variis, altioribúſque gradibus ſuperatis, *bravium* comprehenderetis. 1. *Corint.* 9. Aſt Religionis *ſtadium* quid aliud eſt, quàm virtutis *ſtudium*, in *capite* III. ſicut in amœniſſimo, ampliſſimóque campo apertum? in quo facilior erat procurſus, quia ſuavior pugna, utpote laureolâ nunquam carens, quia *floribus*, *fructibúſque honoris*, & *honeſtatis* ſemper plena.

Ipſa etenim Virtus, pro qua forte ſubitur certamen, ſua ſibi eſt laurus, fructus, præmium. Certantem pro ſe ipſa coronat; dulciſſimos fructus diſpenſat; præmium perenne largitur: beatum efficit militem, ut ampliùs nihil deſiderare valeat. *Virtus*, perorat Cicero paradoxo 2. *ad beatè vivendum ſeipſa eſt contenta, & qui virtutem habet, ei nihil deeſt ad beatè vivendum.* Nulli autem deeſt virtus, qui animosè concertat pro illa, ne acquiſitam turpi otio amittat; qui inſuper vires omnes exerit, ut ad majora illam incrementa promoveat: neceſſe eſt ergo, certantem, ac laborantem pro virtute beatum jam eſſe. Quamobrem cùm *armatâ manu* poſt recentem vitiorum cladem vaſtiſſimum intraretis campum, fructus ſtatim anterioris pugnæ uberes ex *arbore virtutum*, velut è ligno vitæ in medio paradiſi plantato decerpere, pleníſque calathis odoriferas *Humilitatis* vio-

las, Sabæa *Charitatis* munera, mellea *Patientiæ*, ac *Manſuetudinis* trifolia, nivea *Caſtitatis* lilia, rubentia *Modeſtiæ* mala punica, matura *Prudentiæ* poma, atque ſcintilantes *liberalitatis* roſas, aliáſque multiplices animam paſcentes, refrigerantes, exornantéſque fruges congerere paſſim, & ſine menſura in uſum futuræ militiæ aptare, omnibus erat liberum.

Sed neque in hoc floridiſſimo virtutum colligendarum *ſtudio* parcitum fuit ſanguini: per vepreta enim *Capite* IV. ſuccreſcentia, per acutiſſimas ſpinas, per pungentes carduos, & variarum tribulos *Mortificationum* incedendum fuit, horreſcente nonnunquam ad cruenta veſtigia corpore, palleſcente ad tantam ſenſuum ſuppreſſionem facie, animâ ipsâ ſuis in paſſionibus ſibi compatiente, ac contabeſcente. Interim, cùm tota ſpes victoriæ Divinæ innitereturgratiæ, calentia in cœlum ſuſpiria avolârunt, ut deplueret ſalutares in animam fatiscentem imbres. Lachrymis etiam & precibus efflagitandum erat Numen, ut ſacratiores ferret ſuppetias, & efficaces dilargiretur gratias, quibus mediantibus ſuffulti inceptum virtutis curſum pergere poſſetis. Verùm enim verò exactâ ad hoc opus fuerat notitiâ; bonus námque *orationis uſus* turris fortiſſima, ſcutum inexpugnabile. Qui bene petit, omnia accipit; neque unquam ſprevit Deus precem pauperum juxta tritum Aſcetarum: *Qui diſcit bene orare, ſcit cuncta impetrare.* Hinc fuſiora de uſu Orationis tam mentalis, quàm vocalis documenta *Capite* V accepiſtis; ut ſciretis in omnibus tentationibus veſtris, *adire cum fiducia ad Thronum gratiæ. Hebr.* 4. in tribulationibus *levare oculos* veſtros *in montes, unde veniet auxilium* vobis. *Pſal.* 120. Ut ſciretis inſuper *ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere: caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur*, atteſtante Apoſtolo *ad Gal.* 5. Ubi autem major Spiritûs libertas? ubi ferventior animæ promptitudo adversùs hoſtem communem agendi, quàm ſi in *meditatione exardeſcit ignis? pſal.* 38. Quin etiam ſine oratione, ſine frequenti cœleſtium rerum contemplatione ſpiritum adversùs carnem non poſſe diu cōſiſtere, omnes myſticæ Theologiæ Magiſtri docuerunt; ſine ſpiritu verò virtutes in homine non perſeverare, comprobat c. 6. Gentium Doctor Theologico argumēto; quia *fructus ſpiritûs* ſunt virtutes, quas idem enumerat, *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas &c.* Perſpectâ Orationis neceſſitate, non modicam collocâſtis operam, ut perfectum illius uſum acquireretis, & profectum in ſingulos dies ampliorem caperetis. Ita ani-

animæ cœleſtibus inſtructæ pennis, terrenarum cupiditatum obſtacula non tam ſuperârunt, quàm ſupervolitârunt, & uſque ad arctam perfectionis viam pervenerunt. Sed hoc opus, hic labor: bellum hìc, ſi unquam grave, innovandum, aut certè integris viribus reſtaurandum fuit: *ſemita* enim *ad virtutem* adeò anguſta duos non capiebat. Certamen igitur ſingulare cum hoſte quolibet ſingulari ineundum, ubi aut vincendum erat, aut retrò cedendum: Illud periculoſum, iſtud probroſum, utrumque difficillimum. Devictis dein hoſtibus, aliis cadentibus, aliis fugientibus, planities viridis, & perampla, ab omni carnis ſpurcitie mundata, ab omni mundi immunditiâ immunis, ab omni contagione diabolicâ purgata offerebat ſe ſe. Lux Divina *illuminans hominem venientem in hunc mundum*, ſole elementari ſerenior, cunctis aſtris lucidior regionem iſtam irradiat, forìs, & intùs incolas ſuos medullitus perluſtrat adeò, ut lumen in interiori intellectûs habitaculo refulgens, ſenſus omnes rapiat in admirationem, & vel cæcam voluntatem oculatiſſimam efficiat, ut in amabilitatem cæleſtis radii ruat; Divinas dulcedines pleno hauriat ore, ſuaviſſimos virtutum fructus deguſtet, & amaricatam Chriſti arborem jam velut melle favóque amœniorem ambabus potentiæ *concupiſcibilis*, & *iraſcibilis* ulnis arctiſſimè complectatur. Præfulgente ita Divino lumine tutiſſimum ad cœlum, amabiliſſimúmque *amoris iter* feliciter ingreſſi, *fugiendo* declinâſtis cautè omnia, quæ cœleſtis militiæ Imperatori diſplicentiam ullam poterant creare. Econtra bene cuncta *feciſtis* ad nutum mandantis, æquo, ac patienti animo ſingula *ferendo* belli incommoda; etſi hæc ſatis fuiſſent gravia, naturæ repugnantia; proprióque penitus contraria genio. Amor omnia vicit. Vitia enim ſolo Dei amore reſecare, adverſa quæque ſolo Dei amore ſuſtinere, quæ proprio arrident amori, ſolo Dei amore mortificare, delicati eſt militis in caſtris Chriſti: *tenera enim militia eſt*, aſſeverante Petro Ravennate, *ſolo amore de omnibus vitiis reportare victoriam.* Sic poſt varias luctas eluctati aſpera montium, *Viam* attigiſtis, quam nulla oculorum acie comprehendere, nullo curſu emetiri, nullis victoriis in vita adimplere, nullos gradus ſuperare poteratis, quin ulteriores non reſtarent ſuperandi. Hìc jam agite, macti virtute, hanc *viam* contentis viribus decurrite, bonum certamen concertate, apprehendite arma juſtitiæ, galeam ſalutis, ſcutum fidei, gladium timoris Domini. *Via* hæc laboribus, vigiliis, curis, ærumnis undique conſita, hoſtium incurſibus pervia, tam dura eſt, quàm diuturna; aſt ſimul tam brevis eſt, quàm vita, cum vita terminatur via. Forſitan

Rrr 2 hodie

Digitized by Google

hodie illam abrumpet Deus, & non erit *via* ampliùs, curſus abſolvetur, & ſola manebit æternitas. Quid quid vel uno in momēto neglexeritis, neque illud reparare, neque hanc negligentiam reſarcire, aut per omnem æternitatem reſtaurare quidquam valebitis. Semel aliquid neglectum, in æternum eſt neglectum: ſemel amiſſum in tempore, in æternum cenſetur amiſſum. In hac *via* ſingula temporis momenta ſunt pretioſa, coronarum ampliſſimarum, cœleſtium, & æternarum feracia. In uno momento Divino incaleſcentes amore in Angelos, Cherubinos, ac Seraphinos evadere poteſtis: illo neglecto magna erit veſtra confuſio, & ſera pœnitentia.

Tres inimicos capitales, mundum, carnem, Diabolum, facili negotio conficiendi artem vos docet Magnus veſter Dux Auguſtinus *Ser.* 12. *de Sanctis cap.* 2. *Duplicem mundus aciem producit contra militem Chriſti, advertite fratres, duplicem, dixi, aciem producit mundus contra milites Chriſti. Blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria; non nos terreat crudelitas aliena, & victus eſt mundus* cum carne. *Ad utroſque aditus occurrit Chriſtus, & non vincitur Chriſtianus.* Et *de ſymb. ad catechumenos l.* 2. *c.* 1. adhortatur Chriſti Athletas, ne animos deſpondeant in gravi cum fraudulento hoſte conflictu; ſed ſicut carnis blanditias arreptâ fugâ, & mundi terriculamenta generoſo contemptu ſuperârunt, ita Diaboli machinamenta firma in Deum fiduciâ diſrumpant. *Optimi jam Tyrones Dei,* proclamat S. Dux, *fortes milites Chriſti, dum arma Sacramentorum ſuſcipitis, pugnam adversùs diabolum indicitis; dum ejus operibus renuntiatis, vehementiùs in vos ejus furias provocatis. Sed non metuat miles Chriſti: induemini enim ipſum Chriſtum, ut per eum velociter ſuperetis adverſarium veſtrum Diabolum. Quibus armis pugnat ille? illecebroſis, & ſubdolis. Duo ſunt genera armorum ejus valde fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter ſtare debet omnis miles Chriſti, qui triumphare cupit, & ſuperare virtutem Diaboli. Quæ ſunt iſta duo genera armorum? Voluptas & Timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & noſtra acies; proferantur arma ſpiritualia. Contra timorem Diaboli adſit* timor Domini caſtus, permanens in ſæculum ſæculi. *pſ.* 18. *Contra voluptatem turpiſſimæ delectationis non deſit fides orationis. Et quid metuit Chriſtianus*, quin & Religioſus, *quando admonetur ſic orare, ſic præſumere, ſic fidere, ut dicat:* Dominus mihi adjutor eſt, & ego deſpiciam inimicos meos? *Pſal.* 171. Si tanta igitur S. Ducis principia altâ reponatis mente, Tyrones chariſſimi, & documenta ſacratiora hujus *Tyrocinii Canonici* ad frequentem reducatis praxin; Si ſcilicet *viâ perfectionis*, quam non tantùm ingreſſi

Digitized by Google

greſſi, ſed magna ex parte jam emenſi eſtis, ferventiori ſemper pergatis animo; *repoſita erit* vobis *corona juſtitiæ, quam reddet* vobis *Dominus in illa die juſtus Judex.* 2. *Tim.* 4. Hanc autem *immarceſcibilem gloriæ coronam* dum glorioſis victoribus gratulor, potentes apud Deum illorum preces pro me efflagito, ne unquam à perfectionis religioſæ ſchola alienus, à veritatis viâ aberrem, & ne, cùm aliis prædicaverim Tyrocinii decurſu, ipſe reprobus efficiar in

FINE.

INDEX

Capitum, & Articulorum, ac Lemmatum, poſt ſingulos fere articulos annexorum, moralíque brevi diſcurſu expoſitorum, numero paginam notante.

CAPUT I.

DE vocatione, fine, & ſtudiis Religioſorum Novellorum. pag. 1.

ARTICULUS I.

De æſtimatione vocationis ad ſtatum religioſum. pag. 1.

ARTICULUS II.

De fine Religioſorum Ordinum, & præſertim Canonicorum Regularium. pag. 10.

ARTICULUS III.

De ſtudiis, & ſignis Novitiorum. pag. 14.

Idea Novitii boni. pag. 21.

CAPUT II.

De peccatis, eorum damnis & remediis. pag. 25.

ARTICULUS I.

De peccato mortali & veniali in genere. pag. 25.

Virtus laureata. pag. 32.

ARTICULUS II.

De ſuperbia & ejus remediis. pag. 36.

Superbia docta, & victa. pag. 40.

ARTICULUS III.

De Invidia. pag. 43.

Sana livoris oppoſitio. pag. 46.

ARTICULUS IV.

De detractione, contumelia, ſuſurratione & deriſione. pag. 47.

Bonis ſuſurratio gloriæ parens. pag. 52.

ARTICULUS V.

De Ira, Impatientia, & earum remediis. pag. 56.

Injuria ſanctè vindicata. pag. 61.

ARTICULUS VI.

De luxuria, & ejus remediis. p. 64

Triumphata libido. pag. 69.

ARTI-

ARTICULUS VII.
De Acedia, ejus ſignis, damnis, & remediis. pag. 70.
Flamma acediæ mors. pag. 75.
ARTICULUS VIII.
De Vitio Gulæ, Intemperantiæ, & Ebrietatis, earum damnis ac remediis. pag. 76.
Fructus frugalitatis. pag. 81.
Arbor vitiorum, & ſuccincta expoſitio. pag. 83.
CAPUT III.
De Virtutibus, & earum uſu. pag. 87.
ARTICULUS I.
De virtute in genere. pag. 88.
§. I.
Quid & quotuplex ſit virtus? pag. 90.
§. II.
De objecto virtutis, & an hæc ſit melior, quando difficilior. p. 92.
§. III.
De ſubjecto, fine, & intenſione, ſeu gradatione virtutum. p. 96.
Exemplar virtutis. pag. 101.
ARTICULUS II.
De virtute humilitatis. p. 106.
§. I.
Quid ſit humilitas, & cur Religioſis apprimè neceſſaria. pag. 107.
§. II.
Recenſentur, & explicantur gradus humilitatis, & præcipuè primus. pag. 111.
§. III.
Exponuntur ſecundus & tertius humilitatis gradus. pag. 120.
§. IV.
Explicatur quartus humilitatis gradus, & duo quæſita reſolvuntur. pag. 124.
§. V.
Cæteri tres gradus, atque humiliationis modi practici referuntur. pag. 129.
Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus. pag. 135.
ARTICULUS III.
De virtute Charitatis, & gaudii oppoſiti invidiæ. pag. 136.
Focus ſemper ardens. pag. 140
ARTICULUS IV.
De virtute Patientiæ in adverſis. pag. 143.
De forti dulcedo. pag. 154.
ARTICULUS V.
De Manſuetudine, ejúsque actibus. pag. 157.
Beatitudo terreſtris. pag. 161.
ARTICULUS VI.
De virtute Caſtitatis. pag. 164.
§. I.
Obſervanda neceſſaria pro obtinenda Caſtitate. pag. 166.
§. II.
De gradibus caſtitatis in genere, & de tribus primis in ſpecie. pag. 170
§. III.
De reliquis caſtitatis gradibus. pag. 173.
§. IV.
Dubia quædam circa hanc materiam reſolvuntur. pag. 178.

Pro-

Digitized by Google

Probatus lilii candor. pag. 183.

ARTICULUS VII.

De virtute Modeſtiæ. pag. 189.
Simulacrum mentis. pag. 206.
Prophetia S. Malachiæ. p. 211.

ARTICULUS VIII.

De prudentia ſpirituali, & ejus gradibus. pag. 224.

§. I.

De gradibus ſpiritualis prudentiæ. pag. 225.

§. II.

Aliæ recenſentur perfectiones ſpiritualis prudentiæ. pag. 229.
Ornamentum aureum. pag. 234.

ARTICULUS IX.

De reliquis quibuſdam virtutibus religioſis. pag. 238.
Arbor virtutum, & ſuccincta expoſitio. pag. 245

CAPUT IV.

De mortificatione ſenſuum tam externorum, quàm internorum. pag. 248.

ARTICULUS I.

Quid ſit mortificatio in genere, & unde etymologia ejus. pag. 249
Religioſa roſa. pag. 252.

ARTICULUS II.

De mortificatione visûs. p. 256
Cordis nuntius. pag. 257.

ARTICULUS III.

De mortificatione auditus. pag. 259.
Senſus diſciplina. pag. 261.

ARTICULUS IV.

De mortificatione guſtûs. pag. 263.
Medicina ſalutis. pag. 264.

ARTICULUS V.

De mortificatione odoratûs. pag. 267.
Thus fragrans. pag. 268.

ARTICULUS VI.

De mortificatione tactûs. p. 269
Ignis urens. pag. 272.

ARTICULUS VII.

De mortificatione intellectûs. pag. 273.
Frænum rationis. pag. 278.

ARTICULUS VIII.

De mortificatione voluntatis. pag. 281.
Magnes amoris. pag. 288.

ARTICULUS IX.

De mortificatione memoriæ pag. 291.
Spiritus alatus. pag. 293.

ARTICULUS X.

De mortificatione amoris proprii. pag. 296.
Pernicies baſiliſci. pag. 301.

ARTICULUS XI.

De mortificatione paſſionum in genere. pag. 303.
Actio & paſſio. pag. 307.

ARTICULUS XII.

De Indifferentia. pag. 310.

Digitized by Google

Religioſus Proteus. pag. 315.

CAPUT V.

De oratione mentali & vocali. pag. 318.

ARTICULUS I.

De utilitate, neceſſitate, ac fine Orationis in genere. pag. 319.
Thymiama myſticum. pag. 331.

ARTICULUS II.

De meditatione, & ejus fine. pag. 335.
Anima penna. pag. 341.

ARTICULUS III.

De præparatione, ac materia meditationis. pag. 344.
Conſilium Sapientis. pag. 354

ARTICULUS IV.

De modo procedendi in diſcusſione punctorum. pag. 357.
Remora affectuum. pag. 367.

ARTICULUS V.

De motivis & affectibus. pag. 372.
Otium ſanctum. pag. 377.

ARTICULUS VI.

De vario ſtatu meditantium, & ſupplendo labore. pag. 381.
Æquilibrium mentis. pag. 391.

ARTICULUS VII.

De Oratione vocali. pag. 394.

Solitudo ſacra, & forum rebelle. pag. 400.

CAPUT VI.

De viis ad perfectionem. pag. 404.

ARTICULUS I.

De via purgativa. pag. 404.
Semita ad virtutem. pag. 406.

ARTICULUS II.

De via illuminativa. pag. 414.
Lux cæleſtis. pag. 416.

ARTICULUS III.

De via unitiva. pag. 422.
Amoris iter. pag. 426.

ARTICULUS IV.

De fugiendis, peccatis & iis, quæ diſplicent Deo. pag. 432.
Bona mali fuga. pag. 436.

ARTICULUS V.

De benefaciendis iis, quæ placent Deo. pag. 440.
Aurea regula. 455.

ARTICULUS VI.

De ferendis æquo animo iis, quæ diſplicent amori proprio. pag. 466.
Proprii torcular amoris. pag. 472.

ARTICULUS VII.

De aſcenſu ad perfectionem. pag. 482.
Via ſine termino. pag. 487.
Paræneſis. pag. 496.

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS,

Complectens quorundam Sanctorum, Beatorum, & Venerabilium Canonicorum vitas compendioſas, ſingulis capitibus pro imitando virtutum exemplo inſertas.

A.

V. Adamus *de S. Victore Pariſienſis ob magnum devotionis fervorem viſione B. V. Mariæ recreatur. Fol.* 333.

V. Alanus *de Solminihac ex Abbate Cancellatenſe Epiſcopus Cadurcenſis auſteritate, & humilitate inſignis.* 121. *duos ſibi in Epiſcopatu monitores ſuorum defectuum conſtituit.* 122. *falſas criminationes ex humilitate non vult, à ſuis vindicari.* 124. & 129. *Heroica ejus patientia, atque notanda hac de virtute doctrina.* 154. *contra calumniatores non ſe defendit.* 156. *caſtitatis dono à Numine præditus.* 174.

V. Albertus de Altiſſimis *emiſſo voto Deiparæ ope ab epilepſia ſubitò liberatur.* 240. *In Collegio S. Bartholomæi Vicentiæ fit Canonicus, & rarum exemplar humilitatis, ſimplicitatis, & patientiæ. Judicii proprii ingenioſus victor.* 241. *Conſortium Connovitiorum ex bene ponderandis cauſis non fugit.* 242. *larvas infernales fugat. In pauperes liberalis: pro peccatorum converſione magnas corporis afflictiones & preces extraordinarias ſuſcipit; ſanctè moritur.* 243.

Alexander Sätterle *Canonicus Regularis Wegarenſis in Bavaria eximius paſſionum ſuarum domitor, & Zeloſiſſimus Novitiorum Magiſter: in articulo mortis gravem patitur tentationem contra fidem, at victricem animam feliciter tranſmittit aſtris.* 309.

Aloyſius à Lymborck *Abbas S. Ægidii in monte apud Leodium in egenos & peregrinos liberalis.* 369.

Ambroſius Sumperer *Præſul Augienſis in Bavaria innocentiam morum miram præſefert in tyrocinio.* 237. *prudentia ſpirituali ſuos Magiſter novitios adeò regit, ut quemdam è dæmonis mancipatu,*

tu, & præſentiſſimo animæ periculo liberaverit. 238.

B. Andreas Novarienſis *nobili ortus genere, reſignata parochia, fit Can. Reg. in Abbatia Vercellenſi, omnibúſque virtutibus claret.* 407. *Regularis diſciplinæ etiam in ultima ætate obſervator ſtudioſiſſimus, & prodigioſæ ſanctitatis opinione moritur.* 408. *Matronæ, ad ejus ſepulchrum oranti, in ſomnis apparet, & ab imminenti malo liberat* 409.

Auguſtinus Aicher *Præpoſitus Dietramcellenſis in Bavaria devotiſſimus erga S.S. Eucbariſtiam, bene ea omnia facit, quæ Deo placent.* 465.

Aymericus Jacobus *Canonicus Regularis S. Genovefæ Doctor Pariſienſis & Cancellarius S.S. Ignatium, & Franciſcum Xaverium Soc. Jeſu Magiſtros creavit: poſtea Epiſcopus Calcedonenſis ſanctè obiit.* 36.

Æ.

B. Ægidius à Waldecuria *in propriam carnem auſterus, & Oegniacenſe Cœnobium ex bonis paternis fundat, primúſque illius Antiſtes beato fine quieſcit.* 369. & 370.

B.

S. Badulphus *Hiſpanus Can. Reg. Tarraconenſis integras noctes in Divinis laudibus, & rerum cæleſtium contemplatione inſumit.* 342.

V. Bertholdus *Eccleſiæ S. Crucis Auguſtæ Vindelicorum Præſul erga S.S. Numen Eucbariſticum ſingulari devotione inſignis.* 342. *Sub illius regimine ſtupendo miraculo in S. Hoſtia Divina comprobata fuit præſentia, quæ continuis in dicta Eccleſia fulget prodigiis.* 343.

B. Blaſius Vicentinus *rigidiſſimus ſenſuum cuſtos, celebris Theologus, Zeloſus Orator, & Canoniſta virtutibus variis clarus, mortis ſuæ præſcius, & poſt eam miraculis coruſcat.* 261.

C.

Carolus Favre *Gallus vir ad magna natus: ingens Canonici Ordinis Zelator, & reſtaurator: heroicis virtutibus præditus, dum opus reformationis generalis perficere laborat, piiſſimè defungitur.* 479. *uſque* 482. *ubi illius Encomia, & Epitaphium afferuntur.*

Clemens Claudioceſtrenſis *Anglus Abbas Langthonienſis contemplationi, lectioni & Librorum ſcriptioni totum ſe dedit.* 421.

V. Comeſtor Petrus Trecenſis *Canonicus S. Victoris, Doctor Pariſienſis, & Academiæ Cancellarius, Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ: ex tenerrimo in B.V.M. affectu carmen pangit.* 35. *ejus epitaphium vetus verſibus comprehenſum.* 36.

V. Conradus Pollinganus *Antiſtes religioſiſſimus B Hartmani Ep. Brixinenſis Vicarius, ſeverus oculorum vagorum caſtigator, quotidianam de ſe victoriam reportat.*

Reli-

Digitized by Google

Religioſa diſciplinæ amator & cu-ſtos ſanctè moritur. 258. *de eo agitur etiam in vita B. Hartmanni.* 254.

Cornelius Reinerus *Schonhovienſis, & Jacobus Cruquius Goudanus Canonici Windeſimenſis Congregationis pro fide Chriſti ab hæreticis martyrio afficiuntur.* 279.

D.

S. Dominicus *Cathedralis Eccleſiæ Oxomenſis Canonicus Regularis magnam exercet abſtinentiam. Poſtea Sanctiſſimus Patriarcha Prædicatorum ſpeciale jejunium Ordinis inſtituit.* 81. *tantæ fuit manſuetudinis, ut injurias & contumelias ſereno ſuſciperet vultu, atque ita hæreticum converteret ad fidem Catholicam.* 161. *ejus Fratres noctu dormientes B. Virgo ſigno crucis & aqua luſtrali ſignat, uno excepto, qui jacuerat non bene tectus.* 168. *libentiùs concionabatur coram plebeis in pagis, & æqualiter ſe præparavit ad conciones.* 446.

E.

Erhardus Linden *Abbas Creuzlingenſis multis virtutibus claret: à S. Pontifice mitram & pontificalia accipit inſignia.* 492.

Eſaias *Eſtenſis Procurator Generalis Congregationis Lateranenſis multa ſanctitatis & virtutum ſpecimina præbet.* 490.

S. Eulogius *in Archipræſulem electus in carcere ſanctè moritur, cujus corpori columba inſidere viſa eſt.* 491.

F.

Franciſcus à Toledo *Archiepiſcopus Valentinus magnarum virtutum Præſul Concilio Tridentino intereſt.* 393.

B. Franciſchinus *de Caſali Diaconus humilitate, amore, & miſericordia in pauperes eximius, multis ſua oratione impertit ſanitatem. In nocte Nativitatis D.N. J. Chriſtum infantem à Deipara in ulnas accipit: ſex menſibus modico vino largiter alit confluentes egenos.* 141.

S. Fridericus *Trajectenſis Canonicus, poſtea Epiſcopus, contra Arianam hæreſin, & illicita connubia ſanctè decertat.* 62. *acceptum à Sicariis lethale vulnus tamdiu celat, donec percuſſores vindictæ periculum evaſiſſe ſciret: poſt orationem pro inimicis factam multa prædicit, & cœleſti odore fragrans exſpirat miraculis clarus.* 63.

S. Fulcherius *Cellenſis Canonicus multa pro Eccleſia patitur.* 438. *Hieroſolymam profectus Archiepiſcopus Tyrenſis & Patriarcha Hieroſolymitanus inauguratus ſanctè vixit.* 439.

S. Fulcus, *ſive Fulco Canonicus Placentinus virtute obedientiæ eminet. Pariſiis Doctor creatus, poſtea Præpoſitus, Archipresbyter, & Epiſcopus renuntiatur.* 289. *quo-*

Digitized by Google

tidie pauperes ad menſam adhibet: ſanctè mortui corpus poſt 337. annos repertum in templo Papienſi cæleſtem ſpargit odorem. 190.

B. Fulgentius *Cremonenſis charitate in Deum & proximos admirabilis.* 141. *Verbi D. concionator ignitus, Venetiis è carcere damnatum impœnitentem liberat. Ferrariæ peſte laborantibus inſervit, & cælitùs à contagione præſervatur.* 142.

G.

Gabriel Flamma *Venetus Congreg. Lateranenſis decus, Laureatus Doctor, Orator celebratiſſimus, & Zelator animarum flagrantiſſimus.* 75. *Otii inimicus, Abbas Generalis, & Epiſcopus Clodienſis Deiparæ Templum abſolvit & conſecrat: beatam finit vitam.* 76.

Gebhardus *Reicherſpergenſis poſt* 13. *annorum militiam ſpernit mundum, & fit Canonicus.* 273.

Georgius *Campus Vercellenſis mortificationum vario generi deditus, oppida & pagos obambulavit, ut juventutem inſtrueret.* 269.

Georgius Wagner *Præpoſitus Dieſtramcellenſis mortificationis & regularis diſciplinæ amator, & in Deiparam doloroſam devotus ſacellum eidem erigit.* 273. 465.

Gerardus *Hombolt Swollis ad S. Agnetem laicus profeſſus charitatem in egenos & hoſpites non ſine miraculo exercet.* 410.

Gerlacus *Daventrienſis S. Supellectilem ſanctè cuſtodit. Inter miſſarum ſolemnia extaſes patitur. Internos inſtinctus mox ſequitur. Inter maximos dolores hilarem gerit animum.* 474. & 475.

S. Gilbertus *ex Canonico Pridlingtonienſi Abbas Sempigamenſis, & Congregationis reformator inſignis.* 355. *virginitatem illibatam cuſtodit: ad Nomen Dei & Mariæ genua flectit. Meditandi modus, & mira ejus abſtinentia.* 356. *Epiſcopatum & Archidiaconatum recuſat cum notabili ſententia.* 357. *Mirabiliter languentes ſanat, & prophetico Spiritu plenus ſanctiſſimè exſpirat.* 357.

S. Guarinus *ſingularem à teneris abſtinentiam tenet. Epiſcopatum arreptâ fugâ declinat.* 368. *Cardinalis creatus nil de regulari vita remittit. In pauperes liberalis mortem ſuam prædicit, quam ſanctè obiit.* 369.

Guido *Audubertus innocentiæ & puritatis, aliarúmque virtutum exemplar Cancellatenſis Novitius, rarâ abſtinentiâ guſtum refrenat.* 22. *à Deo ad orationem ſupernaturalem elevatur.* 23. *mirabilis ejus patientia; & mors in Novitiatu.* ibidem.

S. Guiraudus *Epiſcopus Bitterenſis regularem obſervat vitam, quam etiam ſancta morte concludit, & miraculis coruſcat.* 459.

H.

S. Hartmannus *ad S. Nicolaum Paſſavii Canonicus, deìn Salisburgenſis Decanus, & Chiemenſis Præpoſitus, à D. Leopoldo Neuburgenſi Eccleſiâ*

cleſia præficitur, ubi Canonicos à ruinâ domûs, & nautas à naufragio mirabiliter præſervat. 252. *Epiſcopus Brixinenſis Reinbertum pro fundanda Novâ Cellâ inducit.* 253. *Rigidiſſimam carnis maceratione, & abſtinentiam exercet. Ut contemplationi vacaret, abbreviato utitur ſomno.* 254. *Chriſtum in carne videt: & dono caſtitatis munitus miraculis claret.* 255.

B. Heldemarus *vaſtiſſimam petit eremum, & Æroaſienſem Congregationem fundat.* 428. *à quodam Clerico vulneratus ſanctè moritur: ejus epitaphium.* 429.

Hieronymus Strozza *Mantuanus Congreg. Lateran. ex humilitate profundam ſcientiam ſuam coram aliis abſcondit. Charitate in Deum & proximum ardentiſſimus.* 140.

B.Hugo *de S.Victore Pariſiis ſub Abbate Gilduino A.* 1115. *Regulam S. Auguſtini profitetur. Philoſophiæ & Theologiæ ſcientias cum omnium applauſu tradit. Oblatas dignitates conſtanter reſpuit Poſt obitum Carolus Comes Valeſii illius interceſſione à medicis deſperatam ſanitatem ſubitò recipit.* 33. *Ejus Epitaphium.* 34. *Deiparam alphabeto encomiorum honorat.* 397.

I.

Jacobus *Cruquius vir mitis, & modeſtus Congreg. Windeſemenſis in odium fidei martyrio afficitur.* 279.

B. Joannes *de Baraſtra Abbas S. Eligii inter lachrymas S. Miſſæ ſacrificium celebrat. Erga B. V. M. devotiſſimus, & humillimus, in pauperes & miſeros miſericors. Ad Concilium Lugdunenſe invitatus duos Canonicos ſua Eccleſia mittit, ſanctè defunctus.* 333.

S. Joannes *Bridlingtonienſis virginitatem Deo ex voto promiſſam guloſitatis ſuppreſſione conſervat. Communi uſus menſa, pauperibus ſemper aliqua retinet diſtribuenda.* 82.

Joannes *de Campis Congr. Windeſem. inter primos in monte S. Agnetis pro bono communi laborat.* 302.

S. Joannes *de Craticula ex Abbate Can. Reg. Epiſcopus Alethenſis, & poſtea Maclovienſis in Eccleſiam Cathedralem vitam regularem inducit.* 391. *Pro Deo multa patitur.* 392.

B. Joannes Hortulanus *Canonicus Oegniacenſis virginitatem illibatam conſervât. Animarum Zelo flagrat. Morientis lectum Angeli circumdânt, & cubiculum cæleſti odore perfunditur. Anima ejus rectà in cœlum evolat, & apparet B. Mariæ Oegniacenſi, eámque conſolatur.* 420.

Joannes de Leevis F. *converſus ingenti charitate ſuis inſervit: contemplationi intentus multa cœlitùs didicit, & conſcripſit: patientiam in excelſo gradu exercet: ſub menſa cæleſti viſione recreatur. Mor-*

tem ſuam prædicit, & ſanctè obit. 411.

V. Joannes Malleolus *ob ſingularem prudentiam regendis & viſitandis Monaſteriis adhibetur.* 301. *Prior, & Rector Sanctimonialium conſcientiam puram etiam extra clauſtra degens conſervat.* 302.

Joannes Milecker *Præpoſitus Beyrbergenſis humilitate inſignis, aſſentatores ne levi quidem aure dignatur. Tumulus ejus epitaphio honoratur.* 262.

S. Joannes de Muſelino *ab Angelo monetur, ut Canonicum Ordinem ingrediatur.* 4.

V. Joannes *de Olandia Lateran. Congreg. maximis naturæ & gratiæ dotibus inſignitus, in ſumma Generalatûs dignitate humillimè de ſe ſentiebat.* 379. *Regularis vitæ ſtudioſiſſimus, multa divinitùs prænoſcit.* 380.

B. Joannes *Oſterwicanus Martyr.* 278.

Joannes *Rotthuet Underſtorffenſis Præpoſitus pro Dei gloria, & Religionis bono Zeloſiſſimus.* 142.

V. Joannes *Rusbrochius primâ Miſsâ matrem è purgatorio liberat.* 101. *Canonicus factus aſcetica doctrina, & vitæ ſanctitate claret.* 102. 103. & 104.

Joannes Schön *Decanus Dieſſenſis, & Præpoſitus diſciplinam promovet: Templa, & Bibliothecam erigit. Piiſſimè moritur.* 380.

B. Joannes Serranus *Hiſpanus ex Can. Reg. Epiſcopus Segobienſis, & Seguntinus, doctrinâ, prudentiâ, ac virtutibus claret.* 369.

Joannes Scutken *Hollandus Congreg. Windeſimenſis clariſſimis effulget virtutibus.* 463.

B. Joannes *Bonus Valetus Cantipratenſis promptiſſimam exercet obedientiam.* 316. *Tentatus à B. B. Petro & Paulo liberatur. Erga Deiparam devotiſſimus.* 317.

Innocentius III. Pont. *magnæ ſobrietatis & abſtinentiæ, ſuperfluitatem à Clericis amovet.* 265.

Innocentius Keferlocher *Decanus Dieſſenſis quidquid perfectius fore cognovit, ex voto fecit. Familiari Angeli tutelaris alloquio fruitur.* 280.

S. Ivo *ex Abbate S. Quintini Epiſcopus Carnotenſis Can. Ord. inſtaurator.* 183. *multa pro Deo & Eccleſia patitur.* 184. *Ejus patiendi ardor, & caſtitatis ſervandæ ſtudium.* 185. *Ad aram facienti igneus globus apparet.* 186. *Egregia ſcripta reliquit, & ſanctè obiit.* ibidem.

L.

S. Laurentius *Archiepiſcopus Dublinenſis à tenera ætate uſque ad obitum plurimas fuit paſſus adverſitates. Magna ſanctè egit, & paſſiones ſuas egregiè edomuit. Sanctè mortuus apud Canonicos Augenſes miraculis claret.* 309.

S. Laurentius Juſtinianus *mira ſapientia Divina viſione ad amplectendum ſtatum Religioſum in Cœnobio S. Georgii de Alga animatur.* 3.

V. Lau-

V. Laurentius *Luſitanus Congregationis Conimbricenſis Prior Generalis vita ſanctitate, ac miris ſignis poſt obitum fulget.* 439.

Leonardus Mochinger *Præpoſitus Beyrbergenſis Religionis, & animarum Zelo, virtutibúſque nulli ſecundus.* 494.

Lombardus Petrus *Magiſter ſententiarum dictus, ævo ſuo ſubtiliſſimus Doctor Pariſienſis, & Epiſcopus: claret ſæculo undecimo.* 34.

V. Lubertus Hauſchilt *Abbas Echoutanus S. Bartholomæi Brugis magnarum virtutum vir. Inſignia in S. Ordine præſtitit. In Concilio Conſtantienſi mitra donatur. Principibus apprimè charus. Spiritu prophetico præditus.* 317. *Nobiliſſimorum ſodalitium inſtituit.* 318.

M.

S. Malachias B. *Immarium Magiſtrum accipit. Presbyter ordinatus cantandi in Eccleſia ritus inſtituit.* 207. *Reſtaurato Benchorenſi Cœnobio, Epiſcopus Connetherenſis factus feroces homines ad meliorem vitam inducit.* 208. *Archiepiſopus Ardmacanus pro pallio Romam profectus, apud S. Bernardum in Claravalle divertit.* 209. *ubi relictis 4. ſociis, ut monaſticis diſciplinis inſtruerentur, Dunum revertitur. Dum ſecundum iter Romam aggreditur, in Claravalle ſanctiſſimè moritur, funebria ei celebrante S. Bernardo.* 210. *Illius famoſa prophetia de Summis Pontificibus cum ſuis expoſitionibus habetur à fol.* 211. *uſque ad fol.* 218.

Marcus Hauſer *à Weiſenſtein Præpoſitus Novæ-Cellæ in Tyroli, charitate, manſuetudine, patientia, & liberalitate in exteros & profugos elucet.* 162.

B. Martinus *Bergomenſis amoris proprii hoſtis, humilitatis cultor eximius.* 473. *deſperatos peccatores ſuis concionibus convertit. multa præſtat tam vivus, quàm mortuus etiamnum beneficia. Poſt centum annos corpus illius integrum & palpabile reperitur, & honorificentiùs transfertur.* 474.

B. Martinus *Legionenſis paternas opes in egenos diſtribuit, & Hieroſolymam proficiſcitur.* 402. *Litteris divinitùs inſtruitur. Captus ab Angelo tutelari liberatur. Sanctè moritur.* 403.

Martinus Perez *magna prudentiæ, doctrinæ, & pietatis Archipræſul Valentinus, Concilio Tridentino interfuit.* 76.

B. Maroldus *converſus Underſtorffenſis, charitate in pauperes famoſus, quam mirabili ciborum in ligna converſione Deus palam fecit.* 409. *ſub imagine Crucifixi piiſſimè moritur, ſonantibus in Eccleſia campanis abſque humano auxilio.* 410.

Mauritius *Doctor & Epiſcopus Pariſienſis, poſitâ infulâ in S. Victoris Cœnobio fit Canonicus Regularis, & piè moritur.* 34.

B. Menendus *Luſitanus Prior S. Salvato-*

vatoris ob vitæ ſanctimoniam poſt obitum Beati titulo honoratur. Corpus integrum in tumulo repertum fuit. 402.

Michael Rubin *Waldſeenſis Eccleſiæ in Suevia Præpoſitus ob ſuas virtutes carmine laudatur.* 492.

N.

Nicolaus Cuſanus *S. R. E. Cardinalis erga B. V. M. mirè devotus: ob ſuam humilitatem ab eadem cœleſti viſione recreatur.* 117.

Nicolaus Grenierius *Pariſienſis Generalis Præpoſitus, doctrina, pietate, & animarum Zelo ſpectabilis. Hæreticorum, quos ſcriptis variis exagitaverat, inſidias Divina ope ſuperat. Multis reformatis Monaſteriis piiſſimè defungitur.* 421.

V. Noniz Petrus *Luſitanus Conimbricenſis Antiſtes nocturno tempore in templo vigilans, videt S. Franciſcum, aliósque Sanctos proceſſionaliter ingredientes, & Divinas laudes perſolventes.* 341.

O.

Oliverius *de Campo ſingula opera ſua cum magna perfectione peragit, Congregationis Zelator.* 491.

V. Olzenagus Richardus Vercellenſis *ſtupendâ memoriâ inſignitus, ſummus Theologus, & Orator. Abbas durante Concilio Tridentino mortuus.* 272.

V. Oompſius *Gellenſis Congreg. Windeſemenſis devotiſſima converſationis in opinione ſanctitatis moritur.* 491.

B. Olterwicanus Joannes *Congreg. Windeſemenſis pro fide Catholica Gorgomii Martyr. Generoſus ſuæ naturæ, & ſenſuum victor, ut laureolam promeruiſſe videatur.* 278.

P.

Paulus Steinher *Præpoſitus Beyrbergenſis virtutibus, & ſcientia excellens, varia ſpecimina earum præbet. Præeſt maxima cum laude.* 370. *Ejus encomium Epitaphia referunt.* 371.

B. Petrus Atoldenſis *Præpoſitus Beati memoriam habet.* 302.

B. Petrus de Arboes *nobili ſatus ſanguine, Doctor laureatus, & Canonicus Regularis in Metropolitana Eccleſia Cæſaraugustana, virtutibus eximiis ornatus, ſenſus internos unicè ad Deum dirigit.* 293. *Primus in regno Arragoniæ Inquiſitor generalis ad aram B. V. orans occiditur: cujus mors miraculis glorioſa redditur à Deo.* 294.

V. Petrus Forerius *Lotharingus, virgineæ ſanctitatis idea, ſacratis Deo Virginibus non concionabatur, niſi clauſis cancellis. Impudicam fœminam excitatis magnis clamoribus fugat.* 70. *quàm humiliter, & abjectè de ſe ſenſerit.* 117. *inter uberes lachrymas leviſſima confitetur peccata ſua.* 120. *à diabolo ex obſeſſa fœmina humilitate ſua inſignem reportat victoriam.* 134. *Precibus à Deo multa impetrat. Numerantur quædam beneficia in vivis, & poſt mortem accepta.* 334. *ſub S.*

Miſſæ

Digitized by Google

Miſſæ ſacrificio elevatur à terra. 344. *Abjecta, & minima opera peragit pura intentione, & perfectiora ſemper eligit.* 446. *illius de pura intentione doctrina data Monialibus.* 447.

Petrus Mittman *Archidiaconus Garſenſis in cœlitum Reginam ſine labe conceptam devotus Confraternitatem S. Roſarii inſtituit.* 187. *Caſtitatis exactiſſimus cuſtos, cujus ſervandæ notandam reliquit doctrinam.* ibidem. *humilitate eminet, & Principibus charus meritorum plenus obit.* 189.

S. Petrus *Piperacenſis caſtitatem mortificationibus ſingularibus conſervat. Impudicam mulierem effigie Chriſti in fugam avertit. Dum Canonicum inſtaurat Ordinem: cœleſtes inter odores efflat animam.* 69.

V. Petrus *Recta Lucenſis ſui contemptu, virtutibus, & prophetico ſpiritu inclareſcit, Pater pœnitentium dictus.* 42. *Abbas Montanus in fama ſanctitatis obit, funus ejus velut Sancti confluente populo curante.* 43.

B. Pontius Falcinas *Abbas Sixienſis in Sabaudia ſanctiore vita, doctrina, & miraculis claret. Ejus ſepulchrum S. Franciſcus Saleſius aperit, & magnum virum prædicat, S. reliquiam digiti ſecum ferendo.* 420.

S. Protadius *Epiſcopus Veſontinus orationis aſſiduitate, ciborum parcitate, & Divinæ gloriæ Zelo velut alter Elias, & prophetico ſpiritu, & miraculis clarus.* 490.

R.

B. Raymundus Jordani, *vulgò Idiota, rara humilitate, Divinis ſcientiis, & ſanctitate inſignis, Conceptionis immaculatæ B. V. M. defenſor acerrimus.* 135.

S. Raymundus *in Eccleſia Cathedrali Appamiarum Can. Reg. dein Abbas S. Saturnini Toloſatenſis, ob inculpabilem vitam Epiſcopus Barbaſtrenſis eligitur.* 427. *in exilium ejectus Ruthenſibus Canonicis præeſt. Suis precibus regi impetrat victoriam, & ſanctè moritur prodigiis illuſtris.* 428.

B. Richardus *de S. Victore M. Hugonis contemporaneus ſanctitate vitæ, & ſcientiarum laude Pariſiis Doctor præclariſſimus audit.* 35.

B. Richardus Scotus *in eadem Eccleſia S. Victoris tumulum & epitaphium accipit.* 35.

B. Robertus *de Abriſello S. S. Theologiæ Doctor, & vitæ ſpiritualis Magiſter Congregationem novam utriusque ſexûs inſtituit, & mirabilem vitæ auſteritatem aſſumpſit.* 377. & 378. *Concionator Apoſtolicus Divina eloquentia plurimos ad Chriſtum adducit. In pauperes effuſæ liberalitatis, noctes integras orando tranſigit, & ſanctam ſubit mortem.* 379.

S.

Sebaſtianus Bröll *Subdecanus ad S. Crucem Auguſtæ Vindelicorum magna-*

ad pag. 244.

Arbor bona non poteſt malos fructus facere. *Math.* 7. *v.* 18.

NOVUS	**ADAM.**
CHARITAS.	
Concordia. Liberalitas. Compaſſio. Pietas. Gratia.	Pax. Miſericordia. Indulgentia. Manſuetudo. Benignitas.
FRUCTUS	**SPIRITUS.**
FIDES	**SPES.**
Munditia. Religio S. Caſtitas. Obedientia. Reverentia. Continentia. Affectus.	Longanimitas. Patientia. Contemplatio. Compunctio. Confeſſio. Modeſtia. Gaudium.
JEROSOLYMA	**DEXTERA.**
TEMPERANTIA.	**FORTITUDO.**
Diſcretio. Morigeratio. Taciturnitas. Jejunium. Sobrietas. Carnis Afflictus. Contemptus Sæculi.	Requies. Stabilitas. Conſtantia. Tolerantia. Fiducia. Magnanimitas. Perſeverantia.
INITIUM	**BONORUM.**
PRUDENTIA.	**JUSTITIA.**
Conſilium. Timor Domini. Memoria. Intelligentia. Providentia. Deliberatio. Alacritas.	Judicium. Jurisjur. obſervatio. Correctio. Severitas. Veritas. Lex. Æquitas.

HUMILITAS

RADIX VIRTUTUM.

ARBOR VIRTUTUM.

Digitized by Google

Arbor mala non poteſt bonos fructus facere. *Math.* 7. *v.* 18.

VETUS ADAM.

LUXURIA.

Voluptas. Immunditia. Turpiloquium. Blanditiæ. Laſcivia. Ignavia.

Libido. Titubatio. Deliciæ. Turpitudo. Petulantia. Fornicatio.

FRUCTUS

Ebrietas. Mentis hebetatio. Gula.

VENTRIS INGLUVIES.

Crapula. Oblivio. Languor.

Voracitas.

CARNIS.

Philargiria. Violentia. Perjurium.

AVARITIA.

Fallacia. Rapina. Uſura.

Fraus.

BABYLONIA

Rancor. Deſperatio. Torpor.

TRISTITIA. Puſillanimitas.

Timor. Accidia. Querela.

SINISTRA.

Clamor. Blaſphemia. Luctus.

IRA. Furor.

Rixa. Protervia. Contumelia.

MALORUM

Malitia. Odium. Amaritudo.

INVIDIA. Exultatio in Adverſis.

Detractio. Suſurratio. Afflictio in Proſperis.

INITIUM.

Hypocriſis. Inobedientia. Novitatum Præſumptio.

VANA GLORIA. Arrogantia.

Loquacitas. Pertinacia. Jactantia.

SUPERBIA

RADIX VITIORUM.

ARBOR VITIORUM.

Digitized by Google

cum pompa velut glorioſus mundi, & ſuiipſius victor tumulatur. 267.

V.

Valentinus Steurer *Weyarenſis Collegii Prælatus digniſſimus, magnificum Deiparæ templum ſtruit in Weichenlinden, aliáſque tres Eccleſias erigit.* 461. *Sodalitatem S. Reſarii introducit, & S. Barbaræ V. & M. magnis ab Innocentio X. impetratis privilegiis celebriorem reddit. Piiſſimè obiit velut alter fundator.* 462.

S. Ubaldus *Epiſcopus Eugubinus regularem vitam conſtanter obſervat. Præ humilitate recuſat Epiſcopatum.* 61. *Mitiſſimi animi cùm eſſet, injurias ſibi illatas non vult vindicari. Sicut pacis amator, ita diſſidiorum inimicus, etiamnum fatalis infernalium larvarum.* 62.

Ubaldus Mayr *Archidiaconus Garſenſis in Virgineam Matrem devotiſſimus. Aliquando graviſſimè diffamatus, licèt eſſet innocens, noluit ſe defendere.* 156. & 157.

Udalricus Seppich *Collegiatæ Eccleſiæ S. Georgii Auguſtæ Vind. Præpoſitus vigilantiſſimus, in omnibus ſuis actionibus perfectionem, & ſpiritûs devotionem elicit, magnus magnæ Reginæ Cultor.* 451.

Vitus Chriſtophorus *Wittembergæ Philoſophiæ, & Tybingæ Juriſprudentiæ lauream obtinet. A Lutheraniſmo ad fidem Catholicam converſus Canonicus ad S. Nicolaum Paſſavii contra falſa dogmata prædicator Apoſtolicus factus, & tandem ingenti emolumento ſui Collegii Prælatus præeſt.* 439.

W.

Walterus Girulanus *Congreg. Windeſemenſis Prior Corſendoncanus parricidis condonat liberrimè, & inſignibus clareſcit virtutibus.* 63.

Wernerus Reynkamp *Congregat. Windeſ. multarum virtutum poſſeſſor, in ſublimi demiſſus, in infimo obediens, & humilis; moritur, ſicut vixit, vir Religioſiſſimus.* 438.

Wichardus *illuſtri Bolheimiorum proſapia oriundus, Canonicis Regularibus Metropolitanis Salisburgi in juventute adſcribitur. Ob vitæ integritatem Decanus, & demum Archipræſul electus à Clemente V. pallium accepit. Inventis à ſe S.S. Corporibus novas aras conſecrat, ipſe ante Altare S. Ruperti ſepultus.* 290.

Wilhelmus *de Arnſperg Abbas Creuzlingenſis diſciplinam, & ædificia inſtaurat, ac laudatiſſimè præeſt.* 393.

Wolffgangus Perghover *Archidiaconus Raittenbuechenſis, extincto amore proprio, morum innocentiâ præfulget, ac optimè præeſt.* 302.

X.

Ximenius *Rodericus Navarrus ex Canonico Regulari Archiepiſcopus Toletanus pro inſtruenda juventute publicum Valentiæ Lyceum erigi curat. Regni Cancellarius, lin-*

Digitized by Google

guarum peritus in Concilio Lateranenſi orationem ad Patres habet, & in reditu moritur apud Ciſtercienſes Religioſos.

Ximenez Jacobus, *Hiſpanus Canonicus Cæſarauguſtanus, Decanus, & poſtea Abbas pro Eccleſia bono plurima ſtatuit, egit, & perpeſſus eſt. Reſignatâ Abbatiâ, quam ſuis illuſtraverat virtutibus, beato ſine mortalem clauſit vitam Cæſarauguſtæ.* 492.

Candide Lector.

UT præſens Tyrocinium Canonicum inoffenſo perluſtrari valeat oculo, nonnulla illapſa menda emendare placeat, precor, ex ſubjecta tabula: alios verò levioris notæ errores benevoli Lectoris prudentia candido dignetur caſtigare calamo.

fol.	col.	lin.	
8	2	16	appetentes. legatur. oppetentes.
11	1	39	omnimodum leg. per omnimodam.
11	2	9	tendunt. addatur. Per id tamen à ſacratiſſimis iſtis Ordinibus actio, ſeu Clericatus non tollitur, cùm conſtet S. Baſilium ita Monachorum Inſtitutum temperâſſe, ut ſolitariæ, atque actuoſæ vitæ utilitates conjunxerit, prout habetur in Brev. ad diem 14. Junii.
23	2	23	ſyropo. l. ſyrupo.
34	1	29	celebrum. l. celebrium.
41	2	31	petione. l. petitione.
62	1	34	lubrica. l. ludicra.
70	1	3	Patrem. l. Petrum.
78	1	9	rarionis. l. rationis.
87	1	13	Caſſione. l. Caſſiono.
88	1	9	inhumanæ naturæ. l. in humana natura.
96	1	7	§. III. fine & intentione. l. intenſione.
101	1	22	in ſanctitate. l. ſanctitate.
104	2	39	nec quidquam. omittatur
147	1	4	n. 59. l. 159.
176	2	33	imaginationum vel. l. vel imaginationum.
187	2	7	exaratu. l. exarato.
188	2	36	falcibus. l. faſcibus.
152	1	24	diglutiat. l. degluciat.
210	1	29	Callævallenſis. l. Claravallenſis.
225	2	16	blandium. l. blandarum.
227	1	7	moliore. l. meliore.
235	1	52	Collegiis. l. Collegis.
235	2	6	divinitus acceptis. addatur. annotandis.
237	2	3	fixit. l. finit.
253	2	26	nobili Doja. l. nobili Boja.
255	1	23	gladium. l. clavium.
&	1	30	plicabilem. l. plicatilem.
&	2	30	coronatus. l. coronatur.
262	2	39	XXVIII. l. XVIII.
272	2	1	miſſum. l. miſſus.
309	2	22	Weyanenſi. l. Weyarenſi.
325	2	20	largitur. l. largitor.
344	2	14	celebrant. l. celebrans.
352	1	24	hic. l. hoc.
354	2	18	expreſsio. l. expreſsio ejus.
355	2	22	Dridlingtonienſis. l. Pridlingtonienſis.
369	2	2	Qui donis. l. Quidonis.
370	2	9	Leodicenſis. l. Leodienſis.
&	2	16	ultimum periodum l. ultimam.
374	1	13	committendum. l. connitendum.
378	2	38	Edolenſi. l. E Dolenſi.
&	-	-	Græciam. l. in Græciam.
409	1	33	ſolatio. l. ſolatio perfuſam.
410	2	30	ætatis 29. l. ætatis.
416	2	12	ſternendo. l. ſtertendo.
424	1	37	adhærerent. l. adveherent.
438	2	14	miſceret, ſignum. l. miſcebat, ſignumque.
&	-	15	datur. l. dabatur.
436	1	23	anteſignamus. l. anteſignanus.
468	1	11	mali. l. malis.
477	2	23	quem tamen. l. quam.
488	1	9	ſtadio, dromorum. l. ſtadiodromorum.
492	1	4	quanta. l. quantæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1:80

Digitized by Google